
8
45 D
15

MO

PRAECLARISS. MARIAE
NOMINI

TRACTATVS
DE DIVINIS
REVELATIONIBVS
DVO,
DICATI.

Quorum Prior Prophetias, Oracula, Inspirationes, Instin-ctus, Somnia, et id genus quamplurima continens, quæ vera sint, quæuè Falsa ostendens, omnes Dæmonum detegit Illusiones.


Posterior verò septem Spicas, seù septem discutit Propositiones ad quas hac de Reuelationibus Materia dirigitur. Superioribus, Theologis, Confessarijs, & in via Spiritus degentibus perutiles.

AVCTORE
F. FRANCISCO MARIA
PHILAMARINO
A NEAPOLI,

Concionatore Capuccino, & in hoc Regno inter Consultores Sancti Officij apud Ministrum Generalem pro Suprema, & Vniuersali Sanctissimæ Inquisitionis de Vrbe Tribunali
DECANO.


NEAPOLI, ANNO SS. IVBILÆI.
Ex Typographia Hyacinthi Passari. M.DC.LXXV.
Superiorum permissu.




VTRVMQVE TIBI
TERRA
IN VNIVERSA
SIC NOMENTVM


VTRVMQVE TIBI
TERRA
INVNIVERSA
SIC NOMENTVVM


8
45 D
15


VTRVMQVE TIBI
TERRA
IN VNIVERSA
SIC NOMEN TVVM

PRAECLARISS. MARIAE NOMINI

TRACTATVS DE DIVINIS REVELATIONIBVS

DVO, DICATI.

Quorum Prior Prophetias, Oracula, Inſpirationes, Inſtinctus, Somnia, et id genus quamplurima continens, quæ vera ſint, quæuè Falſa oſtendens, omnes Dæmonum detegit Illuſiones.

Poſterior verò ſeptem Spicas, ſeù ſeptem diſcutit Propoſitiones ad quas hac de Reuelationibus Materia dirigitur. Superioribus, Theologis, Confeſſarijs, & in via Spiritus degentibus perutiles.

AVCTORE

F. FRANCISCO MARIA PHILAMARINO A NEAPOLI,

Concionatore Capuccino, & in hoc Regno inter Conſultores Sancti Officij apud Miniſtrum Generalem pro Suprema, & Vniuerſali Sanctiſſimæ Inquiſitionis de Vrbe Tribunali DECANO.

NEAPOLI, ANNO SS. IVBILÆI.

Ex Typographia Hyacinthi Paſſari. M.DC.LXXV.

Superiorum permiſſu.



SANCTISSIMO,

AC DVLCISSIMO

MARIAE

NOMINI.



AD te aduolat, hæreſum expugnatrix, Fidei ſcutum, vniuerſi Orbis decus, & ornamentum, ò Beatiſſima, & Inclyta Regina Cœlorum, Opuſculum hoc alarum diù cupidiſſimum; &, licèt nil tua Maieſtate dignum in ipſo eluceat, tua tamen Clementia nixus, non muneris paruitatem, ſed offerentis animi deuotionem, aſpicias, recipias, & sùb tua Potentis Nominis vmbra protegas, & ab omni non tantùm aduerſitate defendas, ſed vt præclarum reddas humillimè exoro.

Equidèm ſi de Omnipotentis Dei Nomine ſcribitur: Turris fortiſſima Nomen Domini, ad ipſum recurrit iuſtus, & exaltabitur. Et ego Turrim non dixero Nomen tuum (ò Maria) cui Opuſculum hoc humilitèr recurrens exaltabitur? Tu enim es Chriſtianorum propugnaculum, & propugnatrix eorum, qui in te ſpem collocarunt. Sùb tanti ergo Nominis vmbra

Prouer. cap. 18. ver. 10.

Andreas Cretenſ. de dormit. Virgin.

a 2 hæc

hæc pauca scripta quiescentia, ab omni prorsùs erunt perturbatione secura. Magnum est quippè Nomen tuum, ò Beatissima, & Gloriosissima Virgo Maria; & à solis ortu vsquè ad occasum laudabile, & superexaltatum in sæcula. Sed cum in eius laude desinant verba, deficiat memoria, arescat ingeniũ, hæreat calamus, suppliciter illis D. Bernardini verbis ad te exclamare compellor; Da mihi Virgo virtutem, ingenium, sermonem, vt fidelibus, & deuotis tuis valeam nunciare gloriam Nominis tui, non quantum est, aùt quale, sed vt tantillum ego paruulus tuus de laudibus tuis immensis annunciem ad gloriam tuam, & deuotionem meam. Scio hoc Sanctum, àc Venerabile Nomen multa in sê continere significata, & vt ait B. Albertus Magnus; Mariæ Nomen interpretatur Domina, Illuminatrix; Illuminatrix quidem, quia illuminat in dubijs; Stella Poli, quia ducit in deuijs; amarum mare, quia compũgit in illecebris; Domina autem, quia protegit in aduersis. Non me latet, quod D. Gregorius Thaumaturgus. Fontem lucis tuum Nomen appellarit, Nèc quod D. Bonau. de tuo Nomine dixerit. Omnipotens post Deum Nomen eius, est mihi ignotum. Hæc, & alia, quæ de tuo patrocinio certam spem mihi præbent, in tuo Sanctisimo Nomine obumbrata aspiciens, ipsum à principio inuocaui, cum hoc, (vt verbis vtar Damiani)

Tom. 4. ser. 1. de glorioso Nom. Virg.

In cap. 1 Lucæ.

Ser. in Annunc. B. Virg.

ni) Sensum acuat, dirigat stylum, & linguam pauperis venustiori respergat eloquio; Illustret lucem hanc lumine clariori, & suo Conuentui suam præsentiam donare dignetur. Et sicùt è tenebris me tui S. Nominis lumine eduxisti, vt ad portum appellerem, direxisti, sic quod ipsum deinceps, sua omnipotenti virtute protegas, certam spem mihi affert. At non hìc limitantur tui S. Nominis laudes, atquè præconia. Petrus enim Damianus asserit, quod de thesauro Bonitatis Mariæ Nomen euoluitur. D. Ambrosius speciale Mariæ Nomen inuenit, quod significat, Deus de genere meo. Riccardus S. Lauren. & Idiota: Dedit tibi B. Trinitas, Nomẽ, quod est supra omne nomẽ, post nomẽ Filij tui, vt in Nomine tuo omne genu flectatur Cœlestium, terrestrium, & infernorũ, & omnis lingua confiteatur huius Sanctissimi Nominis gratiam, gloriam, & virtutem. O mira Omnipotentis, àc tui Sanctissimi Nominis magnificentia! Sed ò magnam tuæ Clementissimæ pietatis dignationem! Nomine Diuino decoraris; & tu tanti Nominis magnitudine nobis dignaris esse consors. Ineffabilis Deus est, & licèt omnia sua nobis liberalissimè sit largitus, Nomen tamen ita secum retinuit, vt crimen sit læsæ Maiestatis Diuinæ, eius Nomen vsurpare; est enim hoc Nomen, Deus, Nomen operationis, ait D. Thom. Et sicut nemini competere potest

Ser. 41. de Assump. B. Mariæ.

Ser. de Annunc. B. Mariæ.

de Inst. Virg. cap. 5.

Lib. 1. de laudib. Virginis cap. 2.

Cap. 5. de Virg. Mariæ prædest.

1. part. quæst. 13 art. 8.

test

test operatio Diuina; ita nèc eius Nomen ineffabile; Quodammodo est tuum Sanctum Nomen, ò Maria, dicente Bernardino Senensi; Quis non timeat Mariam pollutis labijs nominare? At sit semper benedicta tuæ erga nos charitatis dignatio, ò Maria! licèt enim hoc sanctissimum nomen tanta reuerentia efferri labijs debeat; tamen, cùm plurimi tùm ex viris, tùm ex mulieribus tali, àc tanto Nomine decorentur, si causam scitari voluero, audiam à D. Thoma, quod Nomina Diuinitùs imponuntur quibusdam à principio natiuitatis, ad significandam gratiam, quam à principio consequuntur. Non vacant igitùr mysterio nomina, quæ ab exordio vitæ cōsequimur; habēt enim suā significationē, per quam aliquid nobis innuunt. Et quid tuum Sanctissimum Nomen, ò Præclarissima Virgo, illis qui ipso decorantur, insinuat? Illud prorsùs, quod in tuo Nomine continetur; Oleum effusum, seù (vt legit D. Ambrosius) vnguentum exinanitum Nomen tuum; Ideò adolescentulæ dilexerunt te. sic de Sponsi Nomine in amoris Cantico Sponsa cecinit. Nèc immeritò dilexisti Nomen Olei, & Vnguenti, quod suauissimo fragrat odore; cōparatur namquè odore suarum gratiarum, atquè virtutum, cunctosq; ad suum amorem, suamquè imitationem trahit; Et quod de tuo Dilecto, ò Amatissima Parens, dixisti, hoc de te D. Ambrosius testatur.

Tom. 4. serm. 2.

lect. 1. in cap. primum ep. Rom. lit. D.

Cant. cap. 1. ver. 2.

De Instit. Vir. cap. 13.

tur.

tur. Vnguentum, ait, exinanitum Nomen tuum, propterea adolescentulæ dilexerunt te; Descendat istud Vnguentum in Animæ præcordia, viscerumquè secreta, quo non deliciarum odores S. Maria, sed Diuinæ gratiæ spiramenta redolebat. Quod & Riccardus à S. Laurẽtio confirmans, repetit: Rectè hoc Nomen Mariæ Oleo comparatur, nèc dispar erit ratio, vbi idem est significatum; sicùt enim Iesus suo Nomine, quod omnium virtutum fragrat suauissimo odore, ad suum amorem, suamquè allicit imitationem; sic etiam tuum suauissimum Nomen, ò Maria, ad tuum amorem, tuamquè imitationem nos inuitat, & attrahit. lib. 1. de laudib. Virg. ca. 2.

Et si cuncti ad hoc rapiuntur, quid dicendũ de illis, qui tali Nomine decorantur? Hi præ cœteris tuas virtutes proprius imitari debent, sicùt de se Apostolus aiebat; Christi bonus odor sumus; ita & ipsi dicere debent; Mariæ bonus odor sumus in omni loco, vbiquè nimirum per imitationem tuarum virtutum redolentiam efflando. De Paulo dixit dulcissimus Filius tuus: Vas electionis est mihi, vt portet Nomen meũ. Fuit namquè mundissimum, àc pretiosissimũ vas Diuinæ gratiæ S. Paulus; fuit præclarissimarum virtutum odore repletus, & totum orbem tanti Nominis virtutibus respersit; vndè D. Thomas: portauit Paulus Nomen Iesu in corpore, Conuersationem, & passionem 2. Cor. cap. 2. ver. 2. act. cap. 5. in prologo Epist. Rom. litt. E.

eius

eius imitandò. Age igitùr, ò Maria, vt qui tuũ Sanctum Nomen sunt adepti, illud per Sanctã conuersationem, & imitationem semper, & vbiquè portantes tuarum virtutum odorem vndiquè spirent.

Et si dulcissimum Nomen tuum, amarum mare significat, illam amaritudinem, quam in te numquàm habere potuisti, illis impartiri digneris, qui tuo Nomine sunt ditati; & prò illis virtutibus tuis, ad quas ascendere non valemus, fac nos in illis maximè præualere, quibus nèc indiguisti, nèc poteras indigere. Nunquàm enim peccatorum confessione, nunquàm culparum dolore, siuè contritione egere potuisti; Purissima namquè, & Immaculatissima à primo vsquè ad nouissimum instans præseruata, & conseruata, nil in te, quod de te dolere posses, poterat inueniri. In his ergo virtutibus, quæ in te locum habere non potuerunt, eos fac exercere, qui tuo Nomine insigniti tanti Nominis virtutes, & perfectiones per imitationem ostendant.

O me terquè, quaterquè felicem, si ad hoc per tuam gratiam peruenire contigerit! licèt enim ego Frater Franciscus Maria in Religione fuerim in parte mei nominis tuo dulcissimo Nomine decoratus; attamen cum nihil in me, nisi sonum tantùm tanti nominis aspiciam; nihilquè per consequens, quod non sit deflen-

dum

dum prospiciam; coràm te genuflexus, & ad tuos sanctissimos pedes humi procumbens, meã erga te, tuumquè sanctissimum Nomen ingrati animi labem agnoscens, & confitens, deprecor tuam pijssimam Clementiam, vt quod per negligentiam imitando nō egi, hoc per lachrymas, per amaritudinem, àc per confessionem me supplere concedas. Et ò me miserum, & infelicem, si meorum debitorum oblitus, meæ obligationi satisfacere neglexerim; vt quod deest ineffabili tuo Nomini, ob sanctitatem, puritatemquè summè illibatam, in me compleatur tui Nominis insignito, cum D. Paulo dicente: Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, exclamare valeam; & ego: Adimpleo ea, quæ desunt Nomini Mariæ, contrictione peccatorum meorum, confessione, lachrymarumquè effusione, vt totalitèr ab intra, & ab extra Sancti tui Nominis efficacia compleatur. Colos. cap. 1. ver. 24.

Equidèm, & si à sæculo auulsus in Seraphicæ Religionis horto plantatus fui, tuæ Intercessionis munus est; si in Religione tot gratiarum imbribus irrigatus, & auctus ad senectam vsq; àc senium perueni, tua Intercessio hoc mihi præstitit; totum igitùr tuum est, quia totum, te intercedente, ab Omnipotente recepi; & si nihil prò tot, tantisquè beneficijs in toto vitæ meæ curriculo, quod dignum tua Maiestate foret, tibi rependi; Accipe quæso hoc munusculum,

quod in extrema linea annorum octoginta cõstitutus, tibi nùnc offero; & si paruus est census, aspice, deprecór, quod magno deuotionis affectu illum persoluere perquàm ardétèr exopto. Melius nanquè mihi visum est aliquid, vtcumquè tibi offerre, quàm antè Maiestatem tuam vacuus apparere. Accipe itaquè. (Tibi dicebat Augustinus) cuius verba, & ego repetens, sic te deprecor, ò pijssima: Accipe ita quascumquè
D. Aug. exiles, quascumquè meritis tuis impares gratiarum actiones, & cum susceperis vota, culpas meas orando excusa. Admitte meas preces intra sacrarium exauditionis, & mihi antidotum reconciliationis reporta. sit per te excusabile, quod per te ingero; fiat impetrabile, quod fida mente posco. Accipe, quod offero, redona, quod rogo, excusa, quod timeo, quia tu es spes viua peccatorum; per te spero veniam delictorum, tantamquè, ò Virgo Benedicta, lachrymarum copiam, vt non stillatim, sed per imbrem affluentem ea continuò deflere valeam, cum in te, ò Beatissima, sit expectatio præmiorum, Tu dirige, tu protege. Eia, deprecór succurre oranti, vt laus, quam per tot sæcula dignè possedisti, continua tibi duret in gratia ipsa, qua Mundo perdito subuenisti. Tibi ergo me commendo, tu procura, ne peream; effice potiùs, vt salus mea de die in diem multiplicetur. Et mihi Filio tuo tanto in parte decorato nomine,


mine, peccatorum meorum veniam à Sanctiſſimo Vnigenito tuo Ieſu, vt largiatur, impetra; Nàm magna gratiarum tuarum defixa manet in me fiducia. Tu mea ſpes felix, tu veneranda ſalus.



LECTORI BENEVOLO.

Diù remansit in tenebris hoc de Diuinis Reuelationibus Opusculum, quod hodiè in lucem prodire cōpellitur; & quod ad vnius iussū vitā vtcūq; suscepit, nùnc ad multorum imperium, vt est, & vides destinatur obsequio plurimorum. Latebat hic partus, nèc mireris, nàm cum ortum à necessitate traxisset, nullis infarcinatus crepundijs, sua in obscuro innocenti nuditate gaudebat. Latebat, quia veritatis lacte nutritus, àc nullo colorum fuco depictus, natiuo, lacteoquè candore, quem à veritate suscepit, continebatur in abdito; & cum inter pauperes inoleuerit, sic simplex, àc nudus inter tot in sapientia prædiuitum partus apparere erubescens, libentiùs in abscondito suam agebat vitam. Multoties ab amicis, qui eum priuatim viderant, suasus, deprecatus, impulsus, vt in publicum proferrem, recusaui; Et ipsum quoquè partum quodammodò recusantem agnoui. At demùm deuotorum, piorumquè non minus, quàm sapientum rationibus deuictus, eorumquè voluntati meum iudicium subijciens, vt exiret in lucem, præli contorsionibus permisi. Prodit igitùr sic nudus, vt natus; sic simplex, vt nutritus; sic pauper, vt educatus; Monitus nè sic apparere erubescat. Cum enim à principio non aliò collimauit intentio, quàm ad puram Dei Gloriam, àc ad Catholicæ Fidei candorem nitidum, illibatumquè seruandum. In eadem sententia permanens, Diuinæ Gloriæ, àc fidei zelo fidelium vtilitatem addens, satis

mihi paruisse erit, vt meritum ex obedientia colligam. Ad honorē igitur Omnipotētis Dei, suæquè Sāctissimæ Genitricis Mariæ, ā c Seraphici Patris mei Francisci, dùm pergit hoc opus, tu beneuole Lector, si quid tuæ vtilitati proficuum indè traxeris, eosdem lauda, & glorifica. Et interim ego omnia, quæ hic congessi, Sanctæ Sedis Apostolicæ iudicio, ac correctioni submitto. Vale, & ora prò me.



Opus

OPus, cui Titulus est, *Tractatus de Diuinis Reuelationibus* ab Admodum Reuerendo Patre Frãcisco Maria Philamarino à Neapoli Cõcionatore, Guardiano nostri Cõuětus Capuccinorum Neapolis, Definitore, & Exprouinciali, elaboratũ, iussu Reuerendissimi Patris Stephani à Cæsena nostri Ministri Generalis, magna simùl cum animi mei delectatione perlegi. Ac nihil in eo Catholicæ Veritati, Morũquè probitati repugnãs inueni; quin imò omnia Patrũ, Conciliorum, Scripturarumquè testimonijs comprobata; ita vt in nouitate materiæ mira eruditione pertractatæ, Orthodoxæ Religionis antiquitas elucescat. Quapropt èr tanquàm omnibus vtilissimum, præcipuè Confessarijs, Animasquè dirigentibus, vt in lucem prodeat, typisquè mandetur, dignissimum censeo. Datum Neapoli hac die 28. Aprilis 1675.

Frater Michael Angelus à Rasenna Concionator, ac Guardianus Conuentus Capuccinorum Romæ.

APPRO-

APPROBATIO.

COmmiſſione Reuerendiſſimi Patris Stephani Cæſenas Generalis Ordinis Minorum Capuccinorum legendi Librum cuius Inſcriptio (*De Diuinis Reuelationibus*) Admodum Reuerendi Patris Frãciſci Mariæ Philamarini, Guardiani Immaculatiſsimæ Cõceptionis noſtri Conuentus Neapolis, Prouincialis perſæpè, nec nõ totius Regni Sãctiſsimæ Inquiſitionis triginta ſeptẽ annorum ſpatio Conſultoris, ipſiuſquè excelſi Conſeſſus Decani, ne dùm à Catholica non aberrantem Fide, imò in Fide firmiſsimum ſtabilitatem Fidei firmitèr munientem. Reuelationum Arcana reſerãtem, aſpera ſemita in vias, ac planities perducentem, luce altioris Doctrinæ nebulas illuſionum fugantem, moreſquè animi dirigentem, adamuſſim repertum; ob vtile, & vniuerſi Emolumentum typis tradendum puto. Dat. Neapoli hac die 16. Aprilis 1675.

Frater Innocentius à Carpi Concionator, ac Guardianus Conuentus Carpi in Prouincia Bononiæ.

Nos

Nos Frater Stephanus à Cæsena Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum S. Francisci Generalis Minister L. I.

Præsentium tenore tibi Dilecto nobis in Christo Reuerendo Patri Francisco Mariæ à Neapoli Philamarino Concionatori, Guardiano, Deffinitori, & Exprouinciali facultatem concedimus, vt Librum, cui Titulus est (*Tractatus de Diuinis Reuelationibus*) à duobus nostri Ordinis Theologis reuisum, & approbatum typis mandare valeas; seruatis tamen alijs de Iure seruandis. Datū Romæ die 4. Maij 1675.

Frater Stephanus Minister Generalis.

Locus + Sigilli.

EMI-

EMINENTISS. E REVERENDISS. SIGNORE.

Fra Francesco Maria Filamarino da Napoli Predicatore Capuccino, supplicando espone à Vostra Eminenza, come hà compito vn'Opera (*De Diuinis Reuelationibus*) perciò supplica Vostra Eminenza restare seruita, che si stampi, e l'hauerà à gratia, vt Deus, &c.

Ex mandato mihi oretenùs facto ab Eminentissimo Domino Cardinali Caracciolo hac die 2. Aprilis 1675. P. D. Franciscus Staybanus reuideat supradictum Opus, & referat posteà in scriptis, quid de eo sentiat &c.

Franciscus Scanegata Vic. Gen.

Ioseph Imperialis Sec. Iesu Theolog. Emin.

Hoc Opus, cui Titulus (*De Diuinis Reuelationibus*) ab Admodum Reuerendo Patre Fratre Francisco Maria Philamarino Capuccinæ Religionis Alumno, ita concinno conscriptum calamo, vt omnigenam scientiam, multisquè in eius palestra exercitiis, fortassè inhospitam, Vniuerso proponit Orbi: Quin etiam Catholicæ Fidei (Cuius inhiat sospitati) vt firmissimè consonum, inoffenso decurrit pede. Sathanicas enim illusiones, quibus principes Orci in Fidē irruunt; sua velùt Angelica facit Doctrina irritas: vt quæ stygios continent confinia, sinus non sinat excurrere. Author enim hic noster, qui sempiterni militiæ Numinis nomen dedit; sanctitate vitæ, ac sapientia, dùm terram incolit, apud cœlites (è quibus Doctrinam haustus, purioris intelligentiæ Arcana reserat) continuò volitat. Quare easdem illusiones, diabolica suggestione contectas, inscitæ detegit humanitati. Hinc fideles falsitatem intuiti; ne præcipites, cimeria petant hospitia: Zabulum (ipsorum consulentes indemnitati) vt illusorem propugnant. Quod si diabolicæ fraudis labyrinctum quis nouus Theseus permeasset; non Ariadnæ, sed sua Phila Marina, è Mari (quod Nauigio lictus petenti, vehiculum agit) excerpta: eiusdem proprietatem, induta sali; signant fores, Quibus perditæ libertatis insperatum ostentant effugium. Hinc fit, vt sæuo carceri mancipatis: exitum, veluti baiula, fælicissimè parent. Quapropter prælo dari; si tamen Ab Eminentiæ Tuæ minimè dissonet sensu, existimo.

Franciscus Staybanus.

In

IN Congregatione habita Coràm Eminentissimo, & Reuerendissimo Domino Cardinali Caracciolo Archiepiscopo Neapolitano sùb die 18. Maij 1675. fuit dictum, quod stante relatione facta à R. D. Francisco Staybano Reuisore, Imprimatur.

Franciscus Scanegata Vic. Gen.

Ioseph Imperialis Soc. Iesu Theolog. Emin.

ECCELLENTISSIMO SIGNORE.

Frà Francesco Maria Filamarino da Napoli Predicatore Capuccino, supplicando espone à Vostra Eccellenza, come hà composto vn'Opera (*De Diuinis Reuelationibus*) perciò supplica Vostra Eccellenza restare seruita, che si stampi, e l'hauerà à gratia, vt Deus &c.

Reuer. Pater D. Carolus Lombardus Congregationis Oratorij videat, & in scriptis referat &c.

Galeota Reg. Carrillo Reg. Valero Reg. Calà Reg.
Prouisum per S.E. Neap. die 1. Aprilis 1675.
Anastasius.

Illustriss. Marchio Crispani non interfuit &c.

EXCELLENTISSIME DOMINE.

Te iubente perlegi (*Tractatum De Diuinis Reuelationibus*) Auctore Admodum Reuerendo Patre Fratre Francisco Maria Philamarino à Neapoli Prædicatore Capuccino, qui prælegit Diuinum, quem corde fouet Ignem, humili, cinereoquè tegere amictu, quam igneam, & rutilanti murice purpuram mortalitatis velare cinere; nihilquè in eo reperi, quod Regiam Iurisdictionem obnubilet. Quapropter Opus hoc, quod silentij velo contectum, hucusquè lucem optauit; prælo supponi, eiusquè ope, ad Christiani orbis bonum quamcitissimè reuelari debere censeo. Ex ædibus Cõgregationis Oratorij Neap. die 13. Maij 1675.

Excellentiæ Tuæ

Humillimus Seruus

Carolus Lombardus Congreg. Orat.

Imprimatur, verùm ante publicationem seruetur Regia Pragmatica.

Galeota Reg. Carrillo Reg. Valero Reg. Calà Reg. Soria Reg.

Prouisum per S. E. Neap. die 14. Maij 1675.

Anastasius.

AL MOLTO REV. PADRE

F·FRANCESCO MARIA FILAMARINO

CAPVCCINO,

Olim Prouinciale della Prouincia di Napoli, & in atto Deffinitore dell'istessa, & Guardiano della Concettione, & Decano del S. Officio dignissimo.

SVole tal'or con lusinghieri accenti
Sotto mentite larue i lacci suoi
Fiero apprestare il Rè dell'ombre à noi
Sol per ritrarre à Dio, l'vmane menti.
Quando spirti destò di zelo ardenti
Nel Serafico Ciel, tra' Sacri Eroi
A chi la verità scoprisse poi
Ne' finti oggetti, all'ingannate genti.
Tù questi sei, che far palesi i danni
Puoi ben, ch'altrui cagiona il Rè d'Auerno,
Ondè scioglie per te la fama i vanni.
Ti ammiri dunque ogn'vn; se qual discerno
Sai trar (mostrando di Pluton gl'inganni)
Lume di Ciel, da tenebroso inferno.

Di V. P. M. R.

Seruo affettionatissimo
Francesco Staybano.

DELLO STESSO ALLO STESSO.

Credete omai, voi che all'etereo Polo
Vibrate i rai di luminosa schiera;
A chi scopre trà noi luce più vera
Per formar nuouo Ciel quà giù nel suolo.

Questi è Filamarin, che sà ben solo
Mostrare il ver con purità sincera;
E vano rende da tartarea sfera
Di trame ordite il più temuto stuolo.

Ei che rischiara i tenebrosi orrori,
Quai nelle menti altrui, l'inferno adduce
Scaccia col suo splendor, notte d'errori.

Chi di celeste lume in Dio riluce
Trar fosca nebia sol potrà da i cuori:
Disfarsi ombra non può se non da luce.



LECTO-

LECTORI BENEVOLO

ELOGIACA PRÆFATIO.

Perlege hunc librum,
Tibi dico
Non minùs Eruditionis, quàm veræ Sapientiæ amãti.
Optimum reperies
Si Auctorem habes
FRANCISCVM MARIAM PHILAMARINVM.
Germanum Fratrem
MAGNI CARDINALIS ASCANII
Inter Archiepiscopos Neapolitanos Maximi,
Qui gloriam ex moribus potius,
Quàm ex magnitudine
Appetiuit,
Qui Dignitati dignitatem contulit, non retulit,
Et claro animi robore
Non recepit, sed dedit infulis splendorem.
At quid de ASCANIO multa?
Satest tibi dicere PHILAMARINVM
Vt scias in hoc cognomine
Solum IMMORTALITATIS amorem.
In ista perantiqua Familia æqua semper Virtus
Nedum Purpura, & Gladio, sed & Sacco
Maiestate, Valore, Humilitate
In omnibus citrà casum, eximijs.
Plura tibi dicerem, si, qui mundum abhorruit,
Humanas non respueret laudes.

DIVI-

DIVINAS habes REVELATIONES
Et verè sinè Velo
Si in eis Veritas, quæ semper nuda.
Puritatem in dicendo reperies,
Nec mirum
Si purus omninò Seraphicus stylus.
Certum habeto, quod scriptum,
Si iste, à Diuo eius Patre,
Non minus nominis, quàm bonitatis heres,
Didicit
Quomodo secreta REVELENTVR Cœlestia.
Cum Francisci Filijs hereditarium sit
Vno tantùm armonico plectri tractu
Paradisi dulcedinem REVELATAM habere.
Quid plura?
Nam pluribus in infinitum transcenderem.
Perlege, Perlege,
Vt agnoscas
Si verum, quod de Libro hoc tibi Affatus est

CANONICVS ARCHIEPISCOPALIS NEAP.
CAROLVS CELANVS.

DE

DE

ADMODVM REV. PATRE

F. FRANCISCO MARIA PHILAMARINO

Concionatore Capuccino, Exprouinciali, Definitore, & in hoc Regno inter Consultores S. Officij pro Supremo Tribunali Sanctissimæ Inquisitionis de Vrbe, Decano.

Ob Præclarum Opus, cui Titulus est *DE DIVINIS REVELATIONIBVS*,

POMPEII SARNELLI

Vtriusque Iuris Doctoris, & Protonotarij Apostolici.


SAPPHICVM CARMEN.

IAm satis terras Coluber veneno
Imbuit, Pratis latitans amænis,
Atque mentitus satis ora, totum
Terruit orbem.
Terruit gentes, simulans olympo
Sæpè se missum, noua nunciatum,
Iussa, & incautos ità curiosos
Traxit in Orcum.
Vdus haud fertur, variasse Proteus
Tot, dolis fallens homines, figuras,

Quot draco, totum, variauit, orbem
Fallere nisus.
Nam patent fraudes hodiè draconis,
Cui caput nudis pedibus refregit
De CAPVCCINIS nouus ortus Heros
PHILAMARINVS.
Tela molitus, styga quæ superbum
Ire delusum valeant, acuto
Vsus haud ferro, calamo sed illa
Condidit acri.
Hic docet, quando Dominus reuelet
Cordibus, quando dolus est iniqui
Hostis, & turmas propè funeratas
Frangit Auerni.
Allatrant frustrà Barathri superba
Monstra, fumosis animosa tædis,
Hic enim scriptis male feriatos
Proruit hostes.
Ecce iam sæuus coluber fugatus,
Ecce delusor patet, en cruentus
Anguis, Inferni robur, vt catenis
Colla reuoluit.
Ergo sublimes, Erato, triumphos
Pange FRANCISCI gelidum per Hæmum
I triumphalem pete Musa laurum,
Necte coronas.

Istius

Istius nomen resonet per æuum
Quale fraternum ASCANII resultat,
Purpura insignis, celebrisque plausu
VRBIS, & ORBIS.
Istius laudes, Erato, REVELA,
Qui REVELAVIT barathri dolosos
Astus, & crines Amaranthus ornet
Non periturus.
Huius est, Prati decus hoc perenne,
Symbolum, signans, monimenta tanta
Esse nequaquam peritura Gentis
PHILAMARINAE.



E I V S D E M

POMPEII SARNELLI

V.I.D. & Protonotarij Apoſtolici.

E P I G R A M M A.

QVod decus eximium? quæ gloria? quis Sacer Heros?
Iſte CAPVCCINIS, quis nouus ortus honos?
Eſt hic FRANCISCVS (reſpondet Fama) MARIA,
Et genus, & mundi, qui pede calcat opes.
Purpurei cuius FRATER pars magna Senatus
ASCANIVS Præſul PHILAMARINVS erat.
Cuius deſignat famam, gentemquè perennem
Cognomen, Danaum, quod duo verba notant.
Eſt φιλὸς omnis amans ἀμαραντον amaranthus, Achiuis
Immortale decus ſignificare docet.
Vt quoquè declarant Amaranthi Symbola, tantæ
Quæ genti ASCANIVS nobile ſtemma dedit.
Quæ etſi FRANCISCVS rigido ſub tegmine condat,
Nunc tamen hoc pandit nobile mentis Opus.
Namquè REVELANTEM diuina arcana REVELAT,
Diuino arcano, qui docet alta, Liber.
Hinc Amaranthæis dignus, qui tempora ſertis
Ornet, nil mortis tela timenda timens.

AL

AL MOLTO REV. PADRE

FRA FRANCESCO MARIA

FILAMARINO,

Della Seràfica Religione de' Padri Capuccini, per lo suo Libro De Diuinis Reuelationibus.

BIAGIO CVSANO,

Lettore di Legge nell'Academia publica di Napoli.

TRa nubi, e trà caligini profonde
Quel Dio, che de l'Empireo indora i campi,
Ad occhi anco Lincei vela & asconde
Del suo bel volto i gloriosi lampi.
E pure a te, che d'amor sãnto auuampi,
De l'Aquila di Patmo il guardò infonde,
Cui fiso innalzi a que' sourani vampi,
C'hor pingi, a tue d'inchiostro ombre faconde;
Ben quì di Serafino, e foco, e lume
Sotto ammanto di cenere tu celi:
Ma diuerse ne trahi poscia le piume.
Se due penne Serafiche su i Cieli
Coprono il viso a l'Inuisibil Nume;
Tu con la penna tua quà giù lo sueli.

OB HVNC

DE DIVINIS REVELATIONIBVS

LIBRVM

AB ADMODVM REVERENDO PATRE

F. FRANCISCO MARIA PHILAMARINO

Exprouinciali, Definitore, & Guardiano Capuccinorum Neapolis, Nomini Mariæ dicatum, Stemmati alludens

DECASTICHON.

F. MATTHIAE A' PANICOCOLO,

Sacræ Theologiæ Lectoris Capuccini.

QVisquis adhuc fertur prælo sua scripta dedisse,
Optauit Nomen non perijsse suum.
Hic solus, qui, VIRGO, Tuũ fert nomine NOMEN,
Ad NOMEN Librum consecrat ecce TVVM.
Hinc Amaranthus adest solium tibi, VIRGO, perennis,
Quem Gens dumtaxàt PHILAMARINA notat.
Vt, velut iste viret metuens nil temporis iras,
Æternum NOMEN sic sonet vsquè TVVM.
Cum què SVO cordis pandens penetralia LIBRO
Æternum votum sacrat VTRVMQVE TIBI.

AD

AD THEOPHILVM

AMICVM CARISSIMVM.

PLuries, ò Cariſſime Theophile, Reuelationes illas, in quibus tàm anxiè verſabatur animus tuus, & ſuper quas etiam totiès meam es ſciſcitatus ſententiam, animo reuolui. Et vt verum fatear, licèt in re tàm obſcura periculoſum ſit præcipitare iudicium; teſtante Cancellario Pariſienſi, quod vtrobiquè, vèl in approbatione, vèl in reprobatione periculum eſt. *Alphabeto* 17. *littera* 5. Nàm credere falſas, & illuſorias, aùt friuolas prò veris, indignum eſſet; & reprobare veras, eſſet ſpiritum extinguere, contra id, quod monet Apoſtolus 1. *Teſſal. cap.* 5. Attamen, quia hiſcè temporibus (vt cum eodem Gerſone loquar) Mundus tamquàm ſenex delirus phantaſias plures, & illuſiones ſomnijs ſimiles pati habet; & multi dicent, ego ſum Chriſtus *Alphab.* 19. *litt. M.* timeo, & valdè, ne illæ ſeptem Reuelationes ſint velùt illæ ſeptem ſpicæ, quas ſomnians vidit Pharao Rex ille Ægypti. Videbat enim hic dormiens in ſtrato ſuo, ſe ſtare ſuper fluuium, & in fluminis ripa ſeptem ſpicas pullulare plenas, atq; formoſas; totidemq; deindè paritèr ſpicas exurgentes aſpexit tenues, ſiccitate conſumptas, àc priorum pulchritudinem deuorantes. Rursùm dormiuit (ait Sacer Textus) & vidit alterum ſomnium. Septem ſpicæ pullulabant in culmo vno plenæ, atquè formoſæ; aliæquè totidem ſpicæ tenues, & percuſſæ vredine

orie-

oftiebantur, deuorantes omnem priorum pulchritudinem. *Gen. cap.* 41. *ver.* 5. Et quia somnium desuper aduenerat, idem ille, qui somnium immiserat, eius animum ad exquirendam veram de illo Interpretationem excitauit. Et cum pauore omnes Coniectores, omnesquè Sapientes accersiuit, vt præhabiti somnij sibi intelligentiam proferrent. At quia humana sapientia, quæ de terra est, non se extollit super terram, nullam de somnij cœlestis arcano intelligentiam tot sapientes habere potuerunt, nullamquè interpretationem proferre. Pauore perterritus (subiungit Sacra Scriptura) misit ad omnes Coniectores Ægypti, cunctosquè sapientes, & accersitis narrauit somnium; nèc erat, qui interpretaretur. Res adhùc erat in tenebris; & Regius animus etiam vigilans, adhùc in somnio illo dormiebat, & somniabat. At Deus, qui Seruo suo Ioseph Gloriam in AEgypto parabat, dispofuit, vt Pincernarum Magister, memor promissionis Sancto Iuueni factæ, quandò ab ipso somnij sui fœlices euentus audiuit, omnia Regi fidelitèr enarrasset. Educitur ad Regis Imperium de carcere Ioseph, sistitur antè Regem. Aperit hic somnia sua, audit omnia Ioseph, qui cœlesti lumine plenus, hanc de somniatis spicis veram Interpretationem protulit. Septem spicæ plenæ (verba sunt Sacræ Genesis) septem spicæ plenæ septem vbertatis anni sunt; & septem spicæ tenues, & vento vrente percussæ, septem anni venturæ sunt famis. Qui hoc ordine comprehenduntur. Ecce septem anni venient fertilitatis magnæ in vniuersa Terra AEgypti; quos se-

quen-

quentur septem anni alij tantæ sterilitatis, vt obliuioni tradatur cuncta retrò abundantia: Consumptura est enim fames omnem terram; & vbertatis magnitudinem perditura est inopiæ magnitudo. Hæc Ioseph Regis somnia interpretando prædixit; & rei euentus omnia veracitèr esse pronunciata comprobauit.

Simile quid in casu nostro- Septem spicæ pullulauerunt in culmo vno plenæ, àc formosæ. In terra siquidem nostra, quæ ex Decreto Diuino spinas, àc tribulos humano generi quotidiè germinat, septem spicæ plenæ, àc formosæ, hoc est septem Propositiones, in culmo vno, idest in vna afferta Reuelatione pullularunt: Quæ cum magna donorum Cælestium, magna supernaturalium rerum, àc excellentissima priuilegiorum nemini adhùc, vèl paucissimis, vèl vni tantùm Dei Genitrici concessorum vbertate, tumentes potiùs, quàm plenæ; àc micante desuper insolito splẽdore, formosæ, primo prospectu intuentibus, appareant; magnãq; Diuinæ misericordiæ vbertatem cœlitus nobis illapsam, omnis quippè arbitrabitur. At cum ventus vrens, idest rigorosa, sed iuxtà veræ fidei regulas, eas discussio excusserit; timeo, & valdè, quod ita tenues euadent, tàmquè perniciosæ, quod priorum pulchritudinem deturpantes, àc vbertatem depascentes, & deuastantes, monstruosam quandam sterilitatem nobis minentur. Nèc irrationabilitèr timeo; Glossa namquè de prædictis spicis explicationem tradens, sic ait: (Septem anni, qui septem spicis plenis ostenduntur, spiritualia dona significant, quibus vbertas fi-

dei larga pietate redundat:Septem verò steriles; & Ieiunij, veritatis, & iustitiæ famem in nouissimo tempore.) *Glosa ord. in cap.* 41. *Gen.* idem confirmat ibidem Vgo Card. Plena fides, igitùr, iuxtà glos. & Vgonis sententiam, in spicis plenis ostenditur; in alijs verò spicis, quæ, vento vrēte, excussæ tenues sunt, veritatis catholicæ fames, àc fidei carentia designatur. Timeo, iterùm dico, ne illæ reuelationes cum ad ventum veritatis, àc fidei zelo perflantem exponantur, ita tenues, ita floccidæ euadant, imò perniciosæ, & fœdæ, quod priorum pulcritudinem labefactantes, àc præostensam cœlestium charismatum vbertatem depascentes, àc deuorantes, potiùs ex inferno, vèl auerni stygijs vndis irrigatas prodijsse, quàm cœlesti semine exortas, àc superno rore perfusas, omnibus tandèm se manifestent. Quapropter, vt verum à falso numismate ex te ipso discernere possis, hunc de Diuinis Reuelationibus Tractatum, vtcumquè, inter tot tantasquè rerum curas, tibi scribo. In quo quidèm primo multa ad reuelationum cognitionem pertinentia; & secundo reuelationes illas, quas mihi proposuisti, iuxtà appositas regulas deductas, inuenies.

INDEX

INDEX
SANCTORVM PATRVM
ET ALIORVM AVCTORVM
Tàm Antiquorum, quàm recentiorum, qui in hoc Opere frequenter referuntur.

Bartholomæus Sibilla.
Bartholomæus Medina.
D. Basilius Magnus.
Beda Venerabilis.
D. Bernardinus Senensis.
D. Bernardus.
D. Bonauentura Cardinalis.
Bordeus
Brentius.
Brugmanus.

C

Canones.
Capreolus.
Cassianus.
Cassiodorus.
D. Catherina Senensis.
Christianus Massæus.
Cicero.
D. Clemens Romanus.
D. Clemens Alexandrinus.
Cesar Baronius.
Cesar Carena.
Cronicon Dominicanum.
Concilium Tridentinum.
Concilium Latheranense.
Concilium Constantiense.
Concilium Basiliense.
Concilium Arausicanum.
Concilium Mileuitanum.
Concilium Nicenum.
Concilium Thelense.
Concilium Florentinum.
Concilium Bracharense.
Concilium Constantinopolitanum.
Concilium Senonense.
Concilium Claramontanum.
Concilium Hispalense.
Consaluus Brauo.
Cornelius à Lapide.
Couar.
D. Cyprianus.
D. Cyrillus Hierosolimitanus.
D. Cyrillus Alexandrinus.

D

Decianus.
Didacus Transmiera.
Didacus Baez.
D. Dionysius Areopagita.
Dionysius Cisterciensis.
Directorium Inquisitorũ.
Dominicus Tuscus Cardinalis.
Dominicus Grauina.
D. Dorotheus.
Durandus.

E

D. Epiphanius.
D. Euaristus Papa.
Eueruuius Abbas.
Eugenius VI.
Euthymius.
Eusebius Cesariensis.

Ferdi-

Lau-

LAurentius Beyerlinck.
Laurentius Surius.
Leander Albertus.
Leloyherus.
D. Leo Papa.
Lucanus.
Ludouicus Caspensis.
Ludouicus à Paramo.

M

MArcus Historicus.
Marcus Lisbonensis.
Martinus V.
Martinus del Rius.
Marsilius Sing.
Melchior Cano.
Menander.
Michael Psellus.
Moyses Abbas.

N

NIcolaus Eymericus.
Nicolaus Lyranus.
Nicolaus Sanderus.

O

OEchumenius.
Origenes.
Orphæus.
Ouidius.

P

PAulus Burgensis.
Paulus Orosius.
Paulus Staybanus Consiliarius.
Perua.
Petrus Canisius.
Petrus Ribadeneira.
D. Petrus Chrysologus.
Petrus Paludanus.
Petrus Trigosus.
Petrus Cenedo.
Petrus Venerabilis.
Petrus de Lorca.
Petrus Antonius Beuder.
Philippus Fauentinus.
B. Pius V.
Plato.
Plutarchus.
Primatus Prateolus.
Prosper Farinacius.
D. Prosper.
Protagoras.

R

RAphael della Torre.
Ribera.
Richardus à Sancto Victore.
Richardus Denoto.
RobertusBellarminusCardinalis.
Rollandus de Vallae.
Roma-

Romanus.
Rupertus Abbas.

S

Sabellicus.
Salomon Rabbi.
Scotus.
Seneca.
Septuaginta Interpretes.
Serenus Abbas.
Simeon Metaphrastes.
Siriacus Papa.
Socrates.
Sousa.
Stephanus Iuliacus.

T

Terentius.
Tertullianus.
Themystius.
Theodoretus.
Theophilatus.
D. Thomas Aquinates.
Thomas del Bene.
Thomas del Vio Caetanus Cardinalis.
Trithemius Abbas.

V

Vincentius Historicus.
D. Vincentius Ferrerius.
Virgilius.
Vrbanus Secundus.
Vuierius.
Vulgata Editio.
Vulpellus.

X

Xenophon Colophonius.

Z

Zacharia Bouerius.

DE

DE DIVINIS
REVELATIONIBVS.
TRACTATVS PRIMVS.
In quo de Reuelationibus in genere, & in specie tractatur.

CAPVT PRIMVM.

1 OBSCVRVM prorsus, ac perpaucis calcatum iter aggredior, & vt verum fatear, libentèr hoc onus effugerem; si aliundè, siuè per alium tritiorem callem ad mihi propositæ difficultatis agnitionem peruenire permitteretur. Sed quia de reuelationibus consulis, per hanc mille inuolucris offusam viam perambulare coarctor. Aderit ille, sic confido, qui noctem illuminat, sicut diem, & de tenebris lucem edùcit, & ad eius splendorem nubilum omne clarescet. Nisi enim ille adsit, qui vnus existens, diuisiones gratiarum distribuit singulis, prout vult, ad ædificationem corporis Christi; diuersitatem spirituum discernere non valemus; quia, vt ait Apostolus: Quæ Dei sunt nemo cognouit, nisi spiritus Dei. 1. *Corinth. cap.* 2. *versu* 11. Quapropter dixit Gerson: [Sicut non omnium est prophætare, nèc euange-

lizare omnium est, nec omnium interpretari sermones; sed aliquorum ex officio vsque in finem sæculi, sic non omnium est probare spiritus si ex Deo sunt, sed quibus datum est &c.] *Alphabeto 19. littera R.* Illum ergo deprecor, qui dare potest, vt det. Et hoc superni luminis auxilio, ac sacrarum scripturarum, probatorumque auctorum doctrina opus aggredior. Et primo de ipsis reuelationibus erit sermo.

An sit Reuelatio, & vndè dicta.

SECTIO PRIMA.

2 REuelationem dari ex Sacra Scriptura habemus, vt illud *Ecclesi. cap. 22. et mysterij reuelatione; et cap. 42.* De reuelatione sermonis; nec in testamento veteri pluries repetitur hæc dictio; In nouo autem multoties inuenitur: vt *Lucæ 2.* Lumen ad reuelationem gentium. *Rom. 16.* secundum reuelationem mysterij *2. Corint. cap. 2.* veniam autem ad visiones, & reuelationes; & alibi. Nèc mirum si tàm raró in lege veteri hoc nomen inuenitur, quia apud veteres sapientes non erat in vsu; vt teste Diuo Hieronymo asserit Antiochus Brondus his verbis. [Verbum autem ipsum à quo reuelatio deriuatur, nempè, Reuelo, proprium est scripturarum, vt inquit *D. Hieronymus in primum cap. ad Galatas*, & à nullo sapientum sæculi apud Græcos vsurpatum. Quoniam quéadmo-

admodum in alijs verbis, quæ de Hebræo in Græcum septuaginta Interpretes transtulerunt; ita, & in hoc verbo, Reuelo, magnoperè sunt conati proprietatem peregrini sermonis exprimere, noua nouis rebus verba fingentes, vt planè sonaret, cum quid tectum, & velatum, ablato desuper operimento, ostenditur, & profertur in lucem]. Et nota, quod licèt D. Hieronymus tàm de verbo Reuelo, quàm de nomine ab illo deducto, scilicèt, Reuelatio, loquatur: tamen præcipuè intelligit de nomine ab illo deducto, nempe Reuelatio. Quoniam verbum, Reuelo, in libris Ethnicorum aliquando, licèt rarò, inuenitur, vt apparet in *Ouidio lib. 6.* Fastorum cum dicitur.

Ore reuelato, quum primum luce patebit;

tamē nomen ab hoc verbo deductū, nēpè, Reuelatio, nullibi apud Ethnicos reperitur. [Quapropter Reuelatio est nomen, quod à nullo sapientum sæculi apud Græcos fuit vsurpatum, eò quod nomen hoc Reuelatio apud Ethnicos in vsu non fuit. Quemadmodum Beare omnes ante Ciceronem dicebant, & Beatus: Cicero autem nomen hoc, scilicèt, Beatitudo, dicere ausus est, quod aùt nemo anteà dixit, aùt tunc dici planè cæpit; sic ante septuaginta Interpretes, permulti Ethnici scriptores dicebant, Reuelare, & Reuelatus: Septuaginta autem, Reuelatio, dicere ausi sunt, noua nouis rebus verba fingentes.] *Hæc Brondus in cap. 1. Apocalyph. paraphrasi 1. §. 1.*

3 Ex quo clarè huius nominis, & verbi, nempè,

Reuelare, & Reuelatio, etymologia deducitur: est enim dictio composita ex Re, & Velo; ac si dicatur remotio veli. Sicut enim si aliquid velo tegitur, dum sub velo manet, occultum est, & remoto velo, illud, quod erat occultum, fit palam, & manifestum: ita secretum, seu mysterium, quod sub velamine obscuritatis tegebatur, adueniente Reuelatione, idest Remotione illius velaminis, quod prius erat occultum fit manifestum.

4 Vnde sicut, Reuelare, idē est, ac secretum, quod prius contectum erat, detegere, & aperire; sic Reuelatio est detectio, seu aperitio alicuius mysterij, quod prius sub obscuritatis velo tegebatur. Quapropter, cum Deus secreta sua alicui manifestat, tunc dicitur, Reuelare. Hoc namque termino vtebatur Sapientia Incarnata, vt habetur *Matth. cap.* 11. Confiteor tibi Pater Domine Cœli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. *Et cap.* 16. *vers.* 17. Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui est in Cœlis. Eandem nominis Etymologiam inuenies apud Laurentium Beyerlinck in Theatro Vitæ humanæ verbo Reuelatio. Et est D. Bonauenturæ de septem itineribus æternitatis. *Itinere* 5. *dist.* 4. *par.* 3. *opuscul. tom.* 7. *Vide etiam Zamorum de Deo Trino, & vno tract.* 1. *quæst* 1. *art.* 1. *num.* 4.

Quid sit Reuelatio

SECTIO II.

1 Reuelatio, vt ex sententia Papiæ, ait D. Bonauentura loco supracitato *distinct.* 5. (est manifestatio eorum, quæ fuerunt abscondita). Siuè, vt ait Brondus citatus, (Reuelatio est manifestatio alicuius veritatis mediante aliquo lumine.) Vel vtramque diffinitionem amplectendo dici potest, quod Reuelatio est manifestatio alicuius veritatis absconditæ mediante aliquo lumine.

2 Nèc immoror in huius diffinitionis declaratione, ad ostendendam eius sufficientiam, cum per se clarè pateat, solum dico, quod non sine ratione addita est illa particula, mediante aliquo lumine. Quia cum intellectus noster, iuxtà Aristotelis doctrinam, se habeat tamquam tabula rasa, in qua nihil est depictum, libro primo de Anima; & cum, vt talis omne scibile, recipere possit, necesse est, vt tale scibile recipiat, mediātē aliquo lumine. Sicut enim visus absque lumine nō potest recipere colores, qui sunt ipsius obiectum; sic etiàm intellectus noster non potest intelligibilia percipere, nèc veritates aliquas intelligere, absque aliquo lumine.

3 Et cum lumen quo adiuuatur intellectus distinguatur in lumen naturale, ac supernaturale; & naturale

rale est illud, quod naturæ viribus haberi potest, supernaturale verò, quod præter naturæ leges ab ipso naturæ Auctore aliquo modo nobis infunditur, iuxtà illlud: Signatũ est super nos lumen vultus tui Domine *Psal.* 4. Hinc est, quod Reuelatio diuiditur in naturalem, & supernaturalem; vel in Reuelationem Diuinam, & reuelationem humanam.

4 Reuelatio humana, & naturalis est illa, quæ habetur, & recipitur ab homine de aliqua veritate recipienti prius ignota, & abscondita, mediante lumine naturali. Et hæc propriè pertinet ad scientiarum, ac Doctrinæ communicationem. Præceptor enim demonstrans suis discipulis per diuersa principia, & media veritatem suarum conclusionum, dicitur eis reuelare illius facultatis veritatem, quæ prius erat ipsis abscondita. Vndè actus ille, quo Magister, seù Præceptor docet discipulos veritatem naturalem, lumine, & doctrina naturali potest communiter, & largo modo loquendo appellari reuelatio; sed propriè, & stricto modo loquendo, hæc scientiarum manifestatio habita ab homine, lumine naturali, dicitur eruditio. Secundum illud, quod habetur *Prouerb. cap.* 14. *ver.* 33. Et indoctos quosquè erudiet; *&* *cap.* 16. *ver.* 23. Cor sapientis erudiet os eius, & *Psal.* 104. *ver.* 22. loquens de Iosepho constituto in Ægipto ait: vt erudiret Principes eius, sicut semetipsum.

5 Reuelatio verò supranaturalis, & Diuina est illa, quæ accipitur à Deo de veritate abscõdita mediãte ali-

quo

quò lumine supernaturale. Et licèt actus ille, quo homini manifestatur illa veritas abscondita, & omninò superans eius intellectum communiter, & impropriè loquendo dici, & appellari possit eruditio; quia in illo actu Deus se habet veluti Magister, & Præceptor docens, & proponens veritatem. Attamen hæc, quæ habetur à Deo lumine supernaturali dicitur Reuelatio Diuina. In qua quidem reuelatione Deus semper est proponens, & reuelans; siuè hoc faciat per se, vel per Angelos; Deus est ille, qui reuelat, quia ab eius voluntate talis reuelatio dependet. *Et ideò Danielis* 4. dicitur: Est Deus in Cœlo reuelans mysteria. *Et cap. 4. eiusdem*: Verè Deus noster Deus Deorum est, & Dominus Regum, & reuelans mysteria. *Et Amos cap. 3.* Non facit Dominus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos Prophetas &c. & 1. *Corint. cap.* 2. Vobis reuelauit Deus per Spiritum suum.

6 Diuiditur igitur reuelatio in Diuinam, & humanam. Et reuelatio Diuina est manifestatio alicuius veritatis supernaturalis, vel naturalis, mediante lumine supernaturali. Vtrasquè enim veritates, nempè naturales, & supernaturales Deus potest hominibus illicò manifestare lumine supernaturali. Et de supernaturalibus nulli dubium est, quia istæ ab Auctore supernaturali tantummodo manifestari possunt; nec alius infrà ipsum potest aliquid, quod naturæ vires excedat manifestare; Vndè *Isa. cap.* 40. *ver.* 13. habetur.

betur. Quis nouit sensum Domini; aut quis consiliarius eius fuit. De naturalibus autem habemus auctoritatem Apostoli ad *Romanos cap. 1. vers. 19.* vbi loquens de cognitione, quam habuerunt Philosophi, dicit: Quod notum est Dei, manifestum est in illis; & assignãs vndè talem manifestationem habuerint, adiungit statim: Deus enim illis manifestauit. Et vt intelligeremus hanc manifestationem esse veritatum naturalium, illicò subiungit: Inuisibilia enim ipsius per ea, quæ facta sunt à creatura mundi intellecta, conspiciuntur: Sempiterna quoquè eius virtus, & Diuinitas: Ita vt sint inexcusabiles &c. Sic D. Thomas explicat hunc Pauli locum: dicens: (cum dicit Deus illis manifestauit, ostendit à quo Auctore huiusmodi cognitio eis fuerit manifestata. Deus autem dupliciter aliquid manifestat: Vno modo infundendo lumen interius, per quod homo cognoscit. *Psal.* 42. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam. Alio modo proponendo suæ sapientiæ signa exteriora, scilicèt sensibiles creaturas. *Ecclesiast. cap.* 1. effundit illam, scilicèt, sapientiam super omnia opera sua. Sic ergo illis Deus manifestauit; vel interius infundendo lumen, vel exterius proponendo visibiles creaturas, in quibus sicut in quodã libro Dei cognitio legeretur &c.) Vndè colligitur, quod cum Creator possit ratione naturali à nobis cognosci; vt docent omnes Theologi. Et Deus dedit, & manifestauit illis Philosophis talem cognitionem; colligitur dicò, quod reuelatio Diuina non

solum

solum est de veritate supernaturali, sed etiam de veritate naturali.

7 Et hic notandum est, quod Deus alitèr reuèlat veritates naturales, & alitèr supernaturales. Nàm veritates naturales reuèlat infusione tantummodò luminis supernaturalis, non autem noua propositione, aut noua doctrina, sed eisdem propositionibus, eadémquè doctrina, quas in se habent ipsæ veritates naturales; & per quas naturaliter acquiri poterant. At quando reuelat veritates supernaturales, non solum hoc facit infusione luminis supernaturalis, verum etiam hoc facit cum nouis propositionibus, & cum noua doctrina; quæ prius erant omnino occulta, & nulla ratione, aut lumine naturali poterant adipisci. In quo casu Deus reuelans se habet, vt Præceptor, ac Magister. Secundum illud, quod ad Iesum dixit Nicodemus: Scimus quia à Deo venisti Magister: *Ioan. cap. 3. et cap. 5.* Idem Ioannes refert illa verba Saluatoris: Omnis, qui audiuit, & didicit à Patre meo, venit ad me. Reuelatio igitur Diuina est manifestatio veritatis absconditæ mediante lumine supernaturali.

De multiplici Reuelationum Genere.

SECTIO III.

1 CVM Diuinæ Reuelationes sint opus ad extrà, & per consequens à Deo liberè fiant, nèc

 modi,

modi, nec modorum numerus à nobis in rebus Diuinis assignari potest. Attamen quia vt dicit Apostolus. Multifariam multisque modis, olim loquutus est Deus Patribus in Prophætis; ex his modis, quibus per suam pijssimam misericordiam seipsum humano generi manifestare dignatus est, faciliter deducere possumus modos, quibus reuelationes fieri contingit.

2 Et ex his, quæ in Sacra Scriptura habetur quinque modos tradit Abulensis. Primo modo per apparitionem in effigie assumpta, & realem loquutionem scilicet, quod Angelus Domini assumat figuram humanam, & loquatur personæ cui fit reuelatio. Sic enim loquutus est Angelus Gedeoni *Iudit. cap. 6.* sic etiam loquutus est Patri, & Matri Sampsonis *Iudic. cap.* 13. & sic etiam Zachariæ Patri Ioannis Baptistæ. Apparuit autem illi Angelus Domini, stans à dextris Altaris incensi, & Zacharias turbatus est. *Luc. cap.* 1. *ver.* 11. secundo modo fit, quod aliqua vox formetur ab Angelis, quæ dirigatur ad hominem, & tamen illam vocem formans non videatur, sicut fuit in traditione Legis: *Exod. cap.* 20. *Et Deut. cap.* 4. *vers.* 12. vbi dicitur: Loquutus est Dominus ad vos de medio ignis. Vocem verborum eius auditis, & formam penitus non vidistis. Tertio modo fit in somnijs, quia tunc Deus mouet phantasiā hominis ad intelligendū aliquid, quod prius non poterat intelligere naturaliter. Et hoc fit, quia format noua phantasmata in cellula phātastica, per quæ causatur nouus actus phan-

tasiandi,

tasiandi, vel species præexistentes nouo modo ordinat; ita vt per illas intelligatur aliquid, quod non intelligebatur aliàs; & iste modus erat frequentatus apud Prophætas, vt patet *Num. cap.* 12. Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei; aut per somnium loquar ad illum &c. Et *Ioel. c.* 2. Iuuenes vestri visiones videbunt, & senes vestri somnia somniabunt. Quarto modo potest fieri per immutationem intellectus sine apparitione aliqua exteriori, sine voce, sine somnio & sine extasi; & hic modus obseruatur in Eliseo, cui corã duobus Regibus factũ est verbũ Domini canéte Citharista, vt habetur 4. *Reg. cap.* 3. *ver.* 15. Cũque caneret psaltes facta est super eum manus Domini, & ait: Hæc dicit Dominus &c. Vbi non fuit nisi immutatio intellectus; quia alij modi pro tũnc illi Prophetæ non conueniebant; vt probat *Abulens. in dicto cap.* 3. *libri* 4. *Reg.* & in hoc quarto modo licèt fiat immutatio in intellectu, nulla tamèn fit mutatio in corpore, sed existente homine ad quemcumque actum conuerso, potest ei fieri reuelatio.

3 Quintus denique modus fit per extasim, scilicèt quando abstrahitur homo ab omnibus actibus corporeis; intantum, quod non videatur Anima manère in corpore, cum sit corpus destitutum ab omni operatione vitali apparente; sicut fuit de Beato Paulo, qui de raptu suo dixit se nescire, an fuit in corpore, an extra corpus. 2. *Corinth. cap.* 12. Et hæc reuelatio, quæ fit per extasim, vtpotè, omnium excellentissima non fiebat à

Deo in veteri Testamento, ait *Tostatus 2. Paralip. cap. 11. quæst.* 10. Quia illi non eleuabantur ad contemplandam Diuinam Essentiam, sed ad intelligendum alia mysteria valde inferiora. At quando Anima rapitur ad considerandum aliquod excellens intelligibile, quod non potest percipere, nisi Anima secundum omnes vires suas sit attenta illi speculabili, & quod ad hoc, quod tota intenta sit, necesse est, quod non maneat attenta alicui alteri speculationi, vel operationi; oportet, quod tunc cesset ab operationibus vitalibus, & animalibus, quas exercet circa corpus, & tunc apparet corpus mortuum, cum sit destitutum omni operatione vitali apparente. Et sic fuit in Paulo, qui in illa extasi in qua raptus ad tertium Cœlum audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui 2. *Corint. cap.* 12. fuit taliter destitutus ab omnibus operationibus vitalibus, & animalibus, vt ipse se dicat nescire, an fuerit in corpore, vel extra corpus; Tota namquè Anima rapta erat in Deum. Hos quinquè modos, quos in se hominibus reuelando tenuit Dei benignitas, tradit *Abulensis* 3. *Reg. cap.* 13. *quæst.* 18. *Et* 2. *Paralip. cap.* 11. *quæst.* 10.

4 Reuelationes plerumquè fieri iuxta flumina, seu iuxtà aquas, tradit *Laurentius Beyerlinck, titul. Reuelatio, ex sententia D. Hieronymi in cap.* 10. *Danielis*. Et ita Ezechiel iuxtà fluuium Chobar vidit visiones Dei. *cap.* 1. *et* 3. *Daniel.* iuxta Tigrim præclaram visionem habuit *cap.* 10. & Hebræi in captiuitate Babylonica

egres-

egressi ciuitatem iuxtà flumina Babylonis sedebant orantes, ac meditantes. Et etiã Ioanni Baptistæ Christum Baptizanti, iuxtà Iordanem de Christo facta est reuelatio. *Ioan. cap.* 1. *ver.* 29. Hebræi quoque tradunt spiritum propheticum amare flumina.

5 At cum spiritus Domini nèc loco, nèc tempori sit alligatus, sed vbi vult, & quando vult spirat. *Ioan. cap.* 3. dicendum, quod si aliquando, aut plerumque reuelationes Dei factæ sint iuxtà aquas, moralitèr hoc designat, quod Dei visitationes recipiuntur in decursu, & affluentia lachrymarum, & iuxtà torrentem afflictionum; sicut dixit Angelus ad Danielem Prophætam: Ex die primo quo posuisti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua &c. *Daniel. cap.* 10. *ver.* 12. Et cum esset in tanta animi afflictione, ac cordis contritione, tùnc Deus per Angelum suum reuelauit illi mysteria, quæ ibi sanctus Prophæta describit. Cæterum vanum puto, quod tradunt Hebræi, scilicèt, quod spiritus prohetiæ delectetur fluminibus, & quod reuelationes fiant iuxta aquas. Et illud Ezechielis, quod vidit visiones Dei iuxtà fluuium Chobar, volunt nonnulli, quod ibi Prophæta per methatesin loquatur, & voluerit dicere iuxtà influentiam Cherub ad ostendendum, quod Angelus, qui ipsi reuelabat mysteria erat vnus de Cherubim.

De alijs speciebus Reuelationum.

SECTIO IV.

1 PRæter supradictos modos, quibus omnipotẽs sua hominibus secreta reuelare dignatus est, alij etiam in sacra Scriptura reperiuntur modi. Nàm alia manifestabantur per Prophætiam;alia per Oracula; alia per Inspirationem;& alia per Instinctum;& per hos etiã Diuinæ reuelationis gradus breuitèr discurrendo dico, quod Prophetia multiplicitèr accipitur in sacra Scriptura, sicut in eadem scriptura multiplicitèr etiam accipitur Prophæta,& Prophetare.

2 Prophetare namquè idem aliquando in sacra Scriptura sonat, àc canere,& psallere. Et per catachrèsim etiam gentiles Poetas vocauerunt Prophani Vates,& Prophetas; isti enim quodam furore,ac enthusiasmo perciti sua carmina componebant, vt testatur *Ouid. lib.6. Fast.*

Est Deus in nobis: agitante calescimus illo.
Impetus hic sacræ semina mentis habet.

Et in hoc sensu Paulus scribẽs ad Titum,Epimenidem Poetam, Prophetam appellauit dicens: Dixit quidam ex illis proprius ipsorum Prophæta:Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ &c. *ad Tit.cap.1.ver.12.* Vbi D.Thomas ait: (Nota quod Propheta aliquis dicitur, qui à Deo illuminatur secundum intellectum ad co-

cognoscendum aliqua supra communem cognitionē.)

3 Et in hac prima acceptione sub nomine prophetarum transeunt in Sacra Scriptura omnes cantores, qui in Templo, & ante Arcam Domini psallebant; & de istis 1. *Paralip. cap.* 15. *ver.* 20. ait Sacer Textus. Zacharias autem, & Oziel in Nablis arcana canebant &c. *&* *ver.* 22. Chonenias autem Princeps Leuitarum Prophetiæ præerat, ad præcinendam melodiam, erat quippe valdè sapiens. Vbi Tostatus explicans illa verba: Prophetiæ præerat, ait: (Idest, erat Præpositus in faciendo Psalmos, & canēdo illos. Vocatur enim Prophetia quæq; laus Dei. Et ideo quando Leuitæ canebant aliquas laudes Dei dicebantur prophetare.) Sic Abulensis ad litteram: Sic etiam explicat illa verba, quę de Sacerdotibus Baal habentur 3. *Reg. cap.* 18. *ver.* 29. (Postquam autem transijt meridies, & illis prophetantibus &c, scilicèt manebant isti prophetæ Baal semper prophetando, idest laudando Baal, & inuocando eum) idem Abulensis ad litteram.

4 Secundo Prophetæ dicebantur Arreptitij, illi scilicèt, qui arripiebantur quadam spiritus vi, & aliqua effutiebant vel in laudem Dei, vel ad ædificationem proximorum, prout spiritus eos ad loquendum mouebat. Sic de Saul habetur 1. *Reg. cap.* 10. *ver.* 6. cum enim ei dixisset Samuel: Et insiliet in te spiritus, & prophetabis, & mutaberis in virum alterum &c. cum venisset ille cuneus prophetarum obuiam ei; adiungit Sacer Textus: Et insiluit Spiritus Domini super

per eum, & prophetauit in medio eorum. Et hoc sæpius accidit Sauli; & præcipuè in *cap.* 18. *&* 19. 1. *lib. Reg.* arreptus fuit ſpiritus, & prophetauit (vt interim Dauid, qui erat præſens haberet locum fugiendi,) vt ait *Abulenſ. in cap.* 7. *Matt. quæſt.* 32.

5 Tertio prophetare accipitur pro docere, àc prædicare. Et in hoc ſenſu intelligit Abulenſ. Illa verba *Matt. cap.* 7. Nonnè in nomine tuo prophetauimus &c. (ſcilicèt Fidem tuam prædicauimus, quod eſt in nomine tuo prophætare.) In quo etiam ſenſu loquitur Paulus 1. *Corint. cap.* 14. *ver.* 5. Volo autem vos loqui linguis, magis autem prophætare; Nam maior eſt qui prophetat, quam qui loquitur linguis, niſi fortè interpretetur, vt Eccleſia ædificationem accipiat &c. In quò loco prophetare idem ſonat, àc ſacras ſcripturas, Prophætias, & Diuina Myſteria explanare, àc de ipſis alios docere, & inſtruere ad Eccleſiæ ædificationem; vt explicat D. Thomas hunc locum Pauli *lect.* 1. *&.* 2.

6 Quarto Prophetia accipitur pro operatione miraculorum; Vndè miracula operari, accipitur aliquando in Scriptura Sacra pro Prophetare. Sic quando Chriſtus ſuſcitauit à mortuis Filium Viduæ in Ciuitate Naim, clamauit Populus *Luc. cap.* 7. *ver.* 16. Propheta magnus ſurrexit in nobis. De Eliſeo Propheta dixit *Eccleſiaſt. cap.* 48. *ver.* 14. Nec ſuperauit illum verbum aliquod; & mortuũ prophetauit corpus eius. Quo encomio Sacer Panegyriſta alluſit ad factum,

quod

quod deſcribitur 4. *Reg. cap.* 13. *ver.* 21. Quidam autem ſepelientes hominem viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in ſepulchrum Eliſei, quod cum tetigiſſet oſſa Eliſei, reuixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos. Idem de oſſibus Ioſeph dicit *Eccleſiaſt. cap.* 49. *ver.* 17. Et oſſa ipſius viſitata ſunt, & poſt mortem prophètauerunt. Ideſt confirmauerunt prophètiam, quam fecit in morte, dicens *Gen. cap.* 50. Deus viſitabit vos: aſportate oſſa mea de loco iſto.

7 Quinto prophètia accipitur pro reuelatione, ſeù interpretatione myſteriorum, & arcanorum. Sic enim appellatus eſt Aaron *Exod. cap.* 7. *ver.* 1. Dicitquè Dominus ad Moyſen: ecce conſtitui te Deum Pharaonis; & Aaron Frater tuus erit Prophèta tuus &c. Deus enim loquebatur ad Moyſen, & Moyſes per Aaron notificabat Pharaoni, quæcumquè Deus præcipiebat. Et in hac acceptione, prophètare, ſignificat etiam interpretari, & explanare arcana Sacræ Scripturæ profunda, & ab humana cognitione remota myſteria, ſenſus reconditos reſerare ad profectum fidelium, & ad ædificationem Eccleſiæ. In quo ſenſu loquitur Paulus 1. *Corint. cap.* 14. *ver.* 6. dicens: Quid vobis prodero, niſi vobis loquar in reuelatione, aùt in ſcientia, aùt in prophètia, aùt in doctrina? &c. ſic explicat hæc verba Pauli D. Thomas 1. *Corint. cap.* 14. *lect.* 2. *&* 3.

8 Sextò demùm prophètia accipitur pro prænotione, & prædictione futurorum, (& hanc ſic diffinit

Caſſiodorus: Prophètia eſt Diuina inſpiratio rerum futura, immobili, veritate, denuncians, Caſſiod. Præfatio. In Pſal.) Vel vt alij dicunt. (Prophètia eſt Diuina inſpiratio rerum à nobis procul diſtantium euenta, immobili veritate, & maxima cùm certitudine, prænoſcens, atquè prænuncians.) Hanc diffinitionem inuenies apud Delrium *lib. 4. diſquiſit. magic. cap. 1. quæſt. 1.* Et apud Laurentium Beyerl. in Theat. titulo Prophètia. Et in hac ſexta, & vltima acceptione veniunt omnes Prophètæ, qui de Chriſto eiuſquè myſterijs antè ipſius Aduentum ſcripſerunt. Ad Chriſtum namquè, eiuſquè Eccleſiam collimarunt omnes Prophètæ veteris Teſtamenti.

De Prophètia, quæ eſt Inſpiratio rerum à nobis diſtantium.

SECTIO V.

1 PRophètia igitur, in ſexta, & vltima acceptione, eſt Diuina inſpiratio rerum à nobis procùl diſtantium euenta immobili veritate, & maxima cum certitudine, prænoſcens, atquè denuncians; quam diffinitionē per partes explicat Delrius loco citato. &

2. Primo dicitur, quod eſt Inſpiratio, & ponitur inſpiratio loco generis, proùt ſcilicèt complectitur quemlibet influxum, inſtinctum, illuminationem, aùt reuelationem. Et hanc Deus aliquandò largitur Angelis

gelis bonis, vt prædicant alijs futura, sicut de euersione Sodomorum; & similibus. Aliquandò largitur hominibus, tàm viris, quàm fœminis, maximè probis, àc Sanctis; Vt Eliæ, Isaiæ, Deboræ, Oldæ, & quam plurimis alijs, quorum laus est in Sacris Historijs. Et interdùm etiam largitus est improbis, vt Balaam, & Caiphæ, & Sauli. Et aliquandò Deus hanc inspirationem confert inuitis, & nescientibus se ex inspiratione agere, aùt loqui, vt postèa dicetur.

3 Secundò additur: Diuina, contra Artephium; & Rugerium Baconem, aliosquè Arabos Astrologos, qui prophètiam Astrorum influentijs tribuunt. Contra Aristotilem, & Peripateticos, qui è corporis humoribus prouenire contendunt. Contra Moysem Ægyptium, Auicennam, & Algazelem, qui naturali industriæ, àc studio adscribunt, qui omnes maximoperè falluntur. Nàm prophètia est donum Spiritus Sancti, nulla humana voluntate, allatũ. Sicut testatur *D. Petrus in 1. sua Canonica c. 1. ver. 12.* vbi ait, quod Prophètæ prophètauerunt de nostra salute Spiritu Sancto misso de Cœlo, in quem desiderát Angeli prospicere. Et D. Paulus 1. *Corint. cap.* 12. Alij operatio virtutum, alij prophètia, alij genera linguarum &c. Hæc autem omnia operatur vnus, atquè idem spiritus diuidens singulis proùt vult. Vbi, notat D. Thomas *lect.* 2. in fine excludit Apostolus tres errores; primò errorem Gentilium attribuentium diuersa dona diuersis Dijs; secundo errorem eorum, qui Deo attri-

buunt solum vniuersalem prouidentiam rerum; ponentes quod distinctiones particularium fiunt solùm per causas secundas. Et tertiò excludit errorem eorũ, qui diuersitatem gratiarum attribuunt vèl fato, vèl humano merito, & non solum voluntati Diuinæ. Vndè D.Hieronymus in Danielem Prophètam ait: (Solos veros Prophètas Dei Spiritu loquutos, nèc alios Prophètarũ nomen mereri, quàm qui Spiritus Sancti luce collustrati futura prædicunt.)

4 Tertiò ponitur, rerum à nobis procul distantiũ; quæ quidem res in triplici sunt discrimine; & primò sunt ea, quæ suaptè natura longè distant ab humana cognitione, vt sunt abstrusiora Dei consilia, mysteria fidei, & similes res Diuinæ. Sic fuit illa prophètia, quæ de Christo loquitur *Deutor. cap.* 18. *ver.* 15. Prophètam de gente tua, & de Fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies &c. Secundo loco sunt illæ res, quæ non ex sua natura, sed ex ratione modi cognoscendi sunt à nobis distantes; vt quandò aliquis supernaturali illustratus lumine enunciat ea, quæ nulla humana ratione didicit. Vt quando Petrus reprehendit Ananiam, & Saphiram de fraudato pretio agri. *Act. cap.* 5. Et quando Eliseus dixit Giezi Puero suo: Nonnè cor meum in præsenti erat, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tuum &c. 4. *Reg. cap.* 5. *ver.* 26. Et tertiò sunt illæ res, quæ procul à nobis distant ratione temporis, vèl præteriti, vèl futuri. Præteriti, quando scilicèt ob

ma-

magnam antiquitatem res, quæ præcesserunt ab omnium memoria sunt deletæ. Et hoc modo Moysen describentē Mundi creationē prophètasse dicit D. Gregorius super Ezechielem; Vel ratione temporis futuri, in quo contingentes euentus continentur, quorum cognitio soli Deo reseruata est; Iuxtà illud *Isa. cap.* 41. *ver.* 23. Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dij estis vos. Et in hoc sensu magis propriè accipitur Prophètia, quatenùs scilicèt est cognitio rerum procùl à nobis distantium ratione temporis futuri. & hoc de mente Abulensi *in cap.* 11. *Num. quæst.* 54. Et hic triplex gradus distantiæ, quam à nostra cognitione possunt habere res, traditur à D. Thoma 2. 2. *quæst.* 171 *art.* 3. à Lirano in Prologo super Psalterium. Et ab Antiochò Brondo *quæst.* 4. *in cap.* 1. *Apocalyp.*

5 Quartò ponitur: Immobili veritate, ad distinctionem Prophètiæ conditionatæ. Est enim duplex prophètia vna absoluta, altera conditionata. Absoluta dicitur prophètia scientiæ, seù præscientiæ. Et huius effectus semper prædictioni respondet; quia in hoc casu res considerantur, prout existunt in ipso Deo, & à quo solo dependent, qui solus est immutabilis. Conditionata verò dicitur prophètia comminationis, siuè consilij. Et in hac, quia considerantur res, prout dependent à causis secundis, quæ sunt mutabiles, potest esse mutatio, vt fuit illa Isaiæ ad Ezechiam 4. *Reg. cap.* 20. *ver.* 1. Præcipe Domui tuæ, morieris enim tu, &

non

non viues. Et *Ionæ cap*. 3. Adhùc quadraginta dies,& Niniue subuertetur. Erant enim istæ, & similes Prophètiæ comminatoriæ, & consultiuæ; vt scilicèt resipiscerent homines. Et habito fine resipiscentiæ, non amplius habebat locum illa comminatio. Nèc est mirum si talis Prophètia est mutabilis, quia cum eius effectus dependeat à mutatione nostræ voluntatis de malo in bonum; sequitur illud, quod dicit D. Ambrosius *lib*. 2. *in Luc. cap*. 1. *circa finem*: (Nouit Deus mutare sententiam, si tu noueris emendare delicta.)

6 Quintò ponitur, maxima cum certitudine; Quia quibus fit reuelatio, solent à Deo sic mente illustrari, & voluntate affici, & de fide, àc veritate reuelationis certiores reddi; vt apertè àgnoscant,& firmissimè credant, Deum esse reuelationis, siuè visionis Auctorem. Et possunt: nescio (vt ait D. Gregorius) (nescio quo intimo sapore discernère, se nèc humanis somnijs, nèc diaboli fraude illudi; sed certò certius sciunt hoc sibi lumen Dei dono concessum.) Quod etiam de sua Sancta Matre tradidit D. Augustinus *lib*. 6. *confessionum cap*. 13. (Dicebat enim discernere se, nesciò quo sapore, quem verbis explicare non poterat, quid interesset inter reuelantem te, & animam suam somniantem.) Et B. Catharina Senensis in dialogo edocta per Christum, sic ait: (Mens post visionem sentit se amore virtutis ampliori succensa; & hoc est infallibile signū quòd Anima à suo Sponso visitata sit.) Et in illo lumine supernaturali sibi infuso adèo clarè vident futura, re-

busquè visis sic firmum præbent assensum, vt faciliùs negarent prima scientiarum principia, quàm veritatem rerum, quas in illo lumine vident. Et hoc supernaturale lumen, quod cum veris reuelationibus infundi solet, Mystici Theologi appellant: Saporem internum, intimam inspirationem, dulcedinem experimentalem, Diuinam illustrationem, sensum nimis sensibilem, absconditum manna, donum discretionis spirituum &c. Et quandò hoc lumen in reuelatione datur, grauitèr peccat, qui huiusmodi reuelationi fidē non præbet; Vndè Zacharias remansit mutus, quia non credidit reuelationi sibi factæ per Angelum *Luc. cap.* 1. Et ille Prophèta, qui non obediuit voci Diuinæ, vt non comederet panē, neq; biberet *in Beth-el* à Leone interfectus est, vt habetur 3. *Reg. cap.* 13. Et de hac prophètiæ certitudine loquitur *D. Thom.* 2. 2. *quæst.* 171. *art.* 5. & differt certitudo prophètiæ à certitudine fidei; quia ista est sinè euidentia; & illa cum euidentia. Fides enim est cognitio certa, & ineuidens; prophètia verò est cognitio certa, & euidens, vt colligitur ex *D. Thoma* 2. 2. *quæst.* 171. *art.* 5. *& quæst.* 133. *art.* 4. & alibi, relato *à Brondo disput.* 2. *quæst.* 2. *in cap.* 1. *Apocal. vbi ait in assertione* 6. (quod Prophèta habet certitudinem quò ad duo, nempè quòad reuelationem, quod hæc scilicèt sit à Deo; & quòad reuelata, cognoscendo ea vera esse, & certa, vt reuelantur.)

7. Demum ponitur: Prænoscens, atquè denuncians;

cians; Quia cum prophètia data sit ad Ecclesiæ ædificationem; alijs debet denunciari; & ad hoc vt denuncietur, debet prius prænosci, & intelligi, à denunciante, nè velut Arreptitius, seù Phanaticus loquatur. Et ideò Angelus, qui venit ad Danielem Prophètam, ùt ei Diuina mysteria reuelaret; ante omnia ei dixit: Daniel vir desideriorum intellige verba, quæ ego loquor ad te *cap.* 10. *ver.* 11. Et has duas vltimas particulas tractat *D. Thomas in cap.* 14. 1. *Corin. lect.* 1. Vbi ait, (quod secundum, quod exigitur ad prophètiam, est lumen intellectuale illuminans intellectum ad ea, quæ supernaturalem cognitionem nostra ostenduntur, cognoscenda.) Nisi enim ad similitudines sensibiles in imaginatione formatas intelligendas adsit lumen intellectuale, quo tales similitudines prænoscantur, & intelligantur, ille, cui similitudines huiusmodi ostenduntur, nòn dicitur Prophèta, sed potius somniator; sicut Pharao, qui licèt viderit spicas, & vaccas, quæ erant indicatiua futurorum quorundàm, quia tamèn non intellexit, quod vidit, non dicitur Propheta, sed potius ille, scilicèt Ioseph, qui interpretatus est. Et proptèr hoc dicitur *Danielis cap.* 10. Intelligentiæ opus est in visione. Tertium quod exigitur in Prophètia est audacia ad annunciandum ea, quæ reuelantur ad hoc enim Deus reuelat, vt alijs annuncientur.

De Gradibus Prophètiæ.

SECTIO VI.

1 LIcèt, quæ de Reuelatione *sect.* 3. dicta sunt, dēt aliquam notitiam de Gradibus Prophètiæ; Attamen ad maiorem claritatem etiam, & hos breuitèr percurram. *Figuerola prima parte cōtra Iudæos, & Petrus Antonius Beuter libro Annotationum in Sacrā Scripturam Annot.* 3. *dicunt,* quod Doctores Hebræi Prophètiam in quinquè gradus distinguunt. Quorum primus est, quando fit illustratio Diuina per abstractionem à sensibus exterioribus, sicut fit in somno. *Daniel. cap.* 7. *ver.* 1. Daniel somnium vidit: Visio autem capitis eius in cubili suo: Et somnium scribens breui sermone comprehendit summatimquè perstingens; ait: Videbam in visione mea nocte: Et ecce quatuor venti Cœli pugnabant in mari magno &c. Idem dicitur de illo sopore, quem Deus immisit in Adam. *Gen. cap.* 2. *ver.* 21.

2 Secundus gradus Prophètiæ est, quando fit in vigilia per imaginariam visionem; & sic tamquam in speculo quodam à Prophèta Dei reuelatio contemplatur. Vt patet de visione *Ezechielis cap.* 1. Aperti sunt Cœli, & vidi visiones Dei &c. Et de visione *Isaiæ cap.* 6. *ver.* 1. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, & ea, quæ sùb ipso erant replebant Templum.

3 Tertius gradus Prophètiæ apud Hebræos est, quandò in vigilià apparet Angelus, & docet. Patet *Daniel. cap. 9. ver. 21.* Adhùc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in visione à principio, citò volans tetigit me in tempore Sacrificij vespertini, & docuit me, & loquutus est mihi, dixitq; Daniel: Nunc egressus sum, vt docerem te, & intelligeres &c.

4 Quartus gradus est, quandò sola mentis illustratione intellectus illuminatur, & leuatur ad notitiam veritatis supernaturalis; & hanc habuit Dauid, & de hac ipse loquitur *in Psal.* 118. dicens: super senes intellexi, quia mandata tua quæsiui.

5 Quintus deniquè gradus Prophètiæ est, quandò additur supradictis modis dignitas specialis maximè in tribus. Primò scilicèt quum figura humana, vèl alia quauis figura loquitur Deus præsentialitèr, vt ait *Numer. cap. 12. ver. 6.* Si quis fuerit inter vos Prophèta Domini in visione apparebo ei. Secundò, quandò Deus familiaritèr loquitur sicut amicus cum amico; vt habetur *Exodi cap. 33. ver. 11.* Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum. Et tertiò, quum loquitur Dominus Ptophètæ pro libito voluntatis ipsius; vt habetur *Num. cap. 9.* Vbi interrogatus Moyses ab illis, qui erant immundi, quid agere debebãt, quia non poterant facere Phase in die à lege præscripto; respondit Moyses *uer.* 8. State vt consulam quid præcipiat

piat Dominus de vobis. Loquutus est Dominus ad Moysen &c. In qua alloquutione habuit Moyses responsum super proposita quæstione. Et hoc notat Abulensis in Moyse, de quo *cap.* 12. *Numeri quæst.* 33. dicit, quod: (Imaginaria visio promptior erat Moysi, quam alijs Prophètis, quia cum volebat, Deus eum interius docebat. Etiam videbat, & audiebat vocem Angeli quandocumq; de aliquo dubio inquirere vellet; quia intrabat tùnc in Sancta Sanctorum, & audiebat vocem loquentis ad se.)

6 Idem Abulensis *in cap.* 12. *Numer. à quæst.* 30. *usquè ad* 36. pertractans hanc materiam ponit sex gradus prophètiæ, tres scilicèt minores, & tres maiores. Et inter minores, primus gradus est per visum, vèl per auditum; de quo in dicto *cap.* 12. dicitur: In visione apparebo ei &c. Secundus est per somnium; de quo ibidem dicitur: Vèl per somnium loquar ad illum. Tertius verò est, quando Deus per solum intellectum, sinè mutatione exteriori cognoscebatur ab aliquo Prophèta, sicut cognitus fuit à Moyse, vt habetur *eodem cap.* 12. *Num:* Ore enim ad os loquar ei. Alij verò tres maiores gradus Prophètiæ sunt: Primus per extasim. Secundus verò in vigilia per speciem visibilem, vèl audibilem in sensibus facta, mediante lumine supernaturali, cognoscendo aliqua occulta, vèl per speciem impressam à Deo immediate in imaginatiua, siuè in exteriori sensatione. Tertius tandem est in eis, qui per solam speciem intelligibilem in vigilia sine

aliqua ſenſatione in viſu, vèl auditù, nèc per aliquam impreſſionem ſpeciei in ſenſibus interioribus fit.

7 Et aſſignans rationem talis diuerſitatis in *citata quęſtione* 36. *ait*:(Ratio diuerſitatis iſtarum aſſignationum eſt, quia prima accipitur penes dignitatum potentiarum per quas cogniſcitur. Secunda verò aſſignatio accipitur per maiorem, & minorem impreſſionem. Nàm in aſſignatione iſta ſecunda ſemper attenditur ad intellectum, & ſecundum maiorem, vèl minorem eius immutationẽ differt gradus Prophètiæ. In priori autem aſſignatione non ſemper attenditur ad intellectum, quinimmò accipiuntur tria diſtinctiua graduum Prophètiæ ſecundum tria genera potentiarum, ſcilicèt ſenſitiuas exteriores, & ſenſitiuas interiores, & intellectiuam). Quod quidem idem Abulenſis latè diſſerit, *quæſt.* 35. *in cap.* 12. *Numer.*

De Oraculo.

SECTIO VII.

1 CVm in ſacra Scriptura reperiamus, quod in dubijs conſulebant Oraculum, *vt Num. cap.* 7. *ver.* 89. Cumque ingrederetur Moyſes Tabernaculum fœderis, vt conſuleret Oraculum; audiebat vocem loquentis ad ſe &c. *Et* 2. *Reg. cap.* 11. *ver.* 1. Conſuluit Dauid Oraculum Domini. Dixitque Dominus: Propter Saul, & domum eius &c. operę pre-

tium

tium duxi ad pleniorem reuelationum intelligentiam, etiam de tali Oraculo aliquid innuere.

2 Duobus modis in lege veteri habebantur Diuina responsa; vno per Sacerdotes, & altero per Prophetas. Et licèt Sacerdos esset simul Prophèta, & Sacerdos; alitèr tamèn respondebat, vt Sacerdos, & alitèr, vt erat Prophèta. Nàm Prophèta, vt Prophèta respondebat, & prophètabat per illos gradus Prophètiæ, quos *sectione 6.* retulimus: At Sacerdos, vt Sacerdos respondébat per Oraculum.

3 Erat autem Oraculum illa pars Templi in qua erat Arca fœderis, & vocabatur Sancta Sanctorum; sic ait *Abulensis 2. Paralip. cap. 5. quæst. 20.* dicens; (Nàm locus Arcæ erat Sancta Sanctorum, & illuc nùnc introducta est. Et vocatur locus iste Oraculum). Accipitur Oraculum multiplicitèr: vno modo pro responso vocalitèr dato, & dicitur Oraculum ab ore; & sic dicimus viuæ vocis Oraculo aliquid fuisse responsum. Secundò modo vocatur Oraculum in sacra Scriptura pro ipso propitiatorio Arcæ, quod erat opertoriū eius; & sic dicitur *Leuitici 16.* Quod non introeat summus Sacerdos omni tempore in Sancta Sanctorum; quia Deus apparebat in nube super Oraculum, idest super Propitiatorium. Et vocatur isto modo Oraculum à primo modo, scilicèt, quia super illud opertorium Arcæ audiebatur Diuinum responsum vocalitèr: vt patet *Numer. cap. 7:* scilicèt, quod Moyses cum vellet consulere Dominum, introibat in Tabernaculum fœderis

ris coram Arca, & audiebat vocem loquentis ad se de Propitiatorio &c. In isto igitur loco dabantur Oracula, seù Diuina responsa.

4 Sed sciendum, quod ista Oracula non semper dabantur in Sancta Sanctorum, vbi erat Arca Domini: Et hoc patet primò; Quia in hunc locum, qui vocatur Sācta Sanctorum semel in anno introibat summus Sacerdos, vt dicit *D. Paulus ad Hebraeos cap. 9. vers. 6.* In priori Tabernaculo semper introibant Sacerdotes, in secundò autem (scilicèt in Sancta Sanctorum) semel in anno solus Pōtifex &c. Et hoc in *Leuitico cap. 16.* cautum erat. Loquere ad Aaron fratrem tuum, nè omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod est intra velū coràm propitiatorio, quo tegitur Arca, vt non moriatur, quia in nube apparebo super Oraculum, nisi hæc anteà feceris. Et postquā Dominus iussit omnia, quæ summus Sacerdos obseruare debebat, quando ingreditur in Sancta Sanctorum conclusit *versu 34.* quod hoc esset semel in anno. Ergò si semel in anno patebat ingressus in Sancta Sanctorum; in alijs temporibus Oracula, & responsa Diuina habebantur in alio loco.

5 Secundò patet, quia Diuina responsa habebantur etiam per applicationē Ephod, vt habetur *1. Reg. cap. 23. ver. 9.* Dixit Dauid ad Abiathar Sacerdotem applica Ephod &c. *& cap. 30. ver. 7.* Applicauit Abiathar Ephod ad Dauid, & consuluit Dauid Dominum &c. Et in vtroquè loco, per applicationem Ephod habitum est responsum à Domino. At Sum-

mus

mus Sacerdos, quandò ingrediebatur femel in anno Sancta Sanctorum non erat accinctus Ephod, fed alijs veftibus, vt habetur *Leuit. cap. 16*. Ergo Oracula Diuina, quæ habebantur per applicationem Ephod, recipiebantur non in fecundò Tabernaculo, quod dicebatur Sancta Sanctorum, fed in primo Tabernaculo, vbi erat Altare holocauftorum, & thymiamatum.

6 Erat autem Ephod, quod applicabatur ad confulendum Dominum, fuperhumerale Sacerdotis, quod vt ait *Toftatus in cap. 28. Exodi quæft. 16.* (erat coniunctum cum Rationale; & ita erant coniuncta fuperhumerale, & rationale, quod ab inuicem feparari non poffent. Applicando ergò fuperhumerale, applicabatur etiam, & rationale; & quia hoc erat in illo tamquā pars in toto, ideò totum denominabatur Ephod. In fuperhumerali erant duo lapides Onychini, in quibus erant fculpta nomina Filiorum Ifrael. In Rationali verò erant duodecim lapides pretiofi, in quibus erant etiam fculpta nomina Filiorum Ifrael) quod totum defcribitur in *cap. 28. Exodi.* Et hoc eft Ephod, quod applicabatur ad confulendum Dominum.

7 Circa modum autem huius applicationis refert *Abulenfis quæft. 15. in cap. 28. Exodi* (quod Rabbi Salomon; & Rabbi Abraham Aben-Ezra dicunt, quod in Plicatura rationalis erant duæ laminæ, quæ dicebantur doctrina, & veritas, quia per nomina, quæ in eis erant fcripta, fciebatur verè futurus rei euentus, tamquam illæ laminæ perfectè hoc demonftrarent, vèl

doce-

docerent. Et dicunt, quod modus inueniendi veritatem, erat iste, quod scilicèt Sacerdos ponebat super pectus suum rationale, & scribebat in papyro quæstionem de qua certitudinem volebat; & ponebat ea in plicatura rationalis inter laminas, & sic veritaté quæstionis, facta oratione, inscriptam cartæ illi reperiebat. Et quandò obijcitur, quia 1. *Reg. cap.* 23. ponitur modus interrogandi applicito Ephod. *Et cap.* 30. *eiusdem libri* 1. *Reg.* etiam describitur talis applicatio, & nulla fit mentio de scripto, imò in vtroquè loco apparet, quod interrogatio proponebatur viua voce. Respondent supradicti, quod licèt ista dicantur in verbis, tamèn in scriptis gesta sunt, & hoc quidem non repugnat multum litteræ. Nàm cum dicitur, quod Dauid quæsiuit à Deo talia, vèl talia; & quod Deus responderit talia, vel talia, non sequitur, quod sic Deus in voce responderit; aùt Dauid loquens ista quæsierit, sed quod in scripto vterquè operatus est.)

8 At hic Rabbinorum commentus à Tostato non admittitur, & potius amplectitur sententiam Iosephi Hebræi, qui dicit, (quod in Sardonice, qui erat in superhumerali in humero dextro Sacerdotis tantus radiorum fulgor apparebat, cùm Sacrificia Deus acceptabat, vt longè existentibus ille notabilitèr videretur.) De lapidibus autem rationalis dicit (quod cum Iudæi exituri erant ad bellum tanto splendore lapides illi micabant, vt cunctis perspicuum esset Iudæos esse victuros. Ex splendore igitur gemmarum, quæ erant

in

in superhumerale, & in rationale, seù pectorale, quæ componebant Ephod comprehendebatur responsio Diuina, siuè Oraculum pro responsione ad quæsitum.

9 Hanc sententiam, vt verisimiliorem amplectitur, eamquè sic explicat Martinus Delrius. (Cum enim has gemmas Deus inseri iusserit in pectorali, vt per tàm lucentes, perfectosquè lapides, ipse lucis perfectionisquè omnis auctor interrogaretur; & respōdens, tam Sacerdotem, quàm Principem, & Populum spirituali sua luce illustraret, àc perficeret, euoluens inuoluta, explanans ambigua, & docens, quæ facienda, omittendauè forent, & modos præscribens, quibus res inchoanda, & perficienda; satis apparet, responsiones interrogationibus accommodari debuisse. Interrogationum verò quædam per affirmationem, negationemuè nudam possunt expediri, quædam longiorem requirunt explicationem. Arbitror itaquè ad prius illud genus interrogationum nudo lapidum splendore, seù fulgòre responsum. Et ex eo Sacerdotem colligere solitum suaderet, an dissuaderet consulenti. Quo sensu accipio dicta Iosephi *lib. 3. Antiquitatum cap. 9.* Quem Tostatus, & Ribera meritò sequuntur. Ad posterius genus interrogationum, nòn respondebatur illo tantùm splendore (nèc enim commodè hoc potuit) sed longè alitèr. Audiebatur enim à Sacerdote interna, quædam, vèl externa quandoquè loquutio, seù oraculum, quod ipse postèa interroganti manifestaret. Quamquàm nèc hic absurdum sit opinari, ad splendo-

 rem

rem tùnc lapidum accessisse Sacerdoti lumen propheticùm menti eius à Deo infusum. De hac quidem responsione prolixiore patet ex Regum gestis, vbi præter responsionem ad interrogata, insuper Deus docuit modum prælij cōferendi. Sic 2. *Regum cap. 5. vers. 23.* Consuluit autem Dauid Dominum, si ascendam contra Philistæos, & tradas eos in manus meas? Qui respondit non ascendas contra eos, sed gira post tergum eorum, & venies ad eos ex aduerso pyrorum; & cùm audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum tùnc inibis prælium, quia tùnc egredietur Dominus antè faciem tuam, vt percutiat castra Philistijm. Hæc itaquè responsio explicari non poterat per simplicem lapidum splendorem. Vndè dicere oportet, quod ad illam externam gemmarum lucem correspōdebat lux interna in intellectu Sacerdotis, per quam cognoscebat; quid esset responsurus. Vndè concludit Delrius, quod propter talem modum responsionis, genus hoc Oraculi vocari consueuit responsio per Sacerdotes.) Hæc *Delrius lib. 4. disquis. magic. quæst. 2. sect. 1.* vbi latè, & eruditè pertractat hoc genus Oraculi, quod habebatur per Ephod.

10 Adiungit autem Tostatus de mente eiusdem Ioseph, (quod iste fulgor gemmarum, qui videbatur in Ephod, cessauit ducentis annis antequā ipse libros antiquitatum scribere inchoasset, quos scripsit quadraginta annis, vèl paulò post Passionem Christi, & sic annis centum sexaginta, vèl quasi ante Christi Natiui-

riuitatem, vel paulò antè cessauit. Quod probatur, quia tempore Machabeorum, qui fuerunt pauco tempore antè Christum, non reperitur, quod consulerint Dominum; sicut consulebant tempore Regum, Iuda, & Israel, vt ex libris Regum, & Paralipomenon elicitur, & hoc confirmatur, quia cùm Iudas Machabeus vellet mundare Templum, quod fuerat prophanatum à gentibus, & præcipuè Altare holocaustorum, non dicitur, quod Dominum consuluisset, sed quod incidit illi consilium bonum, vt destrueret illud, ne fortè esset eis in opprobrium, quia contaminauerant illud gentes &c. Si enim illo tempore maneret fulgor ille gemmarum rationalis, vt per illud veritas occultorum cognosci posset, quæsitum fuisset de illo dubio, quod satis magnum erat, & rationabile erat de illo quæri, non ergò erat tùnc talis fulgor, nèc aliquis modus respondendi applicito Ephod.) Sic *Tostatus dicta quæst. 15. in cap. 28. Exod.*

De Somnijs.

SECTIO VIII.

1 SOmnia nèc totalitèr negligere, vt faciebat Xenophon Colophonius, & faciebant etiam Epicuræi; Nèc omnes nimis curiosè perscrutari, vt faciebant Stoici, Protagoras, Artemidorus, Tyanæus, & similes, nos docet sacra Scriptura. Nàm sunt quæ-

dam somnia, quæ proueniunt à Deo; vt colligitur *ex cap.* 12. *Num.* vbi habetur: Si quis fuerit inter vos Prophèta Domini in visione apparebo ei; vèl per somnium loquar ad illum &c. *& Ioel. cap.* 2. Iuuenes vestri visiones videbunt, & senes vestri somnia somniabunt; & ad hæc attendere debemus. Et exemplum habemus de multis somnijs à Deo immissis; vt fuerunt somnia Ioseph, Pharaonis, & aliorum, quos memorat sacra Scriptura. Multa autem, & quasi semper somnia sunt vana, & ista quidem negligi debent. Ait enim *Ecclesiastes cap.* 5. *ver.* 6. Vbi multa sunt somnia, plurimæ sũt vanitates, & sermones innumeri; tu verò Deum time. Et Ecclesiasticus *cap.* 34. *ver.* 1. Somnia extollunt imprudentes, quasi qui apprehendit vmbram, & persequitur ventum, sic, & qui attendit ad visa mendacia.

2 Et ideò vt sciatur, quæ negligi, & quæ attendi debent, relictis omnibus Philosophorum sententijs, notandum est, quod somnia ex triplici causa prouenire possunt, nimirùm à Deo, à Natura, & à Dæmone; sic docet *D. Greg. Magnus lib.* 8. *moral. cap.* 13. *& lib.* 4. *Dialogorum cap.* 48. Hanc sententiam sequentes Theologi diuiserunt somnia in Diuina, Naturalia, & Dæmoniaca.

3 Somnia naturalia proueniunt, vèl à causa intrinseca, vèl extrinseca ipsi somnianti. Intrinseca itèm diuiditur in animalem, & corporalem; seù, vt alij volũt, in causam moralem, & naturalem. Causa intrinseca animalis, seù moralis somniorum est ipsa Anima; & hoc

hoc accidit, quando somnia proueniunt de illis rebus, quibus cogitatio vigilantis valdè fuit intenta; Salomone testante: Multas curas sequuntur somnia. *Eccles. cap. 5. ver. 2.* Et de talibus somnijs habemus similitudinem citharæ allatam à D. Gregorio Nysseno. (Aùt enim, ait ipse, quemadmodum est expositum, extremi quasi soni diurnarum affectionum in parte animi reminiscente reliqui tinniunt: aùt pro eo, atquè corpus affectû est, somnia quæquè finguntur.) Hæc Nyssenus *de hominis opificio cap. 13.* Vndè elicitur, quod sicut fidij, cessante manus pulsu, adhùc modicum extrema motione trepidant, àc tinniunt; sic curæ, quæ in vigilia animo voluebantur, adhùc in dormitione trepidant, & causant somnia.

4 Causa corporalis, seù naturalis intrinseca est præsens dispositio, àc temperamentum corporis, quod aliquo humore prædominante turbatur. Nàm quibus sanguis exorbitat, leta somniant, vt hortos, conuiuia, choræas, simphonias, & similia. Quibus phlegma abundat, somniant mare, aquas, balnea, nauigationes, submersiones, onera grauantia, tardam, & impeditam à rebus noxijs fugam, & similia. Quibus colera prædominatur somniant colores flauos, rixas, pugnas, incendia. Melancholici autem somniant fumos, caligines, tenebras, vagationes per loca sola, nocturnas oberrationes, tetra, spectra, mortes, & omnia similitèr tristia. Qui sinceros, purosquè succos habent, somniant odores, àc suaues flores. Qui verò impuris, àc fœtidis, pu-

tri

tridiſquè humoribus agitantur, ſomniant ſe volutari, vèl tranſire per loca ſordida, cænoſa, per cloacas, àc interfœtida cadauera verſari. Et quibus tandem viſcido humore affectæ, & obſtructæ ſũt partes poſteriores cerebri, comprimi, àc ſuffocari in ſomnijs videntur, quẽ morbum incubum medici appellant. Et hæc de cauſis ſomniorum intrinſecis.

5 Eſt paritèr cauſa naturalis extrinſeca ſomniorũ. Et eſt quando dormientis imaginatio ab agẽte extrinſeco naturali mouetur; & hoc agens, vèl eſt aer ambiens, qui poteſt deferre diuerſas ſpecies, vèl ſonus, vèl odoris, vèl frigoris, aùt caloris per ſenſus ſibi patefactos in dormiente, & per tales ſpecies afficere ſenſus particulares, & communem, & per conſequens phantaſiam. Et ſic cauſabitur ſomnium. Vèl eſt impreſſio, ſiuè influxus corporum Cœleſtium. Et hæc paritèr ſomnia poſſunt cauſare. Nàm ſicut corpora cœleſtia ſuo influxu in materiam corpoream varias formas lapidum, metallorum, plantarumquè gignunt; ſic influendo in phantaſiam, quæ organis corporeis eſt alligata, & immerſa, poſſe à cœleſtibus corporibus produci ſpecies imaginabiles effectui à corporibus illis cœlicis promananti conformes, non eſt negandum. *Sic ait Toſtatus in cap.* 41. *Gen. ad litteram; quem ſequitur Delrius lib.* 4. *diſquiſ. magic. cap.* 3. *quæſt.* 6.

6 Et hæc de cauſis naturalibus tàm intrinſecis, quàm extrinſecis ſomniorum, quas obſeruare licitum, & bonum eſt; vèl ad mores componendos, & vitam

ad

ad meliorem frugem reducendam, quandò scilicèt proueniunt somnia à causa intrinseca, & animali; vèl ad morbos instantes præcauendos; quandò scilicèt proueniunt à causa extrinseca, & corporali. Sic ex Medicorum, àc Theologorum consensu asserit Delrius *lib. 4. disquisit. magicar. cap. 3. quæst. 6.*

7 Somnia dæmoniaca, sunt illa, quæ iuxtà sententiam Abulensis in *cap.* 40. *Gene.* proueniunt ab vna ex duabus causis extrinsecis spiritualibus; ipse enim diuidit causam extrinsecam somniorum in corporalem, & spiritualem; corporalis est duplex, scilicèt Aer ambiẽs, & Cœlum influens; de quibus iàm actum est: Spiritualis paritèr duplex, nimirùm Diuina, & Dæmoniaca. Dæmon enim causat in nobis somnia, quæ, vt ait D. Gregorius *lib. 4. Dialog.* vocãtur Dæmonum illusiones. Dæmon enim immutando phantasiã dormientis, immutando, & combinãdo species, causat diuersa somnia, sicùt patet, ait *Tostatus loco cit.* de adorantibus Phæbum in Delpho Insula vna ex cicladibus, vbi maximum Templum eius est; quia ibi Virgo, quæ erat Sacerdos Phæbi, cum intraret in antrum Phæbi, replebatur à Phæbo, deindè dormiebat, & pòst somnia dicebat, vèl cum repleretur à Phæbo furebat, & sic nihil intelligens, veritates alijs declarabat. Alij autèm assumebant folia lauri, quæ tripodes vocantur, & reperiuntur in illa Insula specialitèr, & illas ponebant sub capitibus, & tùnc in somnijs responsum eorum, quæ volebant, accipiebant. De ijs tangit Lucanus *in*

3. *de*

3. *de bello Iulij Cæsaris, & Pompei.* Et apud *Delrium loco cit.* multos Auctores inuenies, qui de his somnijs dæmoniacis tractant, & præcipuè de Lectisternijs gentilium in Fano Serapidis, Esculapij, Podalyrij, & aliorum, quibus incumbantes somnia captabant. Ex quibus patet, quod somnia etiam à Dæmone proueniunt aliquandò.

8 Demum somnia possunt esse ab altera causa spirituali extrinseca, quæ est Deus. Deus enim, ait Tostatus loco cit: (aliquandò per se, aliquandò per Angelos bonos mutat phantasiam nostram imprimendo ei nouas rerum species ad concipiendum aliqua noua; vèl species antiquas alitèr ordinando, vt aliquid significent, quod antè nullo modo significabant. Sed vt communitèr ista somnia fiunt per Angelos sibi ministrantes ad salutem istorum inferiorum; vt patet ad *Hebræos cap.* 1. Omnes sunt administratorij spiritus &c. Quod autem Deus per se ipsum in his inferioribus operaretur, esset mutare, quasi naturam, sicùt si Deus faceret, quod ignis non combureret combustibilia, sed ipse Deus per se, sinè igne adiuncto, combureret. Istæ autem mutationes rarissimè fiunt etiam in corporalibus, & tùnc proptèr aliquam causam valdè specialem, vt nos instruamur, & Dei potentiam admiremur. In spiritualibus autem, dato quod mutaretur ille ordo, scilicèt, quod Deus per seipsum operaretur, nos non cognosceremus; & sic inutilitèr fieret talis mutatio, quod non est concedendum; quia Deus, & natura nihil

hil faciunt frustra, vt colligitur ex *primo capitulo* primi Politicorum. Exemplum huius habemus supra *cap.* 31. vbi dicitur de somnio Iacob quando vidit ascendere Arietes varios, & maculosos super oues, quia dicitur ibi, quod Angelus demonstrauit ei hoc.

9 Et iste modus somniorum contingit dupliciter, quia aliquandò vni mittitur ipsum somnium, & non datur intelligentia. Sicut fuit in Pharaone, & in Eunuchis suis, scilicèt Pincerna, & Pistore, quia licèt isti habuerint à Deo somnium, non tamen interpretationem, vt patet hìc. Alij solùm datur interpretatio somnij, & non ipsum somnium, & sic fuit de Ioseph, qui ista non somniauit, sed interpretatus est. Sic etiam de Daniele, & Nabuchodonosor, & Balthasar. Quia Nabuchodonosor somniauit, & non intellexit: vt patet Daniel: *cap.* 2. & 4. Daniel autem interpretatus est. Et Balthasar vidit visionem, & non intellexit, sed Daniel; licèt factum Balthasar non ad somnium, sed ad vigiliã pertineat. Est tamèn aliquo modo simile huic. Isti verò, qui somniant, & non intelligunt, licèt talia somnia à Deo mittantur, non sunt Prophètæ; sed illi sunt Prophètæ, qui ea interpretantur; quia intelligentia opus est in visione; vt patet Daniel. *cap.* 10. idest necessaria est intelligentia rei visæ in somnijs ad hoc, quod videns dicatur Prophèta. In istis autem somnijs licitum est interpretari, quia talia somnia inuariabilem virtutem habent, cum ex Deo sint. Sed hoc non est licitum cuilibet interpretari, sed solum illis, quibus

à Deo datum est; & isti, qui talia interpretantur Prophètæ sunt; quia sinè naturali cognitione fit. Et sic dicitur; quia sinè naturali cognitione fit. Et sic habetur Numer. cap. 12. Si quis fuerit inter vos Prophèta, in visione apparebo ei, vèl per somnium lòquar ad illum &c. Ita Tostatus in dicto cap. 40. Gen. cuius verba ad maiorem saturitatem referre volui.

10. Similia somnia Diuinitùs immissa habemus etiam in noua lege. Præclarum namquè est illud, quo Summus Pontifex Innocentius Tertius de Persona, ac sanctitate Seraphici Patris mei Francisci præmonitus fuit. Vidit namquè in somnijs Pontifex ipse Romanus Lateranensem Ecclesiam ruinæ proximam, quàm quidam homo pauperculus, modicus, & despectus proprio dorso submisso, ne caderet, sustentabat. Et cum Franciscus manè se contulisset ad Summum Pontificem, & hic contemplatus fuisset in viro Dei simplicis animi puritatem, mundi contemptum, paupertatis amorem, propositi perfecti constantiam, Animarum zelum, ignitumquè voluntatis sanctæ feruorem, Verè, inquit, hic est ille, qui opera, ac Doctrina Christi sustentabit Ecclesiam, & in hoc Summus Pontifex prophètauit.

De

De Visionibus, & Apparitionibus.

SECTIO IX.

1 QVoniam Deus *cap.* 12. Numer. dixit: Si quis fuerit inter vos Prophèta Dòmini in visióne apparebo ei. *Et* 2. *Paralip. cap.* 7. dicitur de Salomone: Apparuit autem ei Dominus. Et quoniam multæ visiones, & apparitiones circumferuntur; & has quoquè scire quid importent, operæ pretium est, vt pleniorem de Reuelationibus intelligentiam habeamus.

2 Notandum est igitur cum Riccardo à Sancto Victore, & cum D. Dionysio in sua Cœlesti Hierarchia relati à Brondo *disput.* 7. *in cap.* 1. *Apocalyp. quæst.* 2. quod quatuor sunt genera visionum; quarum duas corporales, reliquas verò spirituales nominant. Prima visio corporalis est, quandò res exteriores videntur visu corporali, absquè vlla significatione mystica, sicut quandò oculus noster videt colores in pariete, aùt aliud obiectum, nihil mysticè significans. Alia visio corporalis est, quandò aliqua videntur corporalitèr, in quibus latet significatio mystica; quemadmodùm Moyses rubum ardentem vidit Exodi *cap.* 3. Et Ieremias Ollam ardentem, & virgam vigilantem *cap.* 1. E conuerso visio spiritualis vna est; quandò animus per Spiritum Sanctum non oculis carnalibus, sed oculis

cordis illuminatur rerum visibilium speciebus, similitudinibus, & imaginibus ad visionis cognitionem repræsentatis. Et altera tandem visio spiritualis est, quādò animus noster per Spiritum Sanctum illuminatur per internam inspirationem suam, nullis mediantibus rerum visibilium similitudinibus, sed solo illius afflatu Diuino ad Cœlestem contemplationem erigitur, vt accidit Dauid, & Salomoni.

3. Et secundùm hanc visionum quadripartitam diuisionem; dico quod visiones, & apparitiones, quæ sunt à Deo; Aliæ sunt per visum exteriorem; vt quandò Deus apparet per Angelum sub figura humana; Sicùt apparuit Gedeoni. Iudicum *cap.* 6. quandò apparuit Agar, *Genes. cap.* 16. & quandò apparuit Abrahæ. *Gen. cap.* 18. *Et Loth. Gen. cap.* 19. & Patri, & Matri Sampsonis, *Iudicum cap.* 13. Et cum ista visione, & apparitione debet coniungi alloquutio, vèl exterior, vt percipiatur ab auribus corporalibus; vèl interior, quæ percipiatur ab intellectu. Alioquin talis visio, vèl apparitio ad nihil deseruiret, & per consequens esset frustratoria, quod non est dicendum; quia Deus, & Natura nihil agunt frustra. Et ratio est, ait Tostatus *quæst.* 31. *in cap.* 12. *Num.* (Quia per visum non potest nobis significari, nisi aliquid incomplexum, scilicè color, figura; & aliæ proprietates corporum visorum. Hæc autem omnia, cum incomplexa sint, non possunt immutare nos ad aliquam complexionem, scilicèt, vt per eam habemus aliquam intel-

tellectionem, quæ est propriè de complexis. Per auditum autem possumus recipere propositiones, & consequentias, quæ dicunt omne genus complexorum; Et sic ista intellectui rapresentantur complexè, sicùt ipsa complexa sunt.) Ex qua Tostati ratione clarè colligitur quod cum visione,& apparitione exteriori,quæ per viam oculorum percipitur debet coniungi alloquutio, vèl exterior, vèl interior, adhoc, vt sciatur quid ipsa significare velit.

4 Et ista apparitio, quæ fit per sensus exteriores solet esse aliquandò in voce sola, ita vt audiatur sola vox, & nemo, qui loquatur appareat. Et hòc accidit, quando Angelus Domini venit ad hominem vigilantem, non assumpta aliqua effigie visibili; & audit homo vocem, & scit vndè venit; tamèn non videt aliquem loquentem. Sic apparuit Deus Israelitis in datione legis Exodi *cap.* 20. Et Deutor. *cap.* 5. Nàm nullam figuram viderunt, sed solam vocem audierunt: Sic etiam Moyses, quandò introibat in Sancta Sanctorum ad consulendum Dominum super aliquo dubio, audiebat vocem loquẽtis ad se de propitiatorio, Num. *cap.* 7. & nullum videbat loquentem. Sic etiam apparuit Deus Samueli, cùm ter vocauit eum per noctem, & putabat se vocari ab Heli Secerdote 1. *Reg. cap.* 3. Idem accidit quandò Christus transfiguratus est Matt. *cap.* 17. Apostoli namq; audierunt illam vocem: Hic est Filius meus dilectus &c: sed dictis verbis, loquentem non viderunt: Et hæc loquutio, ait Tostatus *in*

dicta

cordis illuminatur rerum visibilium speciebus, similitudinibus, & imaginibus ad visionis cognitionem repræsentatis. Et altera tandem visio spiritualis est, quãdò animus noster per Spiritum Sanctum illuminatur per internam inspirationem suam, nullis mediantibus rerum visibilium similitudinibus, sed solo illius afflatu Diuino ad Cœlestem contemplationem erigitur, vt accidit Dauid, & Salomoni.

3. Et secundùm hanc visionum quadripartitam diuisionem; dico quod visiones, & apparitiones, quæ sunt à Deo; Aliæ sunt per visum exteriorem; vt quandò Deus apparet per Angelum sub figura humana; Sicùt apparuit Gedeoni. Iudicum *cap. 6.* quandò apparuit Agar, *Genes. cap. 16.* & quandò apparuit Abrahæ. *Gen. cap. 18. Et Loth. Gen. cap. 19.* & Patri, & Matri Sampsonis, *Iudicum cap. 13.* Et cum ista visione, & apparitione debet coniungi alloquutio, vèl exterior, vt percipiatur ab auribus corporalibus; vèl interior, quæ percipiatur ab intellectu. Alioquin talis visio, vèl apparitio ad nihil deseruiret, & per consequens esset frustratoria, quod non est dicendum; quia Deus, & Natura nihil agunt frustra. Et ratio est, ait Tostatus *quæst. 31. in cap. 12. Num.* (Quia per visum non potest nobis significari, nisi aliquid incomplexum, scilicè color, figura, & aliæ proprietates corporum visorum. Hæc autem omnia, cum incomplexa sint, non possunt immutare nos ad aliquam complexionem, scilicèt, vt per eam habemus aliquam intel-

tellectionem, quæ est propriè de complexis. Per auditum autem possumus recipere propositiones, & consequentias, quæ dicunt omne genus complexorum; Et sic ista intellectui rapresentantur complexè; sicùt ipsa complexa sunt.) Ex qua Tostati ratione clarè colligitur quod cum visione, & apparitione exteriori, quæ per viam oculorum percipitur debet coniungi alloquutio, vèl exterior, vèl interior, adhoc, vt sciatur quid ipsa significare velit.

4 Et ista apparitio, quæ fit per sensus exteriores solet esse aliquandò in voce sola, ita vt audiatur sola vox, & nemo, qui loquatur appareat. Et hoc accidit, quando Angelus Domini venit ad hominem vigilantem, non assumpta aliqua effigie visibili; & audit homo vocem, & scit vndè venit; tamèn non videt aliquem loquentem. Sic apparuit Deus Israelitis in datione legis Exodi *cap.* 20. Et Deutor. *cap.* 5. Nàm nullam figuram viderunt, sed solam vocem audierunt. Sic etiam Moyses, quandò introibat in Sancta Sanctorum ad consulendum Dominum super aliquo dubio, audiebat vocem loquẽtis ad se de propitiatorio, Num. *cap.* 7. & nullum videbat loquentem. Sic etiam apparuit Deus Samueli, cùm ter vocauit eum per noctem, & putabat se vocari ab Heli Secerdote 1. *Reg. cap.* 3. Idem accidit quandò Christus transfiguratus est Matt. *cap.* 17. Apostoli namq; audierunt illam vocem: Hic est Filius meus dilectus &c. sed dictis verbis, loquentem non viderunt. Et hæc loquutio, ait Tostatus *in*

dicta

dicta quæst. 31. in fine, vocatur apparitio, quia non accipitur hic apparitio strictè pro manifestatione facta in potentia visiua, sed pro quacumquè manifestatione facta in sensu exteriori.)

5 Secunda visio, seù apparitio corporalis est, quãdo aliqua corporalitèr videntur, & in eis mystica significatio latitat, vt est illa visio Ieremiæ *cap.* 1. de Virga vigilante, & de olla succensa. Quarum significationem dedit ipsemet Deus; Nàm de Virga vigilante dixit ad Prophètam: Benè vidisti; quia vigilabo ego supèr Verbo meo, vt faciam illud. Et de olla succensa adiunxit: Ab Aquilone pandetur supèr omnes habitatores terræ &c. Sic illa apparitio ignis, quæ fuit in Monte Sinai, de qua Exodi *cap.* 19. *ver.* 18. dicitur. Totus autem Mons Sinai fumabat, eò quod descendisset Dominus Deus super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo, quasi de fornace, eratquè omnis Mons terribilis &c. Qua terribili visione voluit Deus incutere timorem Filijs Israel, vt non transgrederentur Legem, quam illis præscribebat. Sic ex eodèm contextu tradit Abulensis, dicens: (Decuit vt fieret ista visio terribilis in datione legis, vt Israelitæ timentes Deum terribilitèr apparentem, non audèrent facere contra Legem. Quod autem fieret ad hunc finem, patet ex Exodi *cap.* 20. Vbi dicens Populus ad Moysen: Loquere tu nobis, & audiemus; Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur &c. Et Moyses respondit ad Populum: Nolite timere, vt enim probaret vos

Deus venit, & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis &c.) Sic Abulensis *in cap. 8. lib. 3. Reg. quæst. 8.*

6 Et in ista secunda apparitione corporali, vt patet, ex locis allatis, etiam erat necessaria alloquutio, vel exterior, vel interior, ad hoc vt videns haberet intelligentiam rei visæ. Quia sine tali alloquutione vana esset apparitio; oportet enim intelligere visionem, vt Daniel. *cap.* 10. habetur.

7 Et in hoc primo gradu visionis ponenda est illa celebris, & singularis apparitio, quæ in Sacro Aluerniæ Monte meo Seraphico Patri, ac Patriarchæ Francisco monstrata fuit, quandò, vt ait D. Bonauentura in sua legenda, (vidit quasi speciem vnius Seraphim sex alas tàm fulgidas, quàm ignitas habentem de Cœlorum sublimitate descendere; qui volatu celerrimo ad aeris locum viro Dei propinquum perueniens, non solum alatus, sed & crucifixus apparuit: Manus quidem, & pedes habens extensos, & cruci affixos, alas verò sic miro modo, hinc, indè dispositas, vt duas supra caput erigeret, duas ad volandum extenderet, duabus verò reliquis totum corpus circumplectendo velaret. Hoc videns vehementèr obstupuit, mistumquè dolori gaudium mens eius incurrit, dùm, & in gratioso eius aspectu sibi tàm mirabilitèr, quàm familiaritèr apparentis excessiuam quandam concipiebat lætitiam, & dira conspectu Crucis affixio ipsius Animam compassiui doloris gladio pertransibat. Intellexit quidem, illo docente interius, qui & apparebat exterius,

teriùs, quod licèt paſſionis infirmitas cùm immortalitate ſpiritus Seraphici nullatenùs conueniret, ideò tamèn huiuſmodi viſio ſuis fuerat præſentata conſpectibus, vt amicus ipſe Chriſti Ieſu Crucifixi prænoſceret ſe non per martyrium carnis, ſed per incendium mētis, totum in Chriſti Ieſu Crucifixi expreſſam ſimilitudinem transformandum. Diſparens itaquè viſio poſt arcanum, & familiare colloquium mentem ipſius Seraphico intèrius inflammauit ardore, carnē verò Crucifixo conformi exterius inſigniuit effigie tamquàm ſi ad ignis liquefactiuam virtutem præambulam ſigillatiua quædam eſſet impreſſio ſubſequuta. Statìm namquè in manibus, & pedibus eius cæperunt ſigna clauorum ipſorum capitibus in inferiori parte manuum, & ſuperiori pedum apparentibus, & eorum acuminibus exiſtentibus ex aduerſo. Dextrum quoquè latus quaſi lancea transfixum rubra cicatrice obductū erat, quod ſæpè ſanguinem ſacrum effundens, tunicam, & fœmoralia reſpergebat.) Hæc Eccleſia Franciſcana in lectionibus ſollemnitatis ſtigmatum.

8 Et in hac mirabili viſione non ſolum fuit apparitio corporalis & viſibilis, ſed in ea fuit etiàm intelligentia viſionis, & per illuminationem internam, & per externam, àc familiarē alloquutionem, & per viſibilem ſacrorum ſtigmatum impreſſionem, quæ quidem intelligentia in omni viſione eſt neceſſaria.

9 Viſio autem ſpiritualis habet paritèr duas ſpecies; vna eſt quando animus per Spiritum Sanctum

non

non oculis carnalibus, sed oculis cordis illuminatur rerum visibilium speciebus, & imaginibus ad visionis cognitionem repræsentatis. Et ista, vèl est per somnium, vèl per extasim, seù raptum; Anima enim semota ab operatione sensuum; tota conuertitur ad contemplationem illorum phantasmatum, seù illarum specierum, & imaginum, quas de nouo in imaginatiua imprimit Deus, vèl antiquas alitèr ordinat, vt possint illud repræsentare, quod ipse ostendere vult. Et de somnijs habemus exempla supra allata in Sectione de somnijs; Et de raptu habemus exemplum in illo mentis excessu, quem passus est Petrus, quandò cecidit super eum mentis excessus, & vidit Cœlum apertum, & descendens vas quoddam velut linteum magnum quatuor initijs submitti de Cælo in terram &c. *act. cap.* 10. *ver.* 11. Et in ista uisione spirituali, quæ per res imaginarias habetur, uèl in somnio, uèl in raptu, est etiam necessaria alloquutio, uèl externa, uèl interna ad hoc, ùt intellectus illuminetur, & intelligat ueritatem illarum rerum, quæ sibi sùb illis speciebus, & imaginibus ostenduntur, alioquìn si non haberetur ista illuminatio frustra illa uisio fieret; & Deus, & natura nihil faciunt frustra, ut colligitur ex *cap.* 1. *primi Politic.*

10 Quarta deniquè uisio, & est secunda inter uisiones spirituales, est illa, in qua animus noster per Spiritum Sanctum illuminatur, per internam ipsius inspirationem, nullis mediantibus rerum visibilium similitudinibus, sed solo illius afflatu Diuino ad cœlestem

G con-

contemplationem erigitur. Et hæc poteſt haberi vèl in ſomnio, vèl in vigilia, vèl in extaſi, ſeù raptu. In ſomnio ſicut apparuit Salomoni 2. *Paralip. cap.* 7. Apparuit autem ei Dominus nocte, & ait &c. Vbi *Toſtatus quæſt.* 27. dicit, (quod: Deus per ſomnium immutauit phantaſiam eius adhoc, quod appareret ei, quod Deus loquebatur ſibi, & quod dicebat talia, & talia verba.) Et etiam patet hoc, quià ſic Deus iterum apparuerat Salomoni in Gabaon, ſcilicèt quandò dedit ei ſapientiam. Nàm totum illud, quod Salomon dicitur repetiuiſſe, & Deus reſpondiſſe, fuit in ſomnio; vt patet 3. *Reg. cap.* 3. *&c.* In vigilia, quando ſcilicèt Deus homini vigilanti aliquid internè loquitur vèl per ſe, vèl per Angelum: Sicut accidit Dauid, qui dicebat: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. *Pſal.* 48. *& Zacharias cap.* 4. Angelus, qui loquebatur in me, dixit ad me. Vbi notandum, vt colligitur ex S. Bonauentura *lib.* 2. *de profectu Religioſ. cap.* 76. quod hæc loquutio ad Dauid, & Zachariam non fuit externa, ſed interna, per internam ſcilicèt illuſtrationem intellectus, quia prædicti Prophètæ nō dicunt, mecum, ſed in me: Dauid enim non dicit: Audiam quid loquatur mecum Dominus Deus, ſed quid loquatur in me. Sic Zacharias non dicit Angelus, qui loquebatur mecum, ſed qui loquebatur in me, dixit ad me; Per quem loquendi modum intelligitur, quod iſta alloquutio erat per internam mentis illuſtrationem abſquè ſpecie, & imagine rerum ſenſibilium.

11 Vèl

11 Vèl demum ista visio spiritualis potest haberi in extasi, seù raptu, & de ista dicit S. Bonauentura *cap. 75. libri citati*: Alia visio est intellectualis, qua illuminatus oculus luce veritatis, purè ipsam veritatem in se contemplatur: Sicut Paulus cùm raptùs fuit in Paradisum, vèl in tertium Cœlum 2. *Corint. cap.* 12. vidit inuisibilia, & audiuit verba ineffabilia: quia non corporearum rerum imagines, sed ipsius veritatis splēdorem purè intuitus est.

12 Et in istis quatuor visionibus, sicut etiam in alijs reuelationibus, siuè fiant per Prophètiam, siuè per Oracula, siuè per somnium, notandum est, quod licèt dicatur, quod fiant à Deo, non est intelligendum, quod fiunt à Deo immediatè, fiunt tamèn ab eo ministerio Angelorum, qui omnes sunt administratorij spiritus, ait Apostolus *Hebraor. cap.* 1. In ministerium missi propter eos, qui hæreditatē capient salutis. Et ratio est, inquit Abulēsis (quia hæc omnia fiunt successiuè. Deus autē non operatur successiuè, sed in istanti.)

De Inspiratione, & Instinctu.

SECTIO X.

1 PRò complemento Reuelationum adijciam hìc quid de Inspiratione, & Instinctu sentiendum est; Nàm, & ista etiam ad nostram vtilitatem à Deo dantur: Et de Inspiratione dicit Iob. *cap.* 32. *ver.* 8.

 sed

ſed vt video ſpiritus eſt hominibus, & Inſpiratio omnipotentis dat intelligentiam.

2 Et ad hanc Inſpirationem pertinet illud, quod accidiſſe Seruo Abrahæ narrat Sacra Scriptura *Gen. cap.* 24. Quærebat hic ex Domini ſui iuſſu Vxorem Filio ipſius Abrahæ, & cum perueniſſet ad Vrbem Nachor, ſic iuxtà puteum deprecatus eſt Dominum, Domine Deus Domini mei Abraham. Ecce ſto propè fontem aquæ, & Filiæ habitatorum huius Ciuitatis egredientur ad hauriendam aquam. Igitur Puella cui ego dixero: inclina hydriam tuam, vt bibam; & illa reſponderit, bibe, quin, & Camelis tuis dabo potum; ipſa eſt, quam præparaſti Seruo tuo Iſaac; & per hoc intelligam, quod feceris miſericordiam cum Domino meo. Hæc dum intra ſe verba compleuerat, & ecce Rebecca egrediebatur filia Bathel &c.

3 Super quæ verba, ſic ait Abulenſis in *cap.* 24. *Gen.* ad litteram (hic ponitur ſignum, quod Eliezer à Deo inſpiratus poſuit ad videndum, vtrum Deus proſperaret iter eius; & iſtud ſignum petitum non fuit per auguria, vèl ſortilegia, vèl Geomantiam, vèl aliquam artem prohibitam; ſed præmiſſa oratione ad Deum, & à Deo inſpiratus hoc ſignum poſuit &c.) Et quibuſdam interiectis adiungit duo ſigna, quæ faciebant intelligere Eliezer, quod Deus ageret miſericordiam cum Domino ſuo Abraham. (Primum, quia quandocumquè aliqua proponuntur, vt fiant, & poſt totalitèr ſic eueniunt, non dicuntur eſſe propriè ab

aliqua causa per accidens, sed à causa intellectiua, hoc directè intendente. Secundum est, quod in isto, talia proponebantur, qualia nulla Puella ageret; nisi mota interius à Deo, scilicèt adaquare gratis decem Camelos finè petitione Domini camelorum: Ideò quandocumquè ista contingerent, apparet manifestè, quod Deus illa faceret &c. Et hoc magis manifestatur, quia non dum Eliezer intra se verba compleuerat: Ecce Rebecca egrediebatur &c. Vndè subiungit Abulensis: (Deus qui mouit Eliezer ad talitèr concipiendum, mouit Rebeccam ad egrediẽdum pro aqua, & ipsa venit ante alias; vt ex hoc certificaretur magis Eliezer, videns hoc à Deo sic ordinatè fieri, & velocitèr.)

4. Ad inspirationem etiam pertinet factũ Sampsonis, quandò petiuit sibi in Vxorem Filiam alienigenam; cui repugnantes parentes, quia hoc erat in lege prohibitum, respondit ipse Sampson: Hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis. *Iudit. cap.* 14. Videbat Sampson, ait Tostatus (se ratione hortari, & nesciebat dare causam aliquam quare vellet, sed solum dixit: hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis. Sampson autem ardentèr hoc volebat, quia Deus mouebat animum eius ad istud desiderandum. Sic dicitur *Iudicum* 14. *cap.* scilicèt Parentes eius nesciebant, quod res à Domino fieret, & quæreret occasionem contra Philisthijm. Et sic patet, quod Sampson, licèt à Deo moueretur ad hoc, nesciebat se moueri à Deo; quia si sciret, diceret hoc parentibus suis, quando petebant causam,

ſam, quare volebat mulierem de Philiſtinis: & tamen non dixit; ſed ſolùm, quod placeret oculis eius: Ideo non ſciebat an à Deo moueretur. Et ſic erat Inſpiratio quædam, ideſt, quia Deus dabat illi aliquid in ſpiritum eius, ideſt voluntatem, ſcilicèt deſiderium accipiendi vxorem Philiſtinam. Non tamen erat reuelatio, cum non cognoſceret ſe à Deo moueri.) Hæc Toſtatus in *cap. 9. lib. Ioſue quæſt.* 30.

5 Idem quoq; dicendum de facto Iſraelitarum cũ Gabaonitis, quando ſcilicèt Gabaonitæ deceperunt Filios Iſrael, & iſti iurauerunt, quod non interficerent eos, vt habetur *cap. 9. Ioſue.* Fuit enim inſpiratio Diuina ex vtraq; parte, dicit Toſtatus; & aſſignans modum talis inſpirationis, ſic ait. (Deus voluit, quod Gabaonitæ non perirent morte communi aliorum Chananæorum, quia fortè præuiderat eos meliores futuros, & eligerat eos meliores facere, voluitque applicare alicui cultui ſuo; & ad hoc dedit animum eorum, quod cogitarent aliqua ingenia, per quæ poſſent fallere Iſraelitas, & inducere ad præſtandum iuramentum, & inęunda fœdera, & dedit eis confidentiam in animo, quod hoc poſſent obtinere, nam ſi non confiderent non attentarent. Et hoc fuit inſpiratio quædã facta à Deo Gabaonitis, licèt ipſi non intelligerent; & tamen mouebantur à Deo ad hoc faciendum, &c. Et paucis interiectis adiungit, & ita apparet, quod ex parte Gabaonitarum Inſpiratio Dei fuit ad non pugnandum, & tractandum fœdera cum Iſrael.

6 Ex

6 Ex parte quoque Iſraelitarum fuit Diuina inſpiratio ad hoc, quod iſta fierent, quia Deus ſic mouit corda eorum, vt iſta fierent. Et primò fuit turbando corda eorum, & diſtrahendo ne peterent à Domino conſilium ſuper hoc, nàm ſuper alijs rebus minoribus ſoliti erant conſulere Dominum, an agerent, vèl non; & nunc ſuper iſtam rem magnam non aduerterunt, vt conſulerent Dominum &c.) ſic Toſtat. *in cap. 9. Iosue quæſt.* 32. vbi addit alias quinque rationes ad probandam inſpirationem, quam habuerunt Iſraelitæ.

7 Et de his inſpirationibus Diuinis innumera habemus exempla Sanctorum in lege noua, & ſufficiet mihi vnum tantum adducere, ex vita mei Seraphici Parris. (Hic enim quando Bernardus à Quintaualle eius ſanctitatis fama commotus, ſocium ſe ſibi vellet adiungere, ambo intrauerunt in Eccleſiam S. Nicolai Ciuitatis Aſſiſij, & oratione præmiſſa, cultor Trinitatis Franciſcus, ter Euangeliorum librum aperuit, trino expoſcens à Deo teſtimonio, Sanctũ Bernardi propoſitum confirmari. In prima libri aperitione illud occurrit, *Matt.* 19. Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & dà pauperibus. In ſecunda illud *Lucæ cap.* 9. Nihil tuleritis in via. In tertia verò: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. *Matt. cap.* 16. Hæc eſt, ait vir ſanctus, vita, & Regula noſtra, omniumquè, qui noſtræ voluerint Societati coniungi. Vade igitur, & ſi vis perfectus eſſe; perfice, quæ audiſti.) Hæc S.

Bo-

Bonauentura, in legenda S. Francisci *cap.* 3. Nèc dubitandum est, quod Sanctus Pater ad sic operandum inspiratione Diuina motus fuerit; præcessit namquè feruens ad Deum oratio, & ab ipso modum viuendi expostulauit; Aperuit deindè librum Euangeliorum in nomine Sanctissimæ Trinitatis, & in qualibet aperitione inuenit illam viuendi formam, quam Christus suis tradidit Discipulis. Quam vitam posteà ipsemet Christus tenendam, obseruandamq; tradidit, & sibi, & suis sequacibus in Regula, quàm suo Diuino ore ipsi Francisco dictauit. Et hæc de Inspiratione.

8 Ex instinctu quoque multa fieri, tùm ex Diuinis, tùm ex humanis litteris habemus. Et hìc non accipio instinctum, proùt idem est, ac Inspiratio; sed prò quadam motione, quam interdum humanæ mentes nescientes experiuntur, vt tradunt D. August. 2. *super Genesim ad litteram cap.* 17. *& D. Thomas* 2. 2. *quæst.* 171. *art.* 5. Et quidem instinctus non omnibus datur, nèc semper; sed aliquandò conceditur Principibus, & Regibus, nèc non Iustitiam administrantibus, vt in rebus obscuris possint dignoscere veritatem. Iuxtà illud *Prouerb. cap.* 16. Diuinatio in labijs Regis, & in Iudicio errabit os eius. (Quæ verba, ait *Delrius lib.* 4. *disquis. magic. in princ.* nihil ad Prophètiæ donú pertinent, sed ad sagacitatem in occultis, & perplexis iudiciorum latebris, circa facti ambigua, eruendis, necessaria Iudici; Est enim quædam sicut in Medicis caussis, sic & in iudiciarijs, diuinatio metaphorica; qua,

quæ

quæ præterita sunt, & quorum veritas ignoratur, solerti discussione conijciuntur &c. Quæ quidem solertia, ac sagacitas non est sinè interna motione, qua nescientes mouemur, & operamur.)

9 Et de hoc potest afferri exemplum Salomonis, coràm quo discrepantes illæ duæ mulieres, cuius esset Filius, quem vtraquè suum esse asserebat, cum non esset maior probatio pro vna, quàm pro altera; Pronunciauit, & dixit: Afferte mihi gladium; cumquè attulissent gladium coràm Rege; Diuidite, inquit, Infantem viuum in duas partes, & date dimidiam partem vni, & dimidiam partem alteri 3. *Reg. cap. 3. ver.* 24. Quam sententiam audiens vera Mater Infantis, dixit ad Regem (commota sunt quippè, ait Sacer Textus, viscera eius super Filio suo) obsecro Domine, date illi Infantem viuum, & nolite interficere eum. E contrario illa dicebat: Nèc mihi, nèc tibi sit, sed diuidatur. Ex quibus respõsionibus conijciens Rex, quod illa esset vera Mater, quæ vitam Filio precabatur, finaliter, & iustè pronunciauit: Date huic Infantem viuũ, & non occidatur: Hæc est enim Mater eius.

10 Simile huic ex humanis litteris exemplũ affert Delrius loco nuper citato. In iudicio Ariopharnis Tracum Regis tres Cimmericorum Regis Filij de Paterno Regno contendentes, iussit Ariopharnes Patris cadauer sepulchro erui, arbori alligari, & eos arcu contendere, vt qui Patri cor transfixisset, in Regnum succederet. Primogenitus guttur; secundus medium pe-

ctus, corde illæso, transfixit. Supererat minimo spes Regni. Vicit pietas, & se Regno cedere malle, dum in Patris cadauer pietate superior esset professus, iaculari detrectauit. Huic Trax Regnum adiudicauit, quia naturæ propensione, se & verè Filium, & virtute præstantiorem ostendisset.

11 De Alphonso Primo Neapolis Rege non dissimile refert idem Delrius. Nàm adhuc penè puero, cum in Aragonia vtriusquè Siciliæ Regna susciperet, accidit, vt cuiusdam Ancilla ex Domino pareret, & ad libertatem ex Hispaniensi lege prouocaret; Dominus, ne Matre cum Filio priuaretur, negabat ex se natum. Deerant in re, clam patrari solita, probationes. Quid ageret? bellè se expediuit. Iubet sùb hasta partum vendi; vincitur Dominus licitatione. Ergò ne (secum) cũ Filio meo, & ego in seruitutẽ viuã? quin potius fateor, quod res ita est. Et ecce paterni animi erũpunt inuitæ lachrymæ; subsequitur lingua confessionem oculorum. Sic Patri Filium, Matri debitam libertatem asseruit. Alia his similia exempla adducit ibidem Delrius, quibus ostendit multa à principibus in rebus dubijs ex particulari instinctu definiri.

12 Et de hac ingenij solertia, àc sagacitate, quæ habetur per particularem Instinctum dici potest, quod parum differt à Prophètia, vt ait Tostatus *in cap. 7. Iudic. quæst.* 17. & pertinet ad dona Spiritus Sancti consilij, intellectus &c.

A quò

A quo veniunt Reuelationes Diuinæ.

SECTIO XI.

1 CVM Reuelare ſit actus ad extra, & per conſequens eſſentialis, non magis vni perſonæ competit, quàm alteri, quia actus eſſentiales omnibus tribus Perſonis ſimul competunt. Et ſicut vna Perſona non creat, non iuſtificat, non gubernat ſine alia, ſic vna Perſona non reuelat aliquid ſine alia, cum reuelare nō ſit actus notionalis, ſed actus eſsētialis. At quia in Sacra Scriptura habemus, quod aliquando reuelare dicitur de Patre, vt dixit Chriſtus ad Petrum: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in Cœlis. *Matt. cap.* 16. *& cap.* 11. dicit: Cōfiteor tibi Pater Domine Cœli, & terræ, quia aſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis; Et inferius. Nemo nouit Patrem niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Vbi innititur, quod reuelare etiam dicitur de Filio; meritò quæritur cui competit hic actus reuelandi.

2 Ad quod reſpondet Toſtatus *in cap.* 11. *Matt. quæſt.* 62. *& in cap.* 16. *eiuſdem Matthæi quæſt.* 65. quod reuelare, vt eſt actus eſſentialis, omnibus ſimul tribus Perſonis competit; ſed ratione attributi magis competit Filio, quam Patri, & Spiritui Sancto. Quia Filius eſt Sapientia, Imago, & Ars, & in his aliquid ma-

nifestatur. Et potissimè, quia Filius Verbum est; Et Verbum est manifestatiuum, sicut enim Verbum vocale manifestat mentale,& ipsum concipientem;ita & Filio, qui est verbum,competit tota Diuina notificatio, & reuelatio, & non Patri.

3 Et hoc probatur auctoritate ipsius Filij; qui *cap.* 11. *Matt. & cap.* 20. Lucæ, ait: Nemo nouit Patrem nisi Filius;& cui voluerit Filius reuelare. Ex quibus verbis colligitur, quod Filius non solum reuelat, vèl notificat omnia, quæ sunt extra Deitatem, sed etiam manifestat ipsum Patrem. Vndè infertur, quod ratione attributi reuelare competit ipsi Filio, magis quam Patri.

4 Ad illas auctoritates Matthæi *cap.* 11. Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis; *& cap.* 16. Pater meus reuelauit tibi. Respondet Abulensis, quod hìc Pater accipitur essentialiter, in qua acceptione tota Deitas est Pater; sicut dicimus: Pater noster,qui es in Cœlis; Non enim dicitur hoc de sola Persona Patris, sed de omnibus tribus; & licèt non sit verum, quod tota Deitas sit Pater Christi,cum Christus sit Persona Diuina,quæ est Filius solius Patris; tamen accipiendo Christum solum in quantum est homo,cum sit minor tota Deitate, potest dici, quod tota Deitas sit quasi Pater eius; & ita accipitur illud *Ioan. cap.* 14. Vado ad Patrem, quia Pater maior me est. Et tamen non solùm Pater est maior Christo, in quantum Christus est homo,

homo, sed etiam Spiritus Sanctus, in quo sensu illud dictum, Confitebor tibi Pater, quia reuelasti ea paruulis, intelligi debet de tota Deitate.

5 Sic illud, quod dixit ad Petrum: Pater meus reuelauit tibi, accipi potest prò tota Deitate, vt dictum est; & etiam potest accipi prò persona Patris. Et licèt omnes tres Personæ simul aliquid reuelent, tamen dicitur hìc de solo Patre, vt ostendatur distinctio Patris, & Filij. Nàm si diceret Deus tibi reuelauit, innueret, vèl quod ipse non erat Deus, vèl quod ipsemet reuelabat de semetipso, quod erat Deus; & vtrumquè erat inconueniens. Primò quia ipse erat Deus, & vtiquè volebat, quod de ipso crederetur, quod erat Deus; & secundò, quia notificatio rei non est à seipsa, sed ab alia; cum notificatio fiat semper per notiora. Et Pater est qui testimonium dat de Filio; secundùm illud, quod dixit *Ioan. cap.* 5. *ver.* 37. Quia Pater misit me; & qui misit me Pater ipse testimonium perhibuit de me. Cum autem dixit Pater meus reuelauit tibi, ostendit se esse Deum, cum esset Filius Dei: & ostendit se esse distinctum personaliter, dicendo se esse Filium Dei, & per consequens distinctum à Patre.

6 Deindè dixit Christus: Pater meus reuelauit tibi: vt confirmaret confessionem Petri. Dixerat enim Petrus: Tu es Christus Filius Dei viui; & ipse reassumpsit: Pater meus reuelauit tibi; Nominando enim Patrem, ostendebat, & docebat se esse Filium, & sic confirmabat confessionem Petri.

7 Sed

7 Sed dicet aliquis, quare non nominauit Spiritum Sanctum, cum & ipse sit Persona distincta, & est ille, qui reuelat Prophètis sicut dicit *Petrus epist. 2. cap. 1.* Non enim voluntate humana allata est Prophètia, sed Spiritu Sancto inspirati loquuti sunt Sācti Dei homines?

8 Respondet ad hoc Abulensis, (quod licèt nulla reuelatio fiat sine Spiritu Sancto, cum reuelare sit actus essentialis competens tribus Personis; tamen non nominauit Spiritum Sanctum, quia hìc solum intendebat ostendere se esse Filium Dei; & quod Pater est alia Persona ab ipso Filio distincta. Et hoc sufficienter ostendebatur, nominando solummodo Patrem; Quia Pater semper dicit relationem ad Filium, & Filius ad Patrem. Et ad hoc ostendendum non necesse fuit nominare Spiritum Sanctum, quia licèt hìc sit Persona distincta à Patre, & Filio; Attamen Pater non constituitur in esse Patris, & Filius in esse Filij per relationes ad Spiritum Sactum; sed per relationes, quas habent ad inuicem Pater, & Filius. Vndè nominando in Diuinis Spiritum Sanctum non constat esse ibi Patrem, aùt Filium, quatenus Pater, & Filius dicunt esse Patris, & Filij. Sed nominando Filium, statim constat de Patre, & nominando Patrem, statim constat de Filio. Et sic ad ostendendam distinctionem Filij à Patre, quam Christus hìc intendebat ostendere, non necesse fuit, imò superuacaneum esset, nominare Spiritum Sanctum; & ideo ipsum reticuit, & nominauit solum-

modo

modo Patrem, dicens. sed Pater meus reuelauit tibi.)

9 Ad illud autem, quod dicitur, quod Spiritu Sancto inspirati loquuti sunt Dei homines, Respondetur cum eodem Abulens. *in cap. 22. Matt. quæst. 339.* (quod Prophetæ loquuti sunt Spiritu Sancto inspirati; quia Spiritus Sanctus ipsos suis donis impleuit, & mouit ad prophetandas illas veritates, quas eis reuelauit Filius; qui est Verbum, & Sapientia Patris.)

10 Constat igitur quod reuelare prout est actus essentialis competit toti Trinitati. Ad ostendendam distinctionem Personarum Patris, & Filij, dicitur aliquando, quod reuelat Pater; At ratione attributi competit Filio.

De Fide, quæ Reuelationibus est adhibenda.

SECTIO XII.

1 VEritates reuelatas distingui in communes, & priuatas, communis est Theologorũ sententia; Et secundum hanc distinctionem, dicendum est, quod reuelationes, siuè sint de genere Prophetiæ, siuè de genere Oraculi, vèl alio quocumque modo fiant, diuiduntur in communes, & priuatas.

2 Communes sunt; quæ fiunt communitati; vèl si fiant personæ priuatæ, & particulari, spectant tamen ad totam communitatem. Priuatæ autem sunt illæ,

quæ

quæ fiant personæ priuatæ, & priuatam vtilitatem ostendunt. Vndè veritates, quas Ecclesia Catholica credendas proponit,& cadunt in communē vtilitatem fidelium,appellantur,& sunt Reuelationes Catholicæ, idest communes, generales, & vniuersales; Catholicum enim, idem est, àc vniuersale, àc generale. Reuelationes verò, quæ non proponuntur credende omnibus fidelibus, nequè afferunt communem vtilitatem Populo Christiano, vèl si quis haberet reuelationem de aliquo futuro euentu particulari,vèl quod ipse,vèl alius sit in gratia Dei, & huiusmodi, omnes istæ dicuntur reuelationes priuatæ,& particulares. Vndè colligitur, quod reuelatio communis, & catholica est illa,quæ pertinet ad totā Ecclesiam,& ordinat ad vitam æternam; vt sunt reuelationes,quæ continentur in Sacra Scriptura, & in Symbolo fidei. Priuata verò reuelatio est illa, quæ est de bono particulari solummodò.

3 Et hìc notandum, quod licèt Reuelationes,quæ sunt in Scriptura Sacra quoad originē,factæ sint priuatis personis, vt Moysi, Dauidi,Samueli, Isaiæ, àc reliquis Prophètis, tamen quæ factæ sunt communes, & sunt ad bonum commune,& vniuersale,numquam de cætero possunt reddi priuatæ, aùt de bono particulari. At Reuelatio, quæ modò est particularis,priuata, & de bono particulari, fieri potest, vt in aliquo tempore catholica fiat, communis, vniuersalis,& de bono communi.Nàm ista reuelatio facta à Christo suis Discipulis *Luc. cap.* 10. *ver.* 20. Gaudete autem, quia

nomi-

nomina vestra scripta sunt in Cœlis. Olim priuata erat, quia præter id, quod facta fuerat priuatæ personæ, nempè Apostolis, erat etiam de bono particulari, nimirum de Beatitudine Apostolorum, quæ vt liquet, est bonum particulare. Sic & ista: Aue Maria gratia plena, Dominus tecum *Luc. cap.* 1. *num.* 28. olim fuit priuata. Quia singularitèr, & priuatè ipsi dumtaxàt Beatissimæ Virgini facta fuit, & plenitudo gratiæ ipsius fuit eiusdem Virginis bonum particulare. At modò sunt Catholicæ, communes, & vniuersales, bonum commune attingentes, & ad salutem omnium fidelium necessariò pertinentes: Quoniam Sancta Mater Ecclesia modò eas toti Populo, & cunctis proponit credendas. Nàm Sancta Mater Eccesia habet hoc ius, quod semper, & quandò, imò totiès, quotiès ipsa vult, secundùm quod credentium, àc fidelium necessitas exigit, & vrget, declarare quid sit de fide tenendum. Et cum Sancta Mater Ecclesia catholica has reuelationes priuatas cunctis fidelibus proponit credendas, tùnc per fidem infusam, & Catholicam tenemur illi assensum præbere, vt patet de dictis duabus reuelationibus, nimirùm de plenitudinæ gratiæ Beatæ Mariæ Virginis, & de Beatitudine Apostolorum; quæ licèt sint priuatæ, tamen modò ex fide catholica eas esse veras tenemur credere, quia continentur in Sacris Litteris, quæ vt à Spiritu Sancto dictatæ, ab Ecclesia Catholica sunt receptæ. Et quod dictum est de his duabus, dicendum est etiam de alijs reuelationibus, priuatam

personam, vel priuatæ personæ bonum attingentibus.

4 Vndè tenendum est; quod cùm Sancta Mater Ecclesia Catholica, quæ regitur à Spiritu Sancto, non habeat minorem auctoritatem, quam habeat Sacra Scriptura; quandocumquè aliquam priuatam reuelationem toti Populo proponit credendam, tenemur per habitum fidei catholicæ illi assentiri. Sicut patet, quod multæ veritates sunt definitæ in Sacris Concilijs, & sunt de fide credendæ; & tamen illis non sic olim Catholici assentiebantur. Quæ autem ab Ecclesia Catholica nòn proponuntur de fide crededendæ, non tenemur eis de fide assentiri.

5 Notandum est etiam, quod Reuelationes priuatæ considerari possunt vèl quoad personam, quæ ipsas recipit, vèl quoad alios.

6 Si loquamur de persona, cui fiunt reuelationes priuatæ; dico quod si reuelatio priuata sufficientèr proponitur, & in quacumquè materia versetur, debet qui ipsam habet, assensum de fide præbere. Dixi si sufficienter proponitur, ad excludendas eas reuelationes, in quibus dubitari potest de diabolica deceptione; Nàm tùnc reuelatio dicitur sufficienter proponi, quãdo nulla interuenit dubitatio, & clarè cognoscitur, quod fit à Deo. Nàm vt ex Doctrina Sanctorum Gregorij, & Augustini dicit Delrius, (quod illi, quibus fit Reuelatio Diuina, solent à Deo sic mente illustrari, àc voluntate affici, & de fide, àc veritate reuelationis certiores reddi, vt apertè agnoscant, & firmissimè

cre-

credant, Deum esse reuelantem, & visionis auctorem) *lib. 4. disquis. magic. cap. 1. sect. 1.* Quando igitur reuelatio priuata sic sufficienter proponitur, tenetur, vt dixi ei assentiri de fide. Et hic assensus siuè pertineat ad fidem catholicam, siuè ad fidem Theologicam, seù infusam, quod vt merè speculatiuum scholis disputandum relinquo, parum refert; sufficit in præsenti dicere, quod qui reuelationem sufficienter propositam habet, debet ei assentiri de fide.

7 Probat hoc Suarez *in tractatu de fide disput. 3. sect. 10. num. 5.* & primò per Scripturam, in qua legimus multas reuelationes priuatim factas, etiam de rebus humanis, & temporalibus, & fides indè cōcepta laudatur, tamquam fides Diuina, eiusdem excellentiæ cum quacumquè alia. Sic *Paulus ad Hebræos cap. 11.* laudat fidem Saræ in reuelatione de futuro Filio; & quia in principio tarda fuit in credendo, reprehenditur, vt habetur in *Gen. cap. 18.* Sicut etiam reprehensus, & punitus fuit Zacharias *Lucæ cap. 1.* quia dubitauit de reuelatione, quæ ei fiebat ab Angelo, quod vxor ipsius conciperet. Et similes reuelationes leguntur frequenter in Scriptura Sacra, præsertim in Testamento veteri; & etiam in Nouo; & præcipuè in *Actibus Apostolorum*, vt illa de Agabo *cap. 11. ver. 28.* & illa de eodem *cap. 21. ver. 11.* & aliæ. Vndè *Paulus 1. Thessalon. cap. 5. num. 20.* dicit. Prophètias nolite spernere.

8 Secundò probat per Concilium Triden. *sess. 6.*

cap. 12. Vbi ait neminem posse scire se esse in numero prædestinatorum, nisi per specialem reuelationem. Et *in Canone* 16. similiter dicit, neminem esse certum certitudine fidei de sua gratia, vel futura perseuerantia, nisi per specialem reuelationem. Vbi clarè supponit, & hanc reuelationem esse possibilem, & sufficientem ad causandam certam fidem; & dùm nihil distinguit de fide, satis indicat esse eandem, qua cætera creduntur. In Concilio Lateranensi pariter sub Leone X. *sess.* 11. prohibentur prædicari reuelationes speciales de rebus futuris sine examine, & approbatione Ecclesiæ. In quò etiam supponit tales reuelationes posse sufficere ad veram fidem. Sic etiam Innocentius III. *in cap. Cum ex iniuncto. de Hæreticis*, dicit: Reuelationi speciali nó esse adhibendam fidem, nisi miraculo confirmetur; vbi loquitur respectù aliorũ, qui reuelationẽ audiunt, non autẽ eius, qui reuelationẽ accipit à Deo. Et de hac miraculorum operatione in fidei confirmationem, quando aliquid noui prædicatur, vel prædicitur, latè tractat Abulensis *in cap.* 4. *Matt. quæst.* 120. & 121.

9 Tertiò deniquè probatur ratione, quia cum reuelatio sufficientèr proponitur, cognoscitur vtiquè esse à Deo, cui tenemur de fide credere. Si igitur Deo de fide credere tenemur, vtiquè qui cognoscit, quod reuelatio sibi prouenit à Deo, debet tali reuelationi sibi factæ de fide assentiri.

10 Brondus tamen *disput.* 2. *quæst.* 4. *in cap.* 1. *Apocalyp.*

calyp. mordicùs ſuſtinet cum multis claſſicis Theologis, quod qui habet has reuelationes priuatas, non aſſentitur eis per habitum fidei infuſæ, ſed ex ſola apparentia ſignorum; quod multis rationibus probat.

11 Si autem loquamur de his reuelationibus priuatis, prout alijs proponuntur credendæ; diſtinguendum eſt; Nam vèl proponuntur ab Eccleſia Catholica; vèl ab eo, qui habuit reuelationes ſeù à quouis alio.

12 Si tales reuelationes priuatæ ab Eccleſia Catholica proponuntur credendæ toti Populo Chriſtiano, tenemur eis fidem adhibere, & aſſenſum præbere, ex habitu fidei Catholicæ. Et hoc probatur; quia Eccleſia regitur à Spiritu Sancto, & habet infallibilitatem in proponendo, & definiendo veritates. Vndè ab Apoſtolo appellatur columna, & firmamentum veritatis 1. *ad Timot. cap.* 3. Quapropter veritatibus ab illa propoſitis ad credendum, ex habitu fidei infuſæ, & Catholicæ, tenemur aſſenſum præbere. Deindè reuelationes de plenitudine gratiæ Beatiſſimæ Virginis, & de Beatitudine Apoſtolorum ſunt reuelationes priuatæ, & nihilominus aſſentimur illis ex habitu fidei catholicæ; èo quod Sancta Mater Eccleſia illas nobis proponit credendas. Ergò ſi alias ſimiles de nouo proponeret, tenemur pari fide eas credere. Poſtremo Sancta Mater Eccleſia poteſt multa determinare circa fidem, circa Sacramenta, & circa quaſcumquè conſuetudines, & mores; Et determinatis ſic ab Eccleſia, tenemur aſſentiri ex habitu fidei Catholicæ. Ergò à ſimili

ſi illa

si illa proponit aliquam reuelationem priuatam toti Populo credendam, tenemur illi assensum præbere ex habitu fidei Catholicæ. Vndè D. Augustinus *tom. 6. cont. epist. Manichæi pag. mihi 26.* Si ergò inuenires aliquem, qui Euangelio non dum credit, quid faceres dicenti tibi non credo? Ego vero Euangelio non crederem, nisi me catholicæ Ecclesiæ commoueret auctoritas.

13 At si reuelationes priuatæ non proponuntur ab Ecclesia, sed ab illo, qui habuit reuelationes, vèl ab alio, non tenemur eas credere ex habitu fidei; sed fide tantummodo humana, & per modum consilij, àc etiam per prudentiam tenemur ipsis adhibere fidem; & nullo modo sùb pœna peccati lætalis. Probat hoc Brondus *quæstione citata.* (Primò, quia ea, quæ spectant ad salutem Animæ, sufficientèr traduntur per reuelationes effectas in Lege, in Prophètis, & in Apostolis, iuxtà illud *Lucæ cap. 16. ver. 29.* Habent Moysem, & Prophètas, audiant illos; & Paulo post adiungit. Si Moysem, & Prophètas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit credet. Huiusmodi autem reuelationes priuatæ neque in Lege, neque in Psalmis, neque in Prophètis continentur; igitur non tenetur ille, cui narrantur, credere sùb pæna peccati mortalis, sed tantum fide humana, & per modum consilij, nimirùm si vult credat, & si non vult, non credat. Secundò quia tales reuelationes priuatæ possunt absquè dubio esse falsæ; sepè namquè Sathanas se transfigurat in Ange-

lum

lum lucis, vt ait *Apostolus* 2. *Corint. cap.* 11. *num.* 14. & *ad Galat. cap.* 1. *ver.* 8. Si Angelus de Cœlo euangelizet vobis præter quã quod euangelizauimus vobis. Anatema sit. Tertiò, quia Christus Dominus loquens de falsis Prophetis in die Iudicij surrecturis, dixit *Matt. cap.* 23. Tùnc si quis dixerit vobis: Ecce hic est Christus, aùt illic, nolite credere. Sed sic est, quod nobis non constat apertè, & clarè, talem narrantem, & proponentem nobis has reuelationes priuatas habuisse sermonem cum Deo; ergò non tenemur sùb pœna peccati lætalis illi credere; sed tantummodò fide humana, & per modum consilij.



Di

De Dolis, àc deceptionibus, quæ in Reuelationibus accidere possunt.

CAPVT SECVNDVM.

1 QVod in Reuelationibus, doli, àc fraudes interuenire possint clarè patet, tū ex Scriptura Sacra; tùm etiam ex exemplis; & hoc ex duplici capite, primò propter diaboli in genus humanum antiquum odium; & secundò propter hominum, malitiam. Et vtrumquè complectens Apostolus *2. corint. cap.* 11. *ver.* 17. ait: Nàm huiusmodi pseudoapostoli sunt operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi. Et non mirum, ipse enim sathanas transfigurat se in Angelum lucis; non est ergò magnum, si ministri eius transfigurentur &c. Et Ioannes in sua prima Epistola *cap.* 4. *ver.* 1. inquit: Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint. Diabolus igitur ex vna parte, qui continuo circuit quærens, quem deuoret, nèc cessat in agro Christi seminare zizaniam, sùb specie boni, multa mala suggerit, vt decipiat, si fieri potest, etiam Electos. Et homines ex altera, sua priuata commoda respicientes, multa fingunt mendacia, quibus non solùm simplices, & idiotas, sed doctos etiam, & sagaces à veritate distrahunt, ad suos errores trahunt, & multoties Populos, & Respublicas subuertunt. Quapropter, vt bonum fru-

frumentum à zizania ſecernatur, proponam in hoc capitulo deceptiones, quæ in reuelationibus interuenire poſſunt, & ſequenti afferam regulas, quibus veræ à falſis diſcernuntur.

De dolis, qui ſub Reuelatione latère poſſunt.

SECTIO I.

2 OLim Reuelationes, & Viſiones Diuinæ erant frequentiores, quia magis neceſſariæ; hodie quia minus neceſſariæ ſunt, ideò infrequentiores. Cū arbuſta plantamus quotidiè irrigamus, vt radices figant; at poſtquam increuerint, cū ſunt arbores, nō amplius aquam inijcimus. Sic Eccleſia Dei, ſic quæuis Religio, ſeù Congregatio Religioſorum in ſuis primordijs multis in principio reuelationum, viſionum, ac miraculorum imbribus ditauit, vt radices figerēt, & excreſcerent. Sed cūm iam vſque ad Cœlos extenderint ramos, dulceſquè in dies proferant fructus, talis reuelationum, & viſionum irrigatio minimè neceſſaria eſt; & per conſequens ſuſpectione non caret. Quapropter docet, & admonet D. Bonauentura *lib. 2. de profectu Religioſ. cap.* 74. Quod in Reuelationibus tantò minùs immorandum eſt, quantò frequentiùs eis innitentes decipiunt, & minor profectus eſt in talibus, etiam ſi veræ ſint: licèt à rudibus, & ſpiritualium

charismatum ignaris, magnæ sanctitatis, & sapientiæ virtus in huiusmodi consistere existimetur.

3 Et quisnam ex tali reuelationum, & visionum dono se in virtute profecisse argumentum assumet? cum ipsas non solum bonis, sed & malis factas fuisse scriptura testetur: Si enim aliquis ex reuelationibus, & visionibus Sanctum se existimauerit; deberet vtiq; concedere, ait D. Bonauentura loco citato *cap.* 74. quod Balaam Sanctus esset, & etiam eius Asina, quæ vidit Angelum, vt habetur *cap.* 22. *Numer.* & etiam Pharao Sanctus esset, qui futurorum præsagia vidit. Vndè euidenter apparet, quod à Religiosis, qui perfectioni student non magis sunt faciendæ, quã quærendæ seù affectandæ. Addit Sanctus aliam rationem quare nõ sunt quærendæ; Quia etiam, quod veræ sint, tamen per se meritoriæ non sunt; & qui multa talia videt, non est melior; & qui nulla non est minor.

4 Item subiungit Sanctus, quod pluribus sæpè magis nocuerunt talia, quàm profuerunt; quia inaniter indè gloriantes extollebantur. Inter alia enim, quæ intendit diabolus in his priuatis reuelationibus, est, vt Anima se auertat à Deo, & primò per superbiam; cùm enim quis à Domino se visitari existimat, faciliter se extollit, & de se magni aliquid iudicat. Et vt omittam multa exempla, quæ hoc monstrare possunt, referam quod de Sancto Friardo, & Secundello ex S. Gregorio Turonensi refert Delrius *lib.* 4. *disquis. magic. quæst.* 3. *sect.* 5.

5 S.

5 S. Friardus, cùm Secundello Diacono in supradicta Insula stetit immobilis. Habebat tamen vterquè eorum propriam cellulam, sed procùl inter se positā. Cumquè strenuè in oratione persisterent, nocte Secūdello Diacono apparuit tentator in specie Domini, dicens: Ego sum Christus, quem continuò deprecaris; iam enim Sanctus es; & nomen tuum in libro vitæ cū reliquis Sanctis meis adscripsi. Egredere nùnc ab hac Insula, & vadens fac sanitates in Populis. His & ille illectus deceptionibus discessit ab Insula, nèc socio nunciauit; Tamen cum infirmis in nomine Christi manus imponeret, sanabantur. Reuersus autem post multum tempus ad Insulam, venit ad socium cum vana gloria, dicens: Abij extrà Insulam, & virtutes multas in Populis feci. Cumquè conterritus ille interrogaret, quid hoc sibi vellet? cuncta, quæ gesserat, simplicitèr pandit. At senex obstupescens, suspiransquè: ac lachrymans ait; Væ nobis: inquantum audio à tentatore delusus es: Vade age pœnitentiam, ne vltra tibi præualeāt eius doli. Hæc Gregorius Turonens. *lib. de Vita Patrum cap.* 10. quem citat Surius *primo Augusti*. Ex quo exemplo clarè apparet astutia tentatoris, vt hunc Diaconum in superbiam extolleret.

6 Non sic fecit S. Marcellus Abbas, vt de eo refert Simeon Metaphrastes *in eius Vita mense Nouemb.* Hic, dæmones ex obsessis pulsurus, ijsquè aliquotiès inclamantibus: iube nos exire, in nos quoniam accepisti potestatem, nihil iussit, sed perseuerauit in oratione, do-

nèc à Deo compulsi recesserunt. Causam quærentibus cùr non statim iussisset, prudentissimè respódit: Quoniam dicentes, me in eos accepisse potestatem, nihil aliud agebant, quam quod vanæ gloriæ laqueis me conabantur implicare &c. Ecce scopus, quò collimant primò diaboli fallaciæ.

7 Secundò per huiusmodi reuelationes intendit homines seducere, falsam doctrinam in falsis reuelationibus subministrans. Et hoc est, quód ipsa veritas admonuit *Matt. cap.* 24. *ver.* 24. Surgent enim Pseudochristi, & Pseudoprophètæ, & dabunt signa, & prodigia, vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi. De facili namquè creditur illis, saltem ab idiotis, qui reuelationem à Deo se habuisse testantur. Et non solùm simplices, & idiotæ, sed & doctissimi viri in hoc quandòquè decepti sunt, & perniciosam doctrinam, quam à falsis reuelationibus hauserunt, alijs post modum propinauerunt. Referam hic, quod ex Iosepho à Costa de quodam Theologo adducit Delrius *loco cit. sect.* 3. his verbis.

8 Fuit in hoc Peruensi Regno vir magnus pro illo tempore æstimatus, doctus Theologus, ac Theologiæ professor, idem Catholicus, ac pius diù habitus, ac penè tùnc huius orbis miraculú. Is familiaritate mulierculæ cuiusdam, quæ se edoceri ab Angelo magna quædam mysteria iactabat, quæquè extra se interdùm rapiebatur, aùt rapi simulabat, velùt altera olim Philomena, aùt Maximilla Montani, ita deuinctus est, vt

illam

illam de ſummis Theologiæ quæſtionibus ſepè conſuleret: in omnibus pro oraculo haberet, magnis reuelationibus plenam, & Deo valdè charam prædicaret, ſatis alioqui ſordidam, & perexiguo ſenſu præditam, niſi ad inſtruenda mendacia. Igitur, ſiuè à diabolo corriperetur (quod facilius eſt credere, cum huiuſmodi extaſim pateretur,) ſiuè callidè eam fabulam ſimularet (quod nonnulli viri prudentes exiſtimarunt;) ille Theologus, quod à muliercula, magna, & mira de ſe audierat, ac multò grādiora futura conciperet, libentèr ei ſe diſcipulum addixit, cui Patrem Spiritualem agebat. Quid multa? eo abductus eſt homo, vt miracula facere tentaret, & fieri ſibi perſuaderet: cum miraculi veſtigium ne tenuè quidem extaret. Ob hæc, & quod propoſitiones aliquas ab illa prophètiſſa accepiſſet à ſenſu Catholicæ Eccleſiæ alienas, à Sanctiſſimæ Inquiſitionis Iudicibus, toto hoc Regno ſtupente, comprehenſus eſt. Ibi per quinquennium ferè auditus, toleratus, examinatus, ac tandem patefactus eſt homo omnium ſuperbiſſimus, & inſaniſſimus. Cum enim Angelum ſibi Diuinitus datum, à quo omnia, quæ vellet diſceret, ac deindè ſumma Dei ipſius familiaritate, & immediato colloquio ſe poſitum pertinaciſſimè diſſereret, in eas nugas delatus eſt, quas, niſi ab homine prorſus mentis emotæ, dici nullo modo ſibi quiſquam perſuadeat. Erat verò ille tàm integrò ſenſu, quo ad cerebrum attinet, vt mihi integrior non ſit. Itaquè, & ſerio affirmabat ſe, & Regem futurum,

& Pon-

& Pontificem Summum, Sede Apoſtolica ad hæc Regna tranſlata; conceſſam quoquè ſibi ſanctitatem ſuper omnes Angelos, & choros cœleſtes, atquè Apoſtolos omnes,quin etiam oblatam ſibi à Deo vnionē hypoſtaticam, ſed ab ipſo non eſſe admiſſam. Datum quoquè ſe Redemptorem orbis, quoad efficaciam, vt ipſe loquebatur, quod Chriſtus ſolus quoad ſufficientiam fuiſſet. Omnem ſtatum Eccleſiaſticum abrogandum: Leges verò alias ſe editurum faciles; & apertas, ſecundùm quas cælibatus Clericorum tolleretur,multitudo vxorum cōcederetur,confeſſionis neceſſitas excluderetur. Hæc, atquè alia tanta contentione affirmabat, vt nos teneret attonitos, quod homo talia ſentiens non inſaniret.

9 Deniquè diù euolutis geſtis illius, & pluſquam centum, & decem propoſitionibus hæreticis, aùt à ſana doctrina Eccleſiæ alienis condemnatis, iuſſi ſumus (vt habet de more Sacrum illud Tribunal) cum homine diſputare,ſi fortè ad mentem,& fidem hominem reuocare poſſemus. Conuenimus autem cum ipſis Iudicibus, & Epiſcopo Quitenſi, tres alij. Eò introductus homo ea libertate, & facundia perditiſſimam ſuā cauſam defendit, vt ego in hodiernum diem etiam ſtupeam, eò adigi poſſe mentis humanæ ſuperbiam. Profeſſus eſt doctrinam ſuam nō poſſe monſtrari niſi Diuina Scriptura, & miraculis, quod eſſet ſuperior omni humana ratione. Scriptura autem teſtimonijs longè ſe apertius, atquè efficacius probaſſe,quam probauerit

bauerit Paulus Iesum Christum fuisse verum Messiam. Miracula autem se perpetrasse plurima, eaquè tanta, vt Christi Resurrectio non fuerit maius. Nàm & se verissimè esse mortuũ, & resurrexisse, atquè id euidentissimè (aiebat ille) esse ostensum. Scripturas vero proferebat memoritèr (cum nullum librum haberet, atquè ipso etiam Breuiario spoliatus esset) ex Prophètis, ex Apocalypsi, ex Psalmis, ex alijs locis, tot, & tàm longas, vt vèl memoria esset admirationi. Eas verò ita ad sua commenta adaptabat, ita allegorizabat, vt quiuis vèl rideret, vèl fleret. Postremò si miraculis rem agere nobis placeret, se libentèr ea statim exhibiturum. Hæc ita dicebat homo, vt vèl nos insanos putare videretur, vèl ipse insanire. Nàm per reuelationem sibi innotuisse iactabat, Serenissimum Ioannem Austriæ bello nauali à Turca esse superatum; & Regnum Hispaniæ à Philippo Inuictissimo iam penè amissum; & Concilium Romæ habitum, vt de Gregorio deponendo, & alio subrogando ageretur. Quæ ideò nobis significaret, vt, quoniam erant nobis certis nuncijs nota, sciremus ei non nisi diuinitus innotuisse. Et cum essent omnia adeò falsa, vt amplius esse non possent, ab illo tamèn asserebantur, vt notissima nobis. Deniquè cum nihil profecissemus per duos dies differendo, & ad publicum spectaculum esset cum cæteris, vt in Hispania fieri solet, delatus, intuebatur semper in Cœlum, ignem Inquisitores, & omnes grassaturum cœlitus expectans, vt illi pollicitus erat diabolus; At

qui

qui ignis quidem nos nullus ex alto corripuit; illum verè, & Regem, & Pontificem, & Redemptorem, & Legiſlatorem ex imo flamma rapuit, atquè redegit in cineres. Hæc Ioſephus à Coſta. Ex quo facto intelligi poſſunt machinæ, quas aduerſarius componebat, & ruinæ, quæ ex fictis, & falſis reuelationibus ſequi poſſent, ſi vigilantia Tribunalis Sãctiſſimæ Inquiſitionis eas non deſtrueret.

10 Solet etiam dæmon cum huiuſmodi reuelationibus deſperationem intentare, ſicut fecit cum illo Eremita, cui reuelauit, quod ſuus ſocius erat de numero reproborum; quapropter nihil ei proderant orationes, ieiunia, aliaq; auſteritatis exercitia, quibus carnem ſuam affligebat. De quò valdè contriſtatus ille bonus ſenex inconſolabilitèr ſui ſocij perditionem deflebat. Sed Deus ſua gratia dæmonis aſtutias deluſit, communicauit namq; Iuueni illi, qui vt perditus plorabatur tantam ſuæ cum Diuina voluntate conformitatem, quòd non ſolum, quando illam reuelationem reſciuit non ſe turbauit; quinimmò occaſionem indè ſumpſit laudandi, & benedicendi Dei conſilia, ipſumquè ardentius in poſterum amandi.

11 Et ſi in diſperationem inducere non poteſt, tentat ſubindè cum his falſis reuelationibus à bono propoſito auertere; Sic fecit cum Fratre Ruffino Seraphici mei Patris Franciſci Socio, cui cum reuelaſſet, quod Franciſcus erat de numero damnatorum, ipſum admonuit, ne amplius eius veſtigijs inhæreret; & iam è

sui Patris consortio se seiungebat. Quod cùm cognouisset B. Pater benignè eum corripuit; ipsumq; quomodò cum antiquo hoste se in posterum gerere debebat prudentèr instruxit. Vt habetur *in Chronic. Beati Francisci.*

12 De S. Matrona simile refert Simeon Metaphrastes *in eius vita mense Nouemb.* Apparuit namquè illi Diabolus in forma speciosæ Mulieris, suasitquè, vt relicto deserto, vrbem peteret, vbi minus illius pudori periculum adesset. Sed Beata statim insidias inimici ex austerioris vitæ dissuasione intellexit; eumquè opportunè repulit.

13 Demum solet diabolus aliquādò apparere sùb aliqua Cœlesti specie, vèl Christi, vèl Beatissimæ Virginis, vt sùb tali specie adoretur, & extorqueat ab incautis actum idolatriæ, saltèm materialis. Exemplum affert Gerson *in Tract. de distintione verarum reuelationum à falsis condit.* 2. his verbis: Cuidam ex Patribus dæmon apparuit transfiguratus, non solum in Angelum lucis, sed in Christum: dixit se adhoc venisse in mundum, vt ab hoc Patre videretur, & adoraretur. Cogitabundus aliquandiù mansit Sanctus ille Pater instar Mariæ Virginis, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Dicebat intra se: Numquid non adoro quotidiè Christum? quid sibi vult talis apparitio? & ad humilitatem illicò confugiens, ait ad dœmonem: Vide ad quem mitteris. Nō enim dignus sum hìc videre Christum. Quo dicto tàm humili dæmon confusus, & pu-

L dibun-

dibundus abſceſſit &c. Ecce quid quærebat dæmon ex illa apparitione, vt saltèm ille Sanctus Pater pronus caderet antè ipſum, eumquè adoraret. Et hic notandum eſt, quod cum S. Bonauentura concludit Gerſon circa dubium; ſi quis poſſit excuſari adorando diabolum oſtendentem ſe vice Chriſti? & dicit quod nequaquã. (Ratio: quia ſupereſt tali caſu triplex remedium: videlicèt ſuſpẽſio iudicij proprij, petitio alieni cõſilij, aùt tandèm imploratio Diuini auxilij; quod non deerit faciendo, quod in ſe eſt, primis duobus modis: Exemplo Beati Martini, & aliorum plurimorum.) Hæc Gerſon *in Alphabeto* 18. *littera D.*

14 Alias deceptiones, innumeraſquè fraudes poteſt diabolus sùb hoc reuelationum tegmine abſcondere, & machinari; quapropter, vt omnes eius technas effugiamus, expedit nobis ſequi illud monitum, quod dat S. Bonauentura, dicens: (Alijs autem videtur ſecurius talia non quærere, oblatis non cito credere, deceptionis caueam cauere. Aliquandò etiam oblata velùt minus fructuoſa paruipendere: vt ſi vera ſint, ſe habeant indifferentèr ad ea; & ſi falſa non innitantur eis ne decipiantur.) Hæc S. Bonau. *de profectu Religioſ. cap.* 76. & de hoc habemus exemplum apud Gerſonem de illo Eremita cui apparuit Diabolus transfiguratus in Chriſtum; At ille clauſit oculos, & dixit: Nolo videre Chriſtum in terra, illum in Cœlo videre cõtentabor. Gerſon *loc. cit.* Prudentiſſimè hic ſe geſſit. Nàm ſi illa apparitio eſſet vera, merebatur, priuando

ſe de

ſe de illa ſpirituali conſolatione,quærens ſolummodò conſolationem in altera vita: Si autem apparitio eſſet falſa, vt de facto erat, effugit laqueum diaboli, qui quærebat eum decipere. Et hoc monitum valdè vtile eſt in ſimili contingentia.

15 Hac cautela vſus eſt Genebaldus Laudunenſis Epiſcopus. Erat hìc in carcere conſtitutus, & dùm in vigilia Cænæ Domini in oratione pernoctaret circa mediam noctem venit ad ipſum Angelus magno ſplẽdore circumdatus, & dixit ad eum; Genebalde exauditæ ſunt pro te orationes Patris tui Remigij; ſuſcepit quoquè Dominus pœnitentiam tuam,& dimiſſum eſt peccatum tuum; ſurge itaquè, & hinc egredere, facq; miniſterij Epiſcopalis officium,& reconcilia Domino Pœnitentes criminibus ſuis.Genebaldus autem nimio terrore perculſus, reſpondere nihil potuit. Tunc Angelus Domini confortans eum, ne timeret hortatus eſt, ſed gauderet in miſericordia Domini ſibi collata. Qui animatus dixit ad Angelum, non poſſum hinc egredi: quia Dominus, & Pater meus Remigius clauem huius oſtij ſecum habet,quod & ſigillo ſuo ſignauit. Et Angelus ad eum; vt non dubites (inquit) me à Domino miſſum,ſicut patet tibi Cœlum,ſic & oſtiũ iſtud tibi patebit.Et ſtatim,ſaluo ſigillo,ac cera,oſtium illud apertum eſt. At Genebaldus paruipendens hæc omnia, licèt in eis tot ſigna veræ viſionis haberet, vt nullus dubitandi locus eſſet, in modum crucis ſe iactans in limine, dixit: Etiam ſi ipſe Dominus Ieſus Chriſtus dignatus fuerit ad me venire peccatorem,

hinc non egrediar, donèc ille venerit, qui me in eius nomine in ista reclusione constituit. Et statim Angelus Domini recessit ab eo. Placuit Deo Genebaldi animus, & per Angelum hæc omnia, eadem nocte, Rhemis pernoctanti in oratione D. Remigio manifestauit, eumquè, Laudunum proficisci iubet, & Genebaldum Episcopali Sedi restituere, quod & confestim ab eo factum est. Sic Surius *die* 13. *Ianuarij*.

16 Ecce hìc vera reuelatio, ecce boni Angeli apparitio, ecce tot signa de quibus dubitare nemo posset; At hìc Sanctus, quia nihil hæc omnia fecit, inuenit Dominus viam, qua sua voluntas circa Genebaldum adimpleretur. Itaquè optimum est D. Bonauenturæ consilium, vt scilicèt nihil de istis reuelationibus curemus. Nàm si Dominus aliquid de nobis disposuit, sciet viam inuenire, vt eius voluntas à nobis adimpleatur. Et ad hoc propositum dicit Gerson *Alphabeto* 17. *littera X*. (Sed profectò Spiritus Sanctus, qui se dat humilibus, nequaquã ex humiliatione quam prædiximus se subtrahet: Intrabit potius, & in beneplacito suo deducet, victor, super excelsa animam hanc in oculis suis vilem, & absquè vlla ruga fictionis, humilem, & simplicem &c.)

17 At quia non solum dæmones, verum etiam, & homines solent has machinationes struere, surgent enim Pseudochristi, & Pseudoprophètæ, dicit Christus *Matt. cap*. 24. Et isti falsis reuelationibus sua machinamenta contegunt; ad hos quoquè attendere oportet ne ab ipsis decipiamur. Fuerunt olim Begardi, Beguinæ ab

næ; Lolardi, & Illuminati, qui diuersas reuelationes fingebant, cum quibus non paucos decipiebant. Et ab ipso Ecclesiæ initio multi istarum reuelationum concinnatores ex Eusebio, Ireneo, Epiphanio, & Augustino; Refert Delrius *lib. 4. disquis. magic. quæst. 3. sect. 2.* vt sunt reuelationes quas confinxit Cherintus; Reuelationes prophètissarum Mõtani. Reuelationes Archonticorum, quas in vno libro congestas reuelationes Prophètarum appellabant. Reuelationes Manetis; Reuelationes Iuliani Apostatæ; Reuelationes Donatistarum, & Messalianorum. Et vt sunt etiam in nouissimis temporibus reuelationes Munzeri, Anabaptistarum, Campani, Iusti Velsij, Francisci de la Cruz, & aliorum. Isti omnes multas, ac diuersas reuelationes fingebant, ac diuulgabant. &

18 Primò, vt errores, quos contra Ecclesiasticas Institutiones, & contra Catholicam fidem spargebant sub prætextu, quod erant cœlitus reuelati à Populis reciperentur. Et hoc est quod ait Gerson *loco cit.* his verbis: (Quocirca dicamus in primis: Sicut vera Religionis assignatio per sophisticas, & fallaces hæreticorum argumentationes impugnatur; Sic per mendaces Angelos miraculorum verorum, Sanctarumquè reuelationum auctoritas, factis quibusdam sophisticis, & magorum præstigijs quæritur infringi.) Hoc dicit Petrus *apud Clementem in itinerario suo*. (Cur ita? quatenus per hoc abducantur homines à spiritualis veritatis cognitione, quæ per miraculorum, aùt reuelationũ

media

media tradita eſt, quandò ad falſitatem ſimilia videntur introduci &c.)

19 Etiam de Tertulliano teſtatur Baronius,(quod falſis reuelationibus deceptus fuit à Montano; reuelationibus ſcilicèt,quas Philumena,& Maximilla,quæ erant propheteſſæ Montani, aſſerebant.) Et de alijs hæreticis tàm antiquis, quàm modernis, vt ſunt Lutherani, & Caluiniſtæ, dicit Suarez, (quod inter alia peſtifera dogmata hoc in primis tradunt,nempè,quod vnica ratio, & regula credendi in ſingulis fidelibus eſt interna reuelatio, vèl inſtinctus ſpecialis, quem Deus vnicuiquè tribuit; quod hæreticum eſſe aſſerit ipſe Suarez) *in tract. de fide diſput.* 3. *ſect.* 10. Per hanc namquè ſuppoſitam, & confictam reuelationem totius Catholicæ fidei fundamenta diuellunt.

20 Nonnulli etiam reuelationes habere ſe iactant propter hypocriſim; & de his dicit D. Bonauentura *loco cit. cap.*75. (Multi finxerunt mendaciter ſe vidiſſe viſiones, ne vt haberentur inferiores cœteris, aùt vt præcœteris honorarentur, quaſi ſanctiores,quibus ſecreta Dei oſtendantur.)

21 Huius rei exemplum deſumam ex Ribadeneira *in Vita S. Ignatij de Loiola lib.* 5. *cap.*10. vbi ſic ait: (Anno Domini 1553. Frater Reginaldus Dominicanæ familiæ Monachus, vir grauis, & vita, & ætate, atquè prudentia inter ſui Ordinis viros apprimè nobilis, noſtriq; perſtudioſos, Ignatium 23. Maij officij gratia Romæ conuenit,& me, ac P. Benedicto Palmio

præ-

præſentibus, inter alia, Bononiæ in Cœnobio fœminarum ſuæ curæ commiſſo, Virginem quandam eſſe dicit admirabilem, & orationis virtute præſtantem: quæ ſæpe numero alienaretur à ſenſibus, atquè extra ſe ita poneretur, vt nequè admotum ignem, nequè ſtimulos corporis adhibitos ſenſu perciperet: ad omnia deniq; mortuæ iacere ſimilis, præterquàm ad vnam obedientiæ vocem. Excitabatur enim, àc veluti de leuiſſimo ſomnio expergefacta ſurgebat ab oratione, ſimul atquè vocem Præfectæ Monaſterij ſe vocantis audiuiſſet. Hæc eadem Virgo Domini noſtri Ieſu Chriſti cruciatus ferebatur imitari, & quos ille in corpore ſuo pro nobis dolores pertulit, ipſa ſuis doloribus ita repreſentabat interdùm, vt in Chriſtum ipſum amore transformatam diceres; Nàm ſtigmata habere in manibus videbatur, perfoſſum latus, caput veluti compunctum ſpinis, atquè transfixum, guttatim diſtillans, àc cruore madidum, & id genus alia quædã: eaquè bonus Pater ſuis ipſe oculis ſe vidiſſe aiebat, ſuis tetigiſſe manibus, alienis oculis, atquè manibus fidem negantem. Hæc cũ narraſſet, ex Ignatio quæſiuit familiaritèr, quod eius eſſet de iſtiuſmodi rebus iudicium? quas ipſe non audebat vèl probare omninò, vèl improbare? Cui Ignatius illud tantum, Ex omnibus, inquit, quæ narraſti, Pater, nihil minùs habet dubitationis, quàm illud promptæ obediẽtiæ ſignum. Reginaldo à nobis diſceſſo, rogaui ego Ignatium ſolus ſolum, quæ eius recondita eſſet de propoſita quæ-

ſtione

stione sententia? & ille, Proprium, inquit, Dei est, Petre, animas hominum sanctificare, in eas influere, suis eas donis complere: idquè tàm copiosè facit nonnúquàm, vt animæ Dei gratia circumfluentijs plenitudo, in corpus etiam deriuetur, emineatquè foris, quod intus est, sed id perrarum est. Dæmon verò quoniam vim ipsam non habet in animam, simulatis rerum, atquè adumbratis imaginibus, mortalium mentes vanitatis sectatrices, & nouitatis auidas, per corpus sæpè deludit. Idquè exemplis etiam mihi notis confirmauit. Virginem autem illam Bononiensem, quam admiratione stupefacti homines intuebantur, pessimum exitum habuisse audio, fumumquè ex fulgore dedisse.) Hæc Ribadeneira.

22 Quis, ex narrato exemplo, non percipit quanta hypocrisis figmenta componere scit, quanta inuenire satagit, vt humanas mentes decipiat, vt leuissimum vanægloriæ fumum aucupetur? sed si fumus est, omnem deniquè fictæ sanctitatis splendorem obscurabit.

23 Alij non numquàm has reuelationes, & visiones fingunt turpis lucri gratia; & de his ait D. Bonauentura *loco citato*. (Multi etiam putantes se visionem vidisse, cum nil viderint, seducunt se, & alios, vèl ad quæstum auaritiæ retorserunt &c.) & in hoc assimilantur falso Prophètæ Balaam; qui monitus à Deo ne iret ad Balac Regem Moabitarum; cum iste denuo mitteret nuncios ad ipsum Balaam cum illa promis-
sione

sione honoris, àc pretij: scilicèt: Paratus sum honorare te, & quid volueris dabo tibi. *Numer. cap. 22. ver.* 17. præmiorum auiditate commotus, iterum Dominum importunauit, vt eum ire permitteret. Sic multi auaritia deuicti reuelationes, & visiones simulant.

24 Et ecce tibi exemplum ex Baronio *Anno Domini* 847. (Pseudoprophètissa Mongontiacum venit, quæ Salomonis Episcopi Parochiam nō minimè perturbauerat; Nàm certam consummationis sæculi diem, aliaquè perplura Dei solius notitia cognita, quasi Diuinitus sibi reuelata, scire se fatebatur, & eodem anno, vltimum diem mūdi imminere prædicabat. Vndè multi plebeij vtriusquè sexus timore perculsi ad eā venientes, munera illi ferebant, sequè orationibus illius commendabant; & quod grauius est, sacri Ordinis viri, doctrinas Ecclesiasticas postponentes, illam quasi magistram cœlitus destinatam sequebātur. Hæc in præsentiam Episcoporum apud S. Abbanum deducta, & diligenter de suis assertionibus requisita, Presbyterum quēdam sibi ea suggessisse, & se talia, quæstus causa, narrasse, professa est. Quapropter Synodi iudicio publicis cæsa flagellis ministerium prædicationis, quod irrationabiliter arripuit, & sibi contra morem Ecclesiasticum vendicare præsumpsit, cum dedecore amisit, suisquè vaticinijs, tandèm confusa, finem imposuit. Baron. *tom.* 10. *annal. Anno Christ*: 847.

25 Hæc, & similia intendunt homines, & dæmones cum suis priuatis reuelationibus subinducere in

M populo

populo Christiano. Et si circa rem politicam versatur negotium, quis non videt quot, & quantæ perturbationes hinc possunt prodire?

26 Hinc Cancellarius Parisiensis *Alphab. 18. littera l.* dat sequentem cautelam: (Sequitur altera cautela prò Prælatis, & specialiter Doctoribus, apud inferiores, præsertim idiotas, àc sine litteris mulierculas. Caueant qui dati sunt in Regimen, & exemplum nè leuitèr suis verbis, aût factis approbent doctrinas earum, vèl miracula, seù visiones insolitas, ipsis maximè scientibus, seù coram eis. Nulla planè posset altera dari talibus ad fingendum fortior occasio. Experti pluries loquimur. Et Gregorius XI. testis fuit idoneus, sed tardus nimis: Hic positus in extremis habens in manibus Sacrum Christi Corpus, protestatus est coràm omnibus, vt cauerent ab hominibus siuè viris, siuè mulieribus, sùb specie Religionis loquentibus, visiones sui capitis, quia per tales ipse seductus, dimisso suorum rationabili consilio, se traxerat, & Ecclesiam ad discrimen schismatis imminentis, nisi misericors prouideret Sponsus Iesus, quod horrendus vsquè huc nimis patefecit euentus.) Hæc Gerson.

27 Et si exemplis probatam rem exoptas, accipe quod Laurentius Beyerl. affert *in suo Theatro, titulo Propheta, & Prophetia.* Eo schismate, quod fuit inter Vrbanum VI. & Clementem VII. quidam Barbatus Eremita, visione, vt ferebat, admonitus, ex Gallia veniens Romam, Vrbanum interpellauit verbis Dei, vt

Pon-

Pontificatu, verò Pontifici Clementi cederet, alioqui Diuinam vltionem subiturus. Interrogabat Pontifex, vndè nosset visionem veram, non illusionem phantasticam, neque diabolica esse figmenta. Nihil ille dixit probabile; sed quæstioni se subijci petebat. Gemmam insignem præferebat in auro. Hoc non esse Eremiticum, cum diceret Vrbanus? ille se dono, & iussu Sanctissimi in Christo Patris Domini Clemētis eam ferre asseruit. Eam cum posceret visendam Pontifex, tradidit proxime adstanti ex familia: Vide, inquit, si quid est magicum in ea, cuius te rei peritissimum aiunt, subiectum quæstioni eò tandem perpulit, vt fateretur diabolica esse figmenta. Voluit igne sumere de eo supplicium; sed intercessione Prælatorum Gallicorum, iussit vt proxima Dominica omnia palàm, quæ dixisset, reuocaret, seque vanum, mendacem, à Diabulo instinctum omnia protulisse affirmaret, Redditis indumentis, & annulo, dimissus est &c. In quò exemplo illud tantùm perpendo, quod etiam in materia politica componuntur reuelationes; & finguntur visiones ex proprio marte.

28 Et quis nescit modos, quibus Mahometus tot Regiones suo subiugauit Imperio? Fuit hic primo camelorū Pastor, deindè Mercator, & tertio demū factus est Prophètes; & suis falsis prophètijs, & horribili Ethnicæ, Iudaicæ, & Christianæ Religionis cōfusione; Ecclesiam in Oriente suppressit, & Imperium Romanum enormi obtruncatione mutilauit. Inter aliàs vi-

 siones,

ſiones, reuelationes, quas iactabat, erat illa, quod cum eſſet in Hieruſalem à Gabriele Archangelo fuit tranſlatus in Cœlum, & ibi de myſterijs Diuinis edoctus, hæc alijs proponebat. Adiunctis ſibi ſocijs, & Athaiff profectus publicè docuit ſe prophetam eſſe, per annos decem, hinc, inde diſcurrens. Tandem contractis aliquot copijs, eos quos fanaticis ſuis oraculis, & argutijs ad præſcriptam à ſe religionis, & legum formulam perducere non potuit, minis, & armis ad conſenſum compulit. Ex Iacob. Curio *lib. 2. Chronic.* & Vincent. *lib. 23. cap. 41.*

29 Innumera in hac re exempla poſſent afferri; ſed hoc vltimum ſatis; Nàm & ex hoc forſitàn lumen deſumpſerunt hæretici, qui tot reuelationes, & viſiones concinnabant, vt ſuos terminos dilatarent.

30 Clarum eſt itaquè, quod Reuelationes multis dolis, & fraudibus ſunt obnoxiæ, tùm propter dæmonis odium, tùm etiam propter hominum malitiam; & ideo quando de nouis reuelationibus agitur, cum magna, imò maxima cautela incedere debemus, maximè his vltimis temporibus, de quibus ſic Cancellarius Pariſienſis ſcriptum reliquit. (Et etiam in hoc ſenio ſæculi, in hac hora nouiſſima, in præcurſione Antichriſti, mundus tamquam ſenex delirus, phantaſias plures, & illuſiones ſomnijs ſimiles pati habet: & multi dicent: ego ſum Chriſtus; & recedentes à veritate, conuerſi ad fabulas ſeducent multos.) Sic Gerſon *Alphabeto 19. littera M.*

An in

An in Prophètijs priuatis possit esse deceptio.

SECTIO II.

1 PRophètiam esse donum Spiritus Sancti clarè testatur Paulus dicens: Et ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophètas, alios verò Euangelistas &c. *Galat. cap.* 4. *ver.* 11. At multos esse falsos Prophètas clarissimè, & in pluribus locis Sacra Scriptura testatur, & præcipuè *Deutoro. cap.* 18. *ver.* 20. Sic loquitur Dominus: Prophèta, qui arrogantia deprauatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, vt diceret, aut ex nomine alienorum Deorum interficietur, & dans signum quomodo cognosci possit si Prophèta ille loquitur in nomine Domini, adiungit. Hoc habebis signum; quod in nomine Domini Prophèta ille prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non est loquutus, sed per tumorem animi sui Prophèta confinxit. Et *Ierem. cap.* 23. *ver.* 21. dicit Dominus: Non mittebam Prophètas, & ipsi currebant, non loquebar ad eos, & ipsi prophètabant &c. & *Threnor. cap.* 2. *ver.* 14. Prophètæ tui viderunt tibi falsa, & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent; viderunt autem tibi assumptiones falsas, & eiectiones. Et vt alia loca relinquam, clarissimè nos admonuit Iesus Chri-

Christus fugere istorum prædictiones, & doctrinas; dicens *Matt. cap. 7. vers. 15.* Attendite à falsis Prophètis. *Et Mar. cap. 13. ver. 22.* Exurgent enim Pseudochristi, & Pseudoprophètæ &c.

2 Et isti etiam moueri possunt ad prophètandum vèl à Dæmone, vèl à spiritu proprio: mouentur primo à dæmone, qui multa futura cognoscit, & occulta, & sicut ipse cognoscit, sic potest etiam falsis Prophètis reuelare. Virtus enim quantò altior est, tantò ad ampliora se extendit; sed intellectus dæmonum multo est altior intellectu humano; & quæ nobis sunt occulta, & futura ex secundis causis, & ex multis signis potest cognoscere, & de facto cognoscit; & quæ cognoscit potest prædicere, & manifestare; ergò potest dari falsus Prophèta, à diabolo instructus, ad prædicenda multa futura; quæ ipsius Diaboli cognitioni sunt patentia. Nèc ita facile verus à falso Prophèta dignosci potest per signa exteriora. Quia non necesse est, quod Prophèta sit vitæ virtuosæ, vèl quod habeat gratiám iustificantem; vt patet de Balaam, de Saul, & de Caipha, qui prophètauerunt etiam dùm essent in peccato. Nèc ab euentus fallacia possunt dignosci Pseudoprophètæ; nàm si eis opponatur, quod non euenit, quod prædixerant ipsi auctoritate Sacræ Scripturæ se contegunt, dicentes, quod etiam Isaias prædixit mortem Ezechiæ, & non euenit; Et Ionas prædixit subuersionem Niniuè, nèc pariter sequuta est. Quibus auctoritatibus suã malitiam defendunt falsi Prophètæ; maximè cum ipsi sem-

ſemper loquantur cum tali artificio; quod eorum prædictiones diuerſos habeant ſenſus. Nèc adiungunt quod illæ Prophètiæ, Iſaiæ, & Ionæ erant conditionatæ, vt ſupra dictum eſt.

3 Cum igitur poſſit diabolus multa occulta præcognoſcere, & manifeſtare ſuis Pſeudoprophètis; nèc facile ſit dignoſcere nùm iſti ex Spiritu Dei, vèl ex ſpiritu Diaboli, aùt ex ſpiritu proprio loquantur, clarè patet, quod prophètiæ particulares, quæ aliquando circumferuntur poſſunt ſuas habere fraudes, & deceptiones.

4 Adde quod aliquandò Deus permittit, vt homines ab iſtis falſis Prophètis decipiantur; iuxtà illud quod habetur 2. *Paralip. cap.* 18. *verſu* 21. Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophètarum: Dixitquè Dominus: decipies, & præualebis; egredere, & fac ita. Nunc igitur ecce Dominus dedit ſpiritum mendacij in ore omnium Prophètarum tuorum: & Dominus loquutus eſt de te mala &c. Vbi notandum primò, quod iſte ſpiritus qui egreditur fuit dæmon, quia Angeli boni neminem decipiunt, vt concludit Toſtatus *quæſt.* 37. *in cap.* 18. 2. *Paralip.* Et ſecundò notandum, quod iſte dæmon non accepit poteſtatem à Domino, vt Prophètas deciperet, vèl alios, quia Deus non tribuit malignis ſpiritibus maiorem poteſtatem, quam naturaliter habeant; ſed potius reprimit illorum impetum, vèl dat hominibus auxilium ad reſiſtendum, vt dicit *Lucæ cap.* 22. Ecce Sathanas

expeti-

expetiuit te, vt cribraret sicut triticum; sed ego rogaui prò te, vt non deficiat fides tua. Sed propter peccata hominum Deus destituit eos, & tunc faciliter decipiuntur à dæmone, & quicumquè homines sint destituti à Deo in quocumquè negocio, etiam si aliàs viri sapientes sint, aùt prudentes, errant grauissimè. Et isto modo dicitur Deus aliquando infatuare homines, scilicèt, quia destituit eos, & permittit eos errare. Et sic etiam propter hominum peccata non dat Deus auxilium, vt prophètæ cognoscant deceptionem Diaboli, vt colligitur ex eodem Tostato *loco citato quæst.* 38. *in fine.*

5 Adde quod non semper Prophètæ loquuntur in Spiritu Domini, sed aliquando in spiritu suo loquuntur. Duplicitèr enim loquitur Prophèta, vt docet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 171. *art.* 5. nimirum per expressam reuelationem, & per instinctum; quam quidèm distinctionem accuratissimè adnotauit Caietanus *ibidem.* Et quandò loquuntur per expressam Dei reuelationem semper sunt certi loqui de Spiritu Diuino, & cognoscunt etiam se loqui de Spiritu Diuino; & in hoc sensu intelligenda sunt illa verba *Ieremiæ cap.* 23. *ver.* 25. Prophèta qui habet somnium, idest meum, loquatur sermonem meum verè &c. Vbi notat D. Hieronymus, quod hoc præceptum Domini est. Quamobrèm si tunc Prophèta non posset dignoscere quid per spiritum proprium, quid per instinctum, & quid per spiritum prophètiæ loquitur, Deus in tali præcepto

præ-

præciperet aliquid impossibile, quod non est asserendum. Itaquè quando Prophètæ loquuntur per expressam Dei reuelationem, semper sunt certi se loqui in Spiritu Domini. Quando autem nô habent expressam reuelationem, non possunt cognoscere nùm loquantur per instinctum Diuinum, an per spiritum proprium; quod probat Brondus auctoritate D. Gregorij, qui *super Ezechielem* scribit (Prophètæ Sancti, dum aliquando consulunt, ex magno vsu prophètandi, quædam ex spiritu suo prophètarunt, & se hoc ex spiritu prophètiæ dicere suspicantur &c. Quod confirmatur exemplo Nathan, qui consulente Dauid an fabricare deberet Templum Domini, dixit; Omnia, quæ in corde tuo sunt, fac, Dominus enim tecum est 1. *Paralip. cap. 17. ver. 2.* Et quia Nathan non dixit hoc in spiritu Domini, adiungit *Sacer Textus*: igitur nocte illa factus est sermo Domini ad Nathan, dicens; Vade, & loquere Dauid Seruo meo; Hæc dicit Dominus: Non ædificabis tu mihi Domum ad habitandum. Vndè côcludit Brondus *disput. 2. in cap. 1. Apocalyp. quæst. 2.* quod quando Prophètæ nô loquuntur per expressam reuelationem, sed tantum per instinctum, non cognoscunt vtrum ex Spiritu Dei, vèl ex proprio spiritu loquantur.) Si igitur nèc bonus ipse Prophèta dignoscere potest semper ex quo spiritu loquatur, quomodo poterunt alij hoc cognoscere? vèl quomodo quis discernere poterit nùm in tali prophètia sit dolus, & fraus diaboli? Quia vt ait Gerson *Alphabeto 17. litt. T.*

In spiritu mendacij mille quandoquè sunt veritates apertæ, vt in vnica latenti falsitate decipiat. Hac ratione prohibuerunt à testimonio veritatis, quam fatebantur Christus, dæmoniacos, & Paulus, Phytonissas.)

6 Adde quod non semper Diabolus falsas prophètias dictat, & docet, quia homines peruersi, & callidi solent etiam multa prædicere futura, & occulta manifestare; & maximè si vèl altero, vèl pluribus ex numeratis in præcedenti sectione affectibus, sunt prædominati, quia tùnc mille modos humanæ malitiæ notos tentant, vèl per coniecturas, vèl per secretam cum domesticis intelligentiam, vèl per naturalem inclinationem, vèl ex consuetudine, & similibus, vt futura prædicant. Et si quandò euentus à prædictione dissonet, tot fabulas fingunt, tot proferunt rerũ ambages, quod finalitèr credere faciunt, quod res ita profectò euenit, sicut ipsi prædixerant. Et in hoc non solum simplices, sed sapientes etiã multoties decipiunt, maximè quandò ad complacentiam alijs loquuntur, & ad vota quærentis falsæ prophètiæ arrident.

7 Concludẽdum igitur, quod quædam nouæ prophètiæ, quæ circumferri solent, nèc valdè æstimandæ sunt, nèc affectandæ, imò cum magna cautela sunt examinandæ. Non sunt primò extimandæ, quia ea, quæ sunt nobis necessaria ad salutem, satis superquè habemus in Sacra Scriptura, in traditionibus Ecclesiæ, & in Sacris Concilijs. Et si aliquid noui esset ad nostram salutem necessarium, ipse Spiritus Sanctus, qui San-

ctam

ctam regit, & docet Ecclesiam, magis hanc, quæ est omnium Magistra doceret, quàm personam priuatã, circa cuius fidem mille possent insurgere dubitationes.

8 Secundò non sunt affectandæ, quia sunt inutiles, & infructuosæ: Vaticinij, ait D. Bonauentura *de profectu Religios. cap. 76.* (Vaticinijs iàm vsquè ad fastidium repleti sumus de Antichristi aduentu, de signis appropinquantibus Iudicij, de destructione Religionum, de persequutione Ecclesiæ, de Regni defectione, & varijs mundi pressuris, & alijs pluribus, quibus etiam viri graues, & deuoti plusquam oportuit creduli extiterunt: de scripturis Ioachim, & alijs vaticinijs varias interpretationes extrahentes: quæ & si vera essent, & autentica, tamen Religiosi plurima inuenirent, in quibus fructuosius occuparentur, cum & Christus Dominus in Apostolis tales curiosas temporum inquisitiones represserit, dicens: Non est vestrum nosse tempora, & momenta, quæ Pater posuit in sua potestate) *Act. cap. 1. ver. 7.* Et Gerson *Alphab. 17. litt. X. in fine* ait: (Porro dici non potest quantùm hæc curiositas vèl cognoscendi futura, & occulta, vèl miracula videndi, nèc faciendi fefellit plurimos, & à vera Religione frequentèr auerterit. Hinc superstitiones in populis quæ Religionem inficiunt Christianam; dum sicut olim Iudæi sola signa quærunt, dùm imaginibus exhibent latriæ cultum; dùm insuper hominibus nedùm canonizatis, scripturis quoquè non autenticis plusquã Sanctis Euangelijs præstant fidem.) Hæc Gerson non

ſine graui animi ſui dolore dicebat.

9 Tertiò demùm, cum viſum ſit, quod in prophètijs particularibus poteſt deceptio interuenire; debent huiuſmodi vaticinia diligenter examinari. Quia diabolus à quo ipſa procedunt, ſub ſpecie magni boni, & ardui, grande peccatum operit, ſuggerit, & inducit; Sic cum S. Bernardo dicit Cancellárius Parienſis *Alphab.* 17. *lit.* R. *& lit.* V. adiungit: Viſionum qualitatem ſi vera ſunt omnia etiam vſquè ad minimam propoſitionem examinare oportet; quoniam in ſpiritu veritatis falſitas non eſt, in ſpiritu autem mendacij mille quandoque ſunt veritates apertæ; vt in vnica latenti falſitate decipiant &c.) Quomodo autem huiuſmodi prophètiæ, & vaticinia ſint examinanda, & probanda inferius dicetur.

An in Oraculis poſſit eſſe deceptio.

SECTIO III.

1. MVlta de Oraculis gentilium congerit Delrius *lib.* 4. *diſquiſ. magicarum cap.* 2. *quæſt.* 6. & quoad rem noſtram pertinet ſunt reſponſa, quæ ex alto nobis veniunt; vocem quidèm audientes, loquentem verò minimè videntes; iuxtà illud 2. *Reg. cap.* 21. *ver.* 1. Conſuluit Dauid Oraculum Domini &c. ex quo oraculo habebantur reſponſiones à Domino. Et quod in iſtis oraculis poſſit eſſe dolus, & fra-

us

us nemini dubium est; Nàm cum audiatur tantummodò vox, & qui eam emittit non videatur, patet aditus, & Diabolis, & hominibus ad decipiendum incautos, & curiosos.

2 Et ad hoc genus maximè spectant Pythonici, qui & ventriloqui appellantur, eò quod ex imo ventre vox prodire videbatur, vt explicant Origenes *lib. 6. contra Cels.* & alij; aliquandò enim sùb pectore infrà cutem se dæmon ostentat, & per pectus loqui videtur. Ita Delrius *loco citato.*

3 At quia ista Oracula possunt aliquandò venire à Deo per Angelos lucis, & aliquando ab Angelo tenebrarum, dat differentiam inter ea Abulensis ad dignoscendum vndè proueniant; ait enim *quæst. 13. in cap. 28. Exodi* quod illa manifestatio dubiorum (Hoc enim erat oraculum) quæ fiebat apposito Rationali super pectus Sacerdotis, erat clarissima vt lux, nèc aliquas inducebat æquiuocationum, aut amphibologiarum ambages, sicut oracula Deorum gentilium; inter quos præcipuus ille Phæbus, quia, à Phytone serpente occiso in monte Parnaso, Phytius dictus, & totius diuinationis, vt antiqua gentilitas putauit, caput extitit quando aliquid respondebat, ita occultè loquebatur, vt verba sua amphibologicè, aùt æquiuocè paterent, ita quod qualitercumquè se rei euentus haberet, veritas inconcussa maneret. Vndè quandò ad Pyrrum Regem Epirotarum respondit, dixit: (Aio te Pyrrum Romanos vincere posse;) quod dictum ad vtramque par-

partem verificabatur; siuè ipse vinceret, siuè vinceretur à Romanis. Alium exemplum addit Tostatus de Appio, qui cum de bello incepto inter Iulium Cæsarem, & Pompeium euentum requireret, consulit Phebum, qui respondit: Nihil ad te Romane bellum: Cela tenebis, vt ait Lucanus *lib. 3. de bello plusquam Ciuili Iulij Cæsaris, & Pompei*. Et erat sensus, quod Appius non iturus erat ad bellum: quod in Thessalia inter Iulium, & Pompeium gerendum erat; & subiunxit: Cela tenebis. Et Cela dicitur quædā pars terræ in Sicilia apud mare, & hanc tenere debebat iste Appius, sed quia, tenere, accipitur æquiuoce scilicèt, tenere, idest possidere; & tenere, idest iacere, verificatum fuit responsum in secundo sensu; quia cum Appius occisus esset in Sicilia, ibi etiam iacuit, & Celam tenuit; vt dixerat oraculum de quo Paulus Orosius *lib. 6. de ormesta mundi*.

4 Ex his igitur exemplis patet discrimen inter Oraculum Diuinum, & Oraculum dæmonis. Oraculum namque Diuinum clarum est; & nullum in Anima dubium relinquit; nàm quādò responsio venit à Deo, non solum percipitur exterius per aures, sed etiam illuminatur interius intellectus, vt clarè percipiatur, quæ sit voluntas Dei. Oracula autem dæmonum obscura sunt, ambigua, æquiuoca; & intellectus ex tali responsione magis, quàm antea remanet obtenebratus.

5 Et de hac diaboli obscuritate in suis responsis duas assignat rationes, idem Tostatus *quæst. 14. in cap.*

28.

28. *Exodi*, (prima est industria dæmonum, qui cum nimis sagaces sint,& quorumdam futurorum euentuū veritatem ignorent, vt non appareat eorum insipientia, ita concinnant Oracula, vt in quamlibet partem vertatur euentus genericè saltem verificentur;vt patet de Oraculo Pyrri. Et secunda ratio est, quia licèt aliquandò dæmones veritatem de futuris cognoscere possint, vèl per reuelationem Angelorum bonorum, vèl per rationabilia argumenta ex secundis causis desumpta, vèl quouis alio modo, tamen Deus non sinit eos declarare veritatem manifestè.) Simile habetur, *Mar. cap. 1. ver. 34.* de dæmonijs, qui clamabant ad Christum, dicentes: Tu es Filius Dei viui, & sequitur littera: Et non sinebat ea loqui, quia sciebant eum. Sicut enim illic non sinebat ea loqui, ne eum manifestarent, ita hìc non sinit dæmones clarè loqui, vt non detur occasio idolatrandi. Et sic licèt sciret Phebus, quod Appius moriturus erat Cela in Sicilia; Nàm si hoc nesciret non prædixisset sic determinatè, attamen non permissus est clarè loqui, quia appropinquabant tempora Saluatoris in quibus volebat omnem falsorum Deorum auctoritatem,& fidem aboleri.

6 Et in istis oraculis etiam multum præualet hominum malitia, quæ apertè deducitur ex sequenti exēplo à Sandero sic relato. (Hæretici, inquietum,& turbulentum genus hominum, ad commouendum Londinensem Populum seditioni, tùm & hæresi valde deditum,& inauditum adinuenerunt stratagemma. Induxe-

duxerunt quippe quandam Puellam octodecim annos nata, hæresi simul, & pretio corruptam, in eam improbam simulationem, vt se permitteret in abdito inter duos muros cuiusdam domus in angulo ad tempus recludi, & per fistulam ad id aptatam eas voces edere; quas istius strophæ artifices sibi suggererent. Nomen Puellæ Elizabetta Crosta erat; doli auctor Dracus quidam. Ita ergo illa instructa, & in loco ad fraudem accomodata collocata, mirabiles emittit cōtinuo, ex antro suo, voces, easq; tàm sonoras, vt per omnes vicinos audiretur. Accurrunt vndiq; Ciues, quid sit inquirunt, mirantur voces non mortalis hominis, sed Angeli esse clamabant. Vrbi, ac Reipublicæ iste spiritus comminatur miseriam, ærumnas, mala omnia, si nuptias cum Hispano, aùt communionem cum Papa Romano admittant. Multa item contra Sanctum sacrificium, & reliquam fidem Catholicam, quasi oracula fundebat. Erant ex conspiratoribus, qui data opera se turbis adstantibus semper ingesserant, qui huius spiritus propheticas, & obscuriores sententias ad religionis euersionem, & seditionem mouendam interpretabantur. Magistratus autem ad multitudinem compescendam, & quid rei sit lustrandū accedit, fraus difficillimè apparuit. Sed tandem inito consilio de diffodiendo muro, & vicinis parietibus, vndè voces reddi conijciebant, misera Puella prodijt, ac examinata quorum suasu, & consilio hoc fecerit, confessa est statim, se à quibusdam seditiosis sectarijs, & ab eo in

primis

primis, quem nominauimus Draco, ad istam nequitiam inductam fuisse.) Hæc Sanderus *lib.* 2. & ecce tibi in vno tantummodo exemplo, & modus dandi oracula; & motiui quos habere possunt peruersæ mentis homines ad talia figmenta machinanda.

7 Et si de Pythonicis, seù ventriloquis exemplum exoptas, accipe illud, quod de Petro quodam Brabantio *ex Vuierio lib. 3. cap. 12. de præstigijs dæmonum* refert Laurentius Beyerl. *in Theat. tit. Prophèta.* Fuit quidam homo astutus Petrus Brabantius, qui quotiès volebat, totiès ex ima corporis parte, labijs immunis, loquebatur; & hac siuè arte, siuè exercitatione, siuè dæmonis impostura multis passim imponebat. Nàm cum Lutetiæ Virginem quandam formosam, sed Patre orbatam, deperiret, nèc matrem superstitem inducere posset, vt eam sibi desponderet: tandem cum vltro citroquè hac de re colloquuntur, vocem edit è corpore, qua demortuus Mulierculæ Maritus de pœnarum grauitate conqueri videbatur, quas ob vxoris diffidentiam perpeteretur, quod ea Filiam à Brabantio toties expetitam, optimo viro denègaret. Quibus illa quæstibus exterrita, viriquè miserta, petitioni nebulonis assensit: quem tamen non tàm Filiam, quàm dotem ei à Patre in testamento cōstitutam ambijsse, satis apparuit. Sex enim mensibus post, vbi Puellæ bona decoxisset, vxore, socruquè relicta Lugdunum aufugit.

8 Ibi Mercatorem quendam, àc trapezitam prædiuitem obijsse intellexerat. Qui cum haberetur iniu-

ſtiſſimus, eò quod omnia per fas, àc nefas in vita corraſiſſet, Filium Cornutum, eius vnicum hæredem, in porticu penè cæmeterium obambulantem, adit: & eò ſemiſſum innuit, vt quid opus factũ eſſet, doceret. Cœterum dùm ei de Patris anima potius, àc fama, quàm morte cogitandum eſſe dicit; vox inopinatè inter loquendum Patrem referens, exauditur: quam cum Brabantius ex ventre daret, ſe tamen expaueſcere mirum in modum ſimulabat. Mouebatur autèm hac voce Filius, quem in ſtatum Pater iniuſtitia ſua decidiſſet; & quantis cruciatibus, tùm ſui, tùm ipſius cauſa exagitaretur, eò quod iniquorum eum bonorum hæredem reliquiſſet: quamquè nullo modo liberari poſſet, niſi iuſta à nato expiatione facta, & debitis in eos eleemoſynis collatis, qui maximè tùnc temporis egebant: eos autem eſſe Chriſtianos à Turcis captos. Proindè viro, cũ quo loqueretur, crederet: hunc ad redimendos eos ad Conſtantinopolim à pijs hominibus ablegatum, eiuſquè rei ergò diuinitus ad eum miſſum. Cornutus, homo minimè malus, & ſi his auditis, dolum haùd animaduerteret, quia tamen durum videbatur iſtud de pecunia verbum, ſe deliberaturum reſpondit, & Brabantium eo loco poſtridiè redire iubet. Interea anxius, de loco ſubdubitabat, in quo vocem audierat, quod vmbroſus eſſet, ac opacus, & hominum inſidijs, Echoquè aptus. Quare poſtero die eum in alium apertum, planum, nulliſquè vepribus, aùt vmbris impeditum locum deducit. Vbi nihilominus

nus eadem inter loquendum repetebatur cantilena: hoc etiam addito, vt Brabantio statim sex franchorum millia numeraret prò salute Patris, alioquin nullam apud inferos fore redemptionem. Vndè Filius conscientia, àc Religione obstrictus, licèt ægre, totidem tamen Brabantij fidei commisit, omni legitimo accepti, solutiquè testimonio neglecto. Pater eo facto in posterú quieuit, nèc Filium amplius interpellauit. Verum miser Cornutus, dimisso Brabantio, cum solito lætior esset, idquè reliqui mensarij satis admirari non possent; mox vt sciscitantibus causam aperuit, adeò statim irrisus fuit à cunctis, quod & nummis, & cerebro emúctus, & expurgatus esset, vt præ mœrore post aliquot dies mortuus, & Patrem ad inquirendam ex eo rei veritatem insecutus fuerit &c.

9 Duo in hoc exemplo habemus notanda; primum est, quod huiusmodi Pythonicis, & ventriloquis minimè credatur, cum iam satis eorum fraus detecta sit. Et secundum, quod quando aliquid refertur de statu defunctorum non simus ita faciles ad credendum visionibus, apparitionibus, & somnijs, quæ ab alijs narrantur; hoc enim fraude, & deceptione humana difficilitèr caret. Quamobrem hìc addere lubet cautelam valdè notandam, quam tradit Cancellarius Parisiensis *Alphab.* 17. *litt.* *T.* his verbis. (Altera potest addi super huiusmodi visionibus recipiendis cautela: qualem de somnijs tradit vnus, dicens: Si monitiones aliquæ bonæ fieri videantur in somnijs, vèl in persona

defunctorum; vel aliundè recipiantur, eas non quasi somnia penitus abijciendo, neque eis ex aduerso velut autenticis, vel Diuinis adhærendo. Recogitentur potius tamquam rememorationes aliquæ ad faciendum bona, vel mala declinando, iuxtà somniorum qualitatem &c.

An in somnijs possit esse deceptio.

SECTIO IV.

1 QVod multa sint somnia significatiua, ex diuersis Sacræ Scripturæ locis, vbi de somnijs à Deo immissis agitur, clarissimè deducitur. Et multò magis clarescit hæc veritas in illa promissione, quam fecit Deus *Num. cap.* 12. Si quis fuerit inter vos Prophèta Domini, in visione apparebo ei, vèl per somniũ loquar ad illum. *Et cap.* 2. *Ioel.* Iuuenes vestri visiones videbunt, & senes vestri somnia somniabunt. At quia somnia non ex vna, sed ex pluribus causis prouenire possunt, vt supra dictum est; Ideò monet nos *Ecclesiastes cap.* 5. *ver.* 6. Vbi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates. Et *Eccesiasticus cap.* 34. *ver.* 1. Somnia extollunt imprudẽtes, quasi qui apprehẽdit vmbram, & persequitur ventum, sic & qui attendit ad visa mendacia. Imò inter alia præcepta data in Leuitico, hoc habetur *cap.* 19. *ver.* 26. Non augurabimini, nèc obseruabitis somnia. Et per *Ierem. cap.* 29. *ver.* 8. hoc idem

idem inculcat dicens: Ne attendatis ad somnia vestra, quæ vos somniatis.

2 Nèc immeritò toties ista cautela circa somnia replicatur, quia multæ in ipsis insidiæ nobis parari possunt, tùm ex dæmonis astutia; tùm etiam ex hominum malitia, de diaboli versutia, & corruptela naturæ valdè Augustinus conqueritur *lib. 10. confessionum cap. 30.* dicens. (Sed adhùc viuunt in memoria mea, de qua multa loquutus sum, talium rerū imagines, quas ibi consuetudo mea fixit, & occursant mihi vigilanti quidem carentes viribus: in somnijs autem non solùm vsquè ad delectationem, sed etiam vsquè ad consensum, factumquè simillimum. Et tantum valet imaginis illusio in anima mea, & in carne mea, vt dormienti falsa visa persuadeant, quod vigilanti vera non possunt &c.

3 Et si in hoc gradu sisteret, & non vltra progredi posset dæmonis malitia in istis somnijs, parū nocere posset. Sed nimis extimescēdum est, ne muscipulæ, quas tendit in somnijs nos illaqueent in vigilia. Cum enim ipse possit mouere, combinare, & ordinare imagines, quæ in nostra phantasia conseruantur, multa in nobis paritèr potest causare somnia, quibus si daretur fides non modica incōmoda, & inconuenientia sequerentur. Vndè dicit *Ecclesiasticus cap. 34. ver. 7.* Multos errare fecerunt somnia; & exciderunt sperantes in illis. Exitus Agamēnonis apud Homerum *Iliad. lib. 2.* Cyri Regis Persarum apud Sabellicum *lib. 16.*

Anti-

Antigoni, & Pompeij, apud Plutarchum in *Dem.* & *Pomp.* & illius, de quo D. Gregorius *lib.4.dialog.cap.* 43. clarissimè testatur mala, quæ nobis per hanc viam somniorum potest causare diabolus.

4 Adest etiam in Sacra Scriptura exemplum: Quãdo enim Saluator noster totius mundi Redemptionẽ sua morte complere vellet, animaduertens, & timens diabolus sua damna, Vxorem Pilati per somnium aggreditur, ipsamquè diuersimodè perturbans, compellit ad suadendum Pilato, vt abdicata causa Innocentis, non amplius in ea se intromittat: Sic *Matt. cap.* 27. *ver.* 19. Misit ad eum vxor eius dicens: Nihil tibi, & iusto illi, multa enim passa sum hodiè per visum propter eum. Quæ verba ad operationẽ diaboli per somnium ex sententia S. Ignatij Mart. *Epist.* 5. Bedæ *in Matt. cap.* 27. & Magist. *histor. scholast. cap.* 167. refert Lorinus *in cap.* 2. *ver.* 17. *Act. Apostol.*

5 Et si viam somniorum tentauit, vt tantum bonum impediret, eandem etiam tentat, vt plura mala promoueat. De Venere Gazæa scribit Marcus Historicus hæc verba: (In loco, qui vocatur Tetramphodos (hoc est quadriuium) stabat statua marmorea, & dicebant eam esse Veneris; erat autem supra arcam marmoream; Statuæ verò effigies erat nudæ mulieris, quæ palàm ostendebat verenda sua; Statuam autem in honore habebant omnes ciues, maximè verò mulieres, lucernas accendentes, & thure suffientes. Dicebant enim eam in somnijs respondere ijs, quæ volunt inire

matri-

matrimonium. Decipiebant autem se inuicem mentientes. Sæpè verò iussi à dæmone contrahere matrimonium, tantùm absuit, vt id rectè procederet, vt inter eos fierent diuortia, aùt male cohabitarent &c. Sic iste Auctor de visu testatur *in vita S. Porphirij Episcopi*, vt refert Delrius *lib. 4. disquis. Magic. cap. 3. quæst. 6.* & Laurent. Beyerl; *tit. somnium.* Vide igitur quanta mala per somnia potest diabolus suggerere; & quanta ex somnijs potest extrahere hominum malitia.

6 Et cum ipsa somnia non sint res apparentes, & extrinsecæ, sed internæ tantùm, & per phantasiam pertranseuntes, quis negabit, quòd ea quisquè potest fingere prò libito suo, vt ea quæ ipse in animo voluit alijs suadeat? Duo somnia Ludouici Borbonij Principis Condæi, quæ ex Richardo Dinoto refert Delrius *loco paulò ante citato*, hoc perspicuè monstrant. Hic Princeps cum esset Dux Hucnotorum hæreticorum, velletquè eos in perduellione confirmare, & ad pugnam animare, finxit primò somnium de duobus leporibus inter acies excitatis, & diuersis sclopetorum glandibus petitis, cum incolumitate euadentibus. Et secundò: Narrabat se somnium habuisse, quo sibi videbatur ter diuersis temporibus in prœlium descendisse, penes ipsum victoriam stetisse tribus præcipuis hostibus cæsis: sed post lethale vulnus accepisse.

7 Adinuenta profectò hæc erant, vt illos hæreticos ad aciẽ animaret; Nàm ex illis leporibus tot sclopetorum ictibus petitis, & absque vlla læsione fugientibus

v tibus

tibus præsagiebat, quod in illo conflictu, licèt hinc indè armatorum cunei dimicarent, incolumes tamen omnes euaderent, & ex secundo prædicebat victoriã, quam super hostes sibi futuram promittebat. Sed euẽtus alitèr ostendit, licèt hæretici desudent, vt euentus ad prænarrata somnia accomodent.

8 Vt euitentur itaque deceptiones, quas sùb somnijs abscondere possunt tàm dæmones, quàm homines, optimum est ad ea non attendere, & vt vanitates habere. Et si quis dicat, quod multa sunt somnia significatiuã, quæ naturalitèr, & supernaturalitèr nobis accidere possunt, & quod ista non sunt negligenda; tùm ad morbos fugiendos, quando veniunt à causis naturalibus, tùm etiam ad vitia fugienda, virtutemq; amplectendam, quando à causis supernaturalibus; vt huic satisfaciam, afferam breuitèr illam regulam, quã tradit Abulensis *in cap. 40. Genes. quæst. 2.*

9 Dicit enim hic Doctor, (quod semper est inspicienda causa somniorum: Et si quis somnium habet à causa, quæ vltra somnium illud, aliquid per se efficere possit, significationem habet illud somnium. Si autem somnium sit à causa, quæ præter ipsum somnium, nihil aliud causare potest, non habet somnium aliquam significationem) hæc est regula generalis tradita ab Abulensi. Et eius intelligentia exemplo patebit.

10 Habet quis, exempli gratia, somnium à causa intrinseca naturali, seù corporali, scilicèt ab humore

præ-

prædominante, & incomposito; vt quia scilicèt videt in somnijs ignem, pugnas, cædes, colores flauos, & similia, quæ simboleitatem habēt cum humore biliose; somnium istud habet suam causam, quæ est flaua bilis, & hæc non solùm potest causare somnium commouendo in phantasia species sibi consimiles, sed potest etiam causare per suam abundantiam, & deordinationem, morbum aliquem. Hic igitur morbus significatus ab illo somnio; ei per remedia possumus occurrere.

11 At si somnium causatur à causa, quæ vltra ipsum somnium nihil aliud efficere potest, nihil per consequens significabit. exempli gratia. Si causatur somnium ex perturbatione phātasiæ exinanitæ, vèl ex magno timore in vigilia præcedenti, vèl ex curis, & cogitationibus, quæ per diem in animo reuoluuntur; Hoc somnium nihil significabit; quia causæ vndè procedit, nihil aliud præter somnium efficere possūt. Tàm enim phantasia perturbata, quàm timor, seu curæ præcedentes possunt quidem mouere species, & per consequens somnium causare, sed præter id nihil aliud efficere possunt, & per consequens nihil possunt significare. Et hæc est regula generalis, quam tradit Abulensis *loco citato* vbi latè eam tractat, & est naturali rationi innixa. Et ibi etiam inuenies differentiam inter somnia sapientum, & somnia stultorum, & insipientum. (Sapientes enim, quia proprium motum habent, idest motum secundùm sapientiam, paucos motus extrinse-

cos percipiunt; & quando mouetur eorum phantasia per somnium, mouetur per ea,quæ in ipsa conseruantur, scilicèt per ea,quæ in die versatus est; & ideò eorũ somnia sunt aliquid pure causatũ ;& non sunt signa ad aliquid significandũ. Stulti autẽ, & insipientes habentes vacuam phantasiã,recipiũt species,vèl mutantur in eis secundùm influentiam rerum naturaliũ,& quia res naturales sunt causatiuæ alicuius effectus vltra ipsum somnium, ideò illa insipientum somnia significationem habent,& aliqualem certitudinẽ.) Hæc Tostatus.

12 Sed loquendo de rebus extrinsecis, & supernaturalibus somniorum; adiũgit idẽmet Tostatus,(quod non potest dari regula certa, quia cum scire nequeamus an veniant à Deo,vèl à Dæmone,nequè per consequens scire possumus quid significent.)

13 Attamen quia somnia, quæ veniunt à Deo sẽper aliquid significant,ne suo effectu frustrentur,& dicamus, quod Deus aliquid frustra agit, quod est falsum; Ideò ipse Abulensis alibi tractans hanc materiã, dat differentiam inter somnia, quæ veniunt à Deo, & somnia, quæ aliundè proueniunt; & sic ait *in cap.* 1. *Matt. quæst.* 55. (Differentia autem somniorum an sint à Deo, vèl non, potest apparere ex ipsa immutatione. Nàm somnia,quæ naturalitèr,vèl ex varijs causis accidunt, parum immutant, ita vt verè videantur somnia; Ipsum autem somnium,quod à Deo venit,est tàm efficax, quod non videtur esse somnium, sed magis,quod res actualitèr fiat. Et hoc rationabile est,quia

alias

aliàs cum Prophètæ ſæpæ à Deo reuelationes accipiãt per ſomnium. *Num. cap.* 12. Si quis fuerit inter vos Prophèta Domini, in viſione apparebo ei; vèl per ſomnium loquar ad illum. Si non eſſet iſta immutatio ſomnij valdè magna, ita vt Prophètæ cognoſcerent diſtinctionem eius ab alijs ſomnijs, quæ naturalitèr patiebantur, neſcirent quando Deus eis aliqua reuelabat. Ideò oportet, quod aùt tacerent, nihil annunciantes de eo, quod Deus iubebat annunciari; aùt aliquando ãnnunciando errarent, putantes fuiſſe ſomnium à Deo miſſum, & eſſet fortè naturalitèr veniens, aùt ex varijs cauſis. Et tamen Prophètæ numquam in hoc errabant. Ideò erat ſpecialis immutatio in ſomnijs à Deo miſſis, quæ diſtincta cognoſcebatur ab alijs ſomnijs differre.).

14 Et inter alias probationes affert Toſtatus, (quod aliquandò Deus per ſomnium apparebat alicui, cui numquam apparuerat, & iubebat aliquid mox facere, quod ſi illicò non faceret, ſequeretur pœna. Si in illo immutatio ſomnij non eſſet tàm efficax, vt appareret manifeſtè diſtinctum ab alijs ſomnijs, & quod illud à Deo erat, non deberet puniri, cui ſomnium immiſſum erat, ſi immediatè non exequeretur, quod facere iubebatur. Sic fuit de Abimelech Rege Paleſtinorum, cui Deus numquam apparuerat. Et cùm haberet apud ſe Saram vxorem Abrahæ, quam intendebat accipere in vxorem, vèl concubinam, apparuit ei Deus per ſomnium, dicens, En morieris propter mulierem,

quam tulisti;habet enim virum. Si autem nolueris reddere citò morieris tu, & omnia, quæ tua sunt. Et dicitur, quod statim surrexit per noctem, & vocauit seruos suos, & fecit quæ Deus iusserat ei. *Gen.* 20. Et sic fuit illud somnium tâm efficax, quod Abimelech, qui numquam à Deo reuelationem habuerat, non solùm cognouit Deum sibi hoc reuelasse, sed etiam immediatè euigilauit, & surrexit, fecitquè iniuncta sibi per somnium &c. Et hac vehementi, & efficaci immutatione cognouerunt Magi, & etiam S. Ioseph, quod eorum somnia à Deo erant immissa, & fidelitèr exequuti sunt, quæ Deus illis præceperat. Et ex hac efficaci immutatione in phantasia cognosci potest generalitèr, quando somnia à Deo proueniunt. Vbi enim hæc immutatio non adest, somnium non est à Deo, sed ab illis causis.) Hanc immutationē etiam asserit in somnijs Diuinitus illapsis, Lorinus *in Acta Apostol. cap.* 2. *ver.* 17. *& cap.* 16. *ver.* 9. vbi agitur de somnio quod habuit Diuus Paulus.

15 Et in hoc etiam probatur quia Deus, qui immittit somnium, si hoc non est ita clarum, vt ab illo, qui ipsum habuit, intelligi possit, mouet ipsum somniantem, vt quærat interpretationem ab alijs, & illuminat aliquem, vt intelligere possit talis somnij significationem, eamquè declarare; vt patet de somnijs, quæ habuerunt Serui Pharaonis, & ipse Pharao; quia non intelligebant eorum significatum, quadam interna motione instigabantur, vt quærerent ab alijs; & illumina-

minatus fuit Ioseph, vt eorum ſignificatum agnoſceret, & detegeret. Sic Nabuchodonoſor, quia non intelligebat ſua ſomnia ab illa efficaci immutatione phātaſiæ inſtigabatur ad quærendum interpretem; & Daniel fuit illuſtratus à Domino, vt illa interpretaretur. Vndè ſic Regi dixit ipſe Daniel: Qui reuelat myſteria, oſtendit tibi, quæ ventura ſunt; mihi quoquè non in ſapientia, quæ eſt in me pluſquàm in cunctis viuentibus, ſacramentum hoc reuelatum eſt, ſed vt interpretatio Regi manifeſta fieret, & cogitationes mentis tuæ ſcires. *Daniel. cap. 2. verſu 30.*

16 Hic tandem admonitionem valdè neceſſariam à Toſtato traditam circa hoc particulare adijcio. (Cautè, inquit, vtendum eſt ſomniorum interpretatione, vt non niſi à deuotiſſimis hominibus talium interpretationes quæramus; ab ijs etiam nimirùm abſtinendo, ne magnus error intercidat iudicanti. Vndè licèt quibuſdam, vt ſupra dictum eſt, aſſentire poſſimus, & interpretationem quærere, ad pericula deuitanda, ſecurius eſſet nullius ſomnij interpretationem quærere.) Hæc Toſt. *in cap. 40. Gen. quæſt. 2.*

17 Et rationabiliter datur iſta cautela; quia ſi Deus immiſit ſomnium, & aliquid per tale ſomnium vult nobis vt innoteſcat, ſciet vtiquè ipſe inuenire modum, vt hoc nobis notum fiat. Et ſi adhùc aliquis perſiſtat in ſua curioſitate, & vult omninò quærere ab alijs quid ſignificent ſua ſomnia, adeat confeſſarios peritos, prudentes, expertos, & in Dei via illuminatos, & ipſos con-

consulat de suis somnijs, nèc sequatur consilia, seù dicta superstitiosorum.

An in Visionibus, & Apparitionibus possit esse dolus.

SECTIO V.

1 ET in his etiam suas technas posuit diabolus, vt nulla via sine laqueis restet hominibus, & in omnibus sciant isti, quod oculati debent incedere, nè in retia incidant sibi parata. (Serpit hoc malum diaboli, ait D. Augustinus, per omnes aditus sensuales, dat se figuris, accomodat se coloribus, adhæret sonis, odoribus se subijcit, infundit se saporibus, & quibusdam nebulis implet omnes meatus intelligentiæ, aliquandò crudelitèr torquet dolore, àc metu, aliquàdò iocosè distrahens, vèl subsanans ludicris.) Hæc Augustinus relatus à Delrio *lib. 2. disquis. magicarum quæst. 27. sectione prima in fine.*

2 Qui quidem Delrius *sect. 2. eiusdem quæst. 27. iam citatæ* referens sententiam Abbatis Sereni apud Cassianum *collat. 7. cap. 32.* de varijs modis, quos tenet diabolus, vt homines infestet, eisquè noceat, sic ait: (Dæmonum quosdam esse truculentiores, efferatioresquè, qui bellis, cædibusquè sunt insatiabiles, & in transeuntes irruunt, & eos crudeli morte conantur interimere; alios verò esse, qui Fauni dicuntur, seductores,

ctores, & ioculatores, & hos certa quædam loca, seù vias obsidere, & nequaquam tormentis eorum, quos prætereuntes potuerint decipere, delectari, sed derisu tantùm, & illusione contentos, fatigare eos potius, quàm nocere, & hos interdùm innocuis incubationibus hominum excubare &c.) Quibus verbis duo sunt obseruanda; illud; non delectari eos tormentis hominum, accipiendum comparatiuè, idest non æque delectari, atquè alij crudeliores delectantur. Verius enim est omnes omninò dæmones optare, quàm grauissima mala hominibus inferre, si Deus permittat. Docet enim D. Antonius apud Athanasium cunctis dæmonibus hostile odium in homines esse, grauius in Christianos, atrocissimum in Religiosos, & Virgines Deo dicatas; singulis tamen non nisi quantum Deus permittit, nocere. Si amplius non sinantur, gaudere hominum derisu, & deceptione, & illicere in aliquod veniale saltem peccatum, vt ociosæ spectationis, vèl loquutionis, risus solutioris, distractionis in oratione, & huiusmodi aliorum, in quæ, vèl boni facillimè pertrahuntur. Alterum autem, quod vltimo loco posuit Serenus de incubationibus dæmonum, quo asserit huiusmodi oppressionem, & quasi suffocationem nasci à dæmonibus, constat aliquandò à morbi melancholici specie illa oriri, vt supra, cum de somnijs egimus *cap.* 1. *sect.* 8. dictum est.

3 Hinc perspicuè patet vndè oriantur tot visiones, & apparitiones, his namquè vtuntur dæmones, vèl

vt

vt nos decipiant, vèl vt illudant, aùt noceant nobis. Et ad maiorem huius rei probationem, referam quod Abbas Trithemius de dæmonibus scribit *in lib. quæstionum ad Maximilianum Cæsarem quæst.* 5. Postquàm prædictus Abbas distinxit dæmones in igneos, aereos, aqueos, & terrestres iuxtà loca, in quibus degunt. De terrestribus sic ait: (Ex his autem dæmonibus alij versantur in syluis, atquè nemoribus, qui venatoribus ponunt insidias; alij verò patulis degunt in campis, qui nocte aberrare faciunt itinerantes; non nulli demorantur in locis abditis, atquè cauernis: reliqui verò minus furiosi, àc perturbati, demorari cum hominibus in obscuro delectantur. Qui verò habitant in locis siccioribus, & subaridis quoties hominibus corporalitèr apparent visibiles, in viros se transformant. Diuersarum quoquè species assumūt bestiarum, prout diuersis tanguntur affectionibus &c. Et quibusdam interiectis, addit. At sæpè visi sunt dæmones circa fluuios, & fontes, in specie mulierum aliquandò chorizantes: aliquandò capillos more fœminarum explicantes: non numquam verò cum hominibus loquentes, & varias ludificationes exercentes &c. & postea: Quintum genus subterraneum dicitur, quod in speluncis, & cauernis, montiumquè concauitatibus demoratur. Et isti dæmones affectione sunt pessimi, eosquè inuadunt maximè, qui puteos, & metalla fodiunt, & qui thesauros in terra latentes quærunt, in perniciem humani generis paratissimi. Hiatus efficiunt terræ, ven-

tosquè

tosquè flammiuomos suscitant, & fundamenta ædificiorum concutiunt. Noctibus aliquandò de montibus turmatim egressi mirandas, stupendasquè in campis ducunt choreas, & quasi vnius Ducis metuentes imperium, subitò euanescunt ad signum, & ad sua diuerticula reuertuntur. Interdum naularum inter eos auditur sonitus, & se non numquam spiritus hominũ vita defunctorum mentiuntur. Deindè addit: Nihil magis quærunt quam metum hominum, & admirationem; vndè habemus compertum, quod simpliciores hominum, quosdam non numquam in sua latibula montium duxerunt, stupenda mirantibus ostendentes spectacula, & quasi beatorum ibi sint mansiones, amicos viuorum se mentiuntur.) Hæc, & alia de dæmonum apparentijs apud Trithemium inuenies; cuius verba placuit hìc referre, vt videat vnusquisquè quot modis ipsi dæmones hominibus se ostendunt; vt hinc illusiones, & deceptiones, quæ sùb visionibus, & apparitionibus latère possunt vnusquisquè percipiat.

4 Non nego, quod aliquandò, & multoties Angeli boni hominibus apparent; habemus enim de hoc perplura exempla in Sacra pagina de Angelis, qui apparuerunt Abrahæ, Iacob, Sampsonis parentibus, Tobiæ, Danieli, Beatissimæ Virgini, & alijs etiam Sanctis misit Deus Angelos suos secundùm exigentiam temporum; sed in re tanti momenti cum magna cautela incedere debemus, ne decipiamur; quia istæ visiones, & apparitiones, ait D. Bonauentura *de profectu*

Religios. lib. 2. cap. 75. aliquandò veræ sunt, & per eas erudiuntur aliqui, & quandoquè deceptoriæ, eò quod aliqui per eas deluduntur. *Ezechiel. cap.* 13. *ver.* 7. nunquid non visionem cassam vidistis, & diuinationem mendacem loquuti estis? &c.

5 Scimus quod dæmones nos odio habēt, & quod nullam viam nocendi deserunt, & nos ex aduerso cunctas vias magna cautela custodire debemus, ne vllus eis pateat aditus ad decipiendum. Detegit Seraphicus Doctor vnam deceptionem valdè subtilem, qua etiam nolentes virtutis studiosi quandoquè illuduntur à Sathana, vt cognita fraude omnes se ab ipsa custodiant.

6 (Non videtur autem prætereundum, ait Bonauentura, quia quidam decepti à seductorijs spiritibus, vèl proprijs falsis opinionibus, putant sibi apparere in visione vèl ipsum Christum, vèl eius Gloriosissimam Genitricem; & non solùm amplexibus, & osculis, sed & alijs indecentioribus gestibus ab eis demulciri: vt sicut spiritus ipsorum interius, ita, & caro exterius sibi congruo oblectationis sensu sensibilitèr demulceatur, & carnalitèr consoletur: quod non solùm est falsum, & seductorium, sed etiam blasphemia grauis esse liquidò comprobatur. Spiritus Sancti visitatio, sicut contra omnia vitia reprimenda, & detestanda infunditur; ita etiam singularitèr contra carnales illecebras opponitur. Et vbi spiritus munditiæ suo iubare resplēduerit, continuò omnes prauæ voluptatis motus euanescere, & velut tenebras superueniente lumine dispa-

rere

rere neceſſe eſt. De his verò, qui cum aliquandò dulcedinem ſpiritualem ſentiunt, & mox carnalis delectationis pruritu fœdantur: neſcio quid iudicem, niſi quod potius eligo illis carere floribus, quos de luti ſordibus legere deberem. Et ſicut illos damnare non audeo, qui inuiti quandoquè in ſpiritualibus affectionibus carnalis fluxus liquore maculantur; ita etiam excuſare nequeo, qui tali fluxu ex conſenſu condelectantur, qualiſcumquè eorum intentio videatur.) Hæc Sanctus *dicto cap.* 75.

7 Et hic quia de guſtu ſenſibili, quo in viſionibus, & apparitionibus aliqui decipi poſſunt, ſententiam D. Bonauenturæ attuli; adijciam etiam quid ipſe ſentiat circa alias ſenſibiles dulcedines, quas multi in oratione experiuntur: (ſunt quædam, verba ſunt Seraphici Doctoris, ſunt quædam ſenſibiles dulcedines, & ſuauitatis experientiæ, quæ deuotis quandoquè infunduntur: vt mirabilis fragrantia odorum, ineffabilis ſuauitatis ſaporum, & hymnidicæ melodiæ vocum, & ſonorum, & tactu perceptibiles experientiæ indicibilium ſuauitatum. Quæ cum vere ſint à Deo, poſſumus æſtimare, quod aùt dentur quibuſdam nouis, & rudibus, qui ſpiritualia non dùm lucidè intelligunt, vt ſaltèm per ſenſibilia conſolentur in Domino, qui virtutem purè ſpiritualium non cognoſcunt; in quibus maior vis eſt, & certior veritas, & fructuoſior profectus, & purior perfectio. Etiam prouectioribus in ſpiritu conſolationes ſenſibiles dantur propter redundantiam in-

Religiof. lib. 2. *cap.* 75. aliquandò veræ sunt, & per eas erudiuntur aliqui, & quandoquè deceptoriæ, eò quod aliqui per eas deluduntur. *Ezechiel. cap.* 13. *ver.* 7. nunquid non visionem cassam vidistis, & diuinationem mendacem loquuti estis? &c.

5 Scimus quod dæmones nos odio habēt, & quod nullam viam nocendi deserunt, & nos ex aduerso cunctas vias magna cautela custodire debemus, ne vllus eis pateat aditus ad decipiendum. Detegit Seraphicus Doctor vnam deceptionem valdè subtilem, qua etiam nolentes virtutis studiosi quandoquè illuduntur à Sathana, vt cognita fraude omnes se ab ipsa custodiant.

6 (Non videtur autem prætereundum, ait Bonauentura, quia quidam decepti à seductorijs spiritibus, vèl proprijs falsis opinionibus, putant sibi apparere in visione vèl ipsum Christum, vèl eius Gloriosissimam Genitricem; & non solùm amplexibus, & osculis, sed & alijs indecentioribus gestibus ab eis demulceri: vt sicut spiritus ipsorum interius, ita, & caro exterius sibi congruo oblectationis sensu sensibilitèr demulceatur, & carnalitèr consoletur: quod non solùm est falsum, & seductorium, sed etiam blasphemia grauis esse liquidò comprobatur. Spiritus Sancti visitatio, sicut contra omnia vitia reprimenda, & detestanda infunditur; ita etiam singularitèr contra carnales illecebras opponitur. Et vbi spiritus munditiæ suo iubare resplēduerit, continuò omnes prauæ voluptatis motus euanescere, & velut tenebras superueniente lumine disparere

rere

rere necesse est. De his verò, qui cum aliquandò dulcedinem spiritualem sentiunt, & mox carnalis delectationis pruritu fœdantur: nescio quid iudicem, nisi quod potius eligo illis carere floribus, quos de luti sordibus legere deberem. Et sicut illos damnare non audeo, qui inuiti quandoquè in spiritualibus affectionibus carnalis fluxus liquore maculantur; ita etiam excusare nequeo, qui tali fluxu ex consensu condelectantur, qualiscumquè eorum intentio videatur.) Hæc Sanctus *dicto cap.* 75.

7 Et hic quia de gustu sensibili, quo in visionibus, & apparitionibus aliqui decipi possunt, sententiam D. Bonauenturæ attuli; adijciam etiam quid ipse sentiat circa alias sensibiles dulcedines, quas multi in oratione experiuntur: (sunt quædam, verba sunt Seraphici Doctoris, sunt quædam sensibiles dulcedines, & suauitatis experientiæ, quæ deuotis quandoquè infunduntur: vt mirabilis fragrantia odorum, ineffabilis suauitatis saporum, & hymnidicæ melodiæ vocum, & sonorum, & tactu perceptibiles experientiæ indicibilium suauitatum. Quæ cum vere sint à Deo, possumus æstimare, quod aùt dentur quibusdam nouis, & rudibus, qui spiritualia non dùm lucidè intelligunt, vt saltèm per sensibilia consolentur in Domino, qui virtutem purè spiritualium non cognoscunt; in quibus maior vis est, & certior veritas, & fructuosior profectus, & purior perfectio. Etiam prouectioribus in spiritu consolationes sensibiles dantur propter redundantiam in-

 terioris

terioris dulcedinis: vt ſicut anima communicat corpori ſuo, quaſi comiti, & ſocio vitæ paſſiones ſuas, ita communicet ei, & conſolationes. Triſtante enim interius anima, etiam corpus tabeſcit exterius. Sicut ergò corpus collaborat ſpiritui, & compatitur in merito: Ita dignè comparticipat, & conremuneratur ei in prœmio, non ſolùm futuræ gloriæ, ſed etiam præſentis gratiæ: Sicut Domini in conuiuio, epularum ſeruis tranſmittunt reliquias ferculorum. *Apoſtol. 2. Corint. cap. 7.* Sicut ſocij paſſionum eſtis, ita & conſolationum eritis. Et hoc ex ſuperfluenti menſura datur dilectis, cuius redũdantia, ne effuſa depereat, excipitur à corpore, quod particeps fuit in labore. Sed ſicut de viſionibus, & reuelationibus, ita & de huiuſmodi ſenſibilibus experientijs eſt ſentiendum, quod aliqui ſeducuntur in eis, putantes eſſe à Deo, quod fortè phantaſtica deceptio eſt; Et aliqui putant eſſe aliquid magni, quod nullius eſt in ſe meriti, vèl momenti; Et aliqui extolluntur de talibus apud ſe, & iactant ſe quaſi de ſingularis gratiæ Sanctitate.) Hæc Seraphicus *loco cit. cap. 76.*

8 Cum igitur tot dolis pateant huiuſmodi viſiones prudentiſſimè ſe geſſit ille cui apparens diabolus transformatus in Chriſtum, vt refert Gerſon, & dicens: Ego ſum Chriſtus perſonaliter te viſitans, quia dignus es; confeſtim ille, clauſit oculos vtraquè manu vociferans: nolo hìc Chriſtum videre: ſatis eſt ipſum in gloria ſi videro. Gerſon *Alphabeto 17. litt. X.* Conſi-

mili etiam cautela possumus omnes sensibiles dulcedines respuere. Nàm si sunt à dæmone ipsas à nobis reijciendo, non decipiemur; & si sunt à Deo, illas respuendo vtiquè crescet meritum, dum in hac vita voluntariè omni delectatione, & dulcedine nosmetipsos priuamus.

9 Pergit Cancellarius Parisiensis, & dicit: Opponet forsitan aliquis Apostolo iubente: Nolite, inquit, spiritum extinguere 1. Thessal. *cap.* 5. *ver.* 19. Si sit ergo visio à Spiritu Sancto: quæ nihilominus repellitur, quid hoc est nisi Spiritui Sancto resistere, suamquè nascentem gratiam suffocare. Sed profectò Spiritus Sanctus, qui se dat humilibus, nequaquàm ex humiliatione quam prædiximus se subtrahet. Intrabit potius in beneplacito suo, deducet victor super excelsa animam hanc in oculis suis vilem, & absque vlla ruga fictionis humilem, & simplicem &c. Non est ergo timendum quod extinguatur spiritus, aut deuotionis feruor, si huiusmodi visiones sanctæ respuantur, expectantes illam Beatam visionem in qua erit tota merces.

10 Similes insidias non parant dæmones hominibus in sæculo degentibus, vèl illis, qui datis habenis concito cursu per omnes mundi illecebras pertransire conantur, aùt illis, qui segniori, quàm par est, desiderio viam virtutis concupiscunt; sed illis potius, qui ardentiori studio viam virtutis ingressi, sedulis meditationibus, & omnibus exercitijs spiritualibus intenti

ad apicem perfectionis peruenire contendunt; his sub specie maioris perfectionis multa suadet, vt ab incepto itinere detineat, imò & auertat. Sit nobis prò exemplo quod de Beato Iordano totius Ordinis Prædicatorum Magistro Generali refert Leander Albertus in eius vita, vt tradit Delrius *lib. 4. disquis. magic. quæst. 3. sect. 5.*

11 Erat cũ Venerando Patre quidã Cænobij cuiusdam Præsidens, quem Priorem appellant, Ordinis nostri, vir discretus, solers, prouidus, litteris callens, & moribus compositus, qui aliquandò medicinæ operam dederat. Is igitur Iordanis Patris animum ignorans, & sciens eum in ægrotatione sibi ipsi rigidissimum, dixit: Pater oportet ægrotum in omnibus medico se subijcere, si pristinam nancisci cupiat sospitatem. Quapropter licèt sis nostræ Religionis Præfectus, & caput, ægrotus, præfecturæ auctoritatem dimittas, mihique te subdas, & obedias necesse est. Quod si feceris haùd vereor, quin breui incolumis hinc exeas. Annuit venerandus Pater humiliter; præter ergo Ordinis nostri consuetudinem super plumas ægroto quiescenti (Sic enim Prior prudẽs iusserat) nocte diabolus formam præseferens Angelicam apparuit, dicens, veluti admirabundus. Est nè hìc Iordanis, fama, & opinione apud omnes tàm præclarus! Præfectus, & Pater tàm insignis Prædicatorum ordinis! Essem anceps, nisi antè hac te diù nouissem. O quàm vilis, & impudens factus es, qui veluti vnus de Dominis terræ in stratu plumis, & sericis ornato quiescis!

O infe-

O infelix quale ordini tuo, & Fratribus exemplum præbes! Sed non est tui Deus in finem oblitus, qui ad te corrigendum me misit. Surge igitur è grabato, terræquè protinus supplex inhæreas, statimquè diabolo euanescente, perterritus Iordanes in terram corruit, & sic iacens, post quàm illuxit, à Priore, & Fratribus inuenitur. Quem Prior seuerè corripiens, coegit, ex merito obedientiæ in strato præparato decumbere. Sequenti nocte iterum diabolus pristina forma assumpta adstitit, & durius quàm antea redarguit velùt sibi inobedientem, moxquè in solum ipsum desilire præcepit. Quem cum mane eius diei Prior iterato super solum iacere conspexisset, apprimè indignatus dixit: Miror tuam simplicitatem, ne dicam inscitiam, qui non solum in corporis, sed & in animæ præiudicium contra obedientiam hoc facere præsumpseris. Ego enim Deũ Cœli, terræquè Dominum testor, quod noluissem prò toto terrarum orbe sic grauiter contra Deum, & Ordinem deliquisse: & hæc dicens, in fletum maximum prorupit: Quod cernens venerabilis Pater, & ipse lachrymans procidit ad pedes eius, narrans ei visiones, seù magis illusiones, & qualitèr vt conijcere poterat, diabolum illũ fuisse, qui in Angelum lucis fuerat trãsfiguratus. Prior verò captus admiratione, àc quadam commiseratione illius, aliquantulùm lenitus, iussit ipsum stratum ascendere. Ex hoc enim tantam membrorum debilitatem contraxerat, sicquè humores indurati fuerant, vt vix spiritum ad quiescendum habe-

ret.

ret. Tertia nocte diabolus, vt prioribus adfuit: quem vt conspexit vir Sanctus (iam enim in increpationes eruperat) ait: O nequissime generis humani hostis, ò impudice canis, ò immunda belua quomodò meam ausus es simplicitatem deludere, ceù zelum, qualemcumquè ergà ordinem præseferens? Et ego quidem, nisi hoc omnipotentis Dei dispensatio permisisset, sapientius aduertissem, quod multò melius est obedientia, quàm stultorum victimæ. Et in faciem eius expuens, eum fugauit.

12 Et quid in his apparitionibus, & perniciosis consilijs, imò præceptis, diabolus intendebat, nisi B. Patrem viribus debilitare corporeis, vt in posterum, si vixisset, nequiret consueti rigoris tramitem percurrere? quid aliud intendebat, nisi eum à medici obedientia diuellere cum animæ suæ iactura? quid, nisi mala sub specie boni? Hùc spectant illa verba D. Bernardi: (Se transfigurat malignus ille spiritus in Angelum lucis aliquandò, vt virtutis simulatione plus noceat, sed & tùnc quoquè si diligentèr aduertimus numquàm nisi amaritudinis, & discordiæ semina spargit. Suadet enim non nullis singularia ieiunia quædam, vndè cæteri scandalizentur, non quia diligit ieiunium, sed quia scãdalo delectatur.) Sic Bernardus *de vtil. verb. Domini.* Nõ placebat igitur Diabolo, quod Iordanes in terra cubaret, sed bene placebat ei, quod medico non obtemperaret. Hinc clarè colligere possumus quantum prodest in huiusmodi visionibus

bus superioris, & confessarij consilijs inhærere. Quandocumque igitur spiritus malignus aliquid sùb specie boni suadet, referantur sua consilia ad superiorem, vèl confessarium tamquàm ad lapidem lydium probanda, & hìc sophistici auri qualitas apparebit.

13 Sic de hoste triumphauit illa Virgo, cui diabolus sùb imagine B. Vrsulæ Crucis vexillum præferētis cum multarum virginum comitatu apparuit, sicquè loquutus est. Videt Deus, amatquè tuum studium tuendæ pudicitiæ; sed quoniam difficile admodùm est in paterna domo in tanto strepitu occursántium, & periculorum obiectu non contaminari mētem aliqua ex parte, nos allegauit, vt te duceremus in cœnobium sacrarum Virginum, omissis curis omnibus, ipsius numini studiosè famulantiū. Hic Virguncula, Deo aspirante, cùm verens diaboli insidias, dexteram duxisset manum à capite in pectus, moxquè à sinistra produxisset ad dexteram, vt efformaret Crucem, se talibus visis, tantoquè honore indignissimam esse profitetur. Nequè verò vobis habeo magnam fidem, timeo, & in speciosis consilijs fictos dolos; quod si Dei legatione fungimini has Sanctorum reliquias (habebat enim reliquias alligatas ad collum) humiliter veneramini. Mirum dictu! procubuerunt in genua laruæ venerabundæ, & tantò magis vrgent, vt maturet profectionem. At illa, mihi non licèt quidquam grauius statuere mei Patris spiritualis iniussu, nequè ad eum adire decet nocte intempesta. Conuenite vos illum, & ex-

ponite mandatum Dei; vbi dijusserit ego accedam, & vtar consilio illius. Hoc responso, dæmones, abiecta omni simulatione, in suas se tenebras abdiderunt, cum fremitu ad irridentem puellam, quod lingua solum bellarent, gratesque agentem suppliciter Deo, contumelias, & probra certatim ingerentes. Hæc ex Francisco Bencio refert Delrius *lib.* 4. *disquis. magic. quæst.* 3. *sect.* 5. Si igitur hæc Virgo non esset ita sapiens, quid ex tot deceptorijs modis, ac verbis non esset timendum? Sed vicit gratia Dei in hac puella, quia huiusmodi visiones non affectabat.

14 Multi sunt, qui, quasi via Domini sit ignota, rogant, & importunè Deum, vt sibi voluntatem suam manifestet, vt ostendat quid eis sit faciendum, & similia; Si meminissent illud, quod dicit Apostolus: Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra 1. *Thessal. cap.* 4. *ver.* 3. Et illud: Cum metu, & timore salutem vestram operamini. *Philip. cap.* 2. *ver.* 12. & illud quod dicit Christus: Si vis ad vitam ingredi serua mãdata. *Matt. cap.* 19. *ver.* 17. Non vtiquè sic Deum orarent; sed potius dicerent: Da mihi Domine, vt tuã adimpleam voluntatem, vt viam mandatorum tuorũ inoffenso pede percurram; vt tibi fideliter seruiam. At quia isti vellent seruire Deo in proprijs desiderijs ambulãtes, expostulãt ab ipso, vt doceat nõ quod eis prodest, sed potius quod exoptant. Et meritò accidit eis quod ait D. Augustinus *lib.* 10. *confess. cap.* 42. (Multi conantes ad te redire, nequè per se ipsos valentes, sicut audio,

audio, tentauerunt hæc, & inciderunt in desiderium curiosarum visionum; & digni habiti sunt illusionibus &c.) Qui igitur illudi, & decipi non vult, non quærat huiusmodi visiones.

15 At quia non nulli, imò potiùs multi tales visiones, & illusiones patiuntur inuiti, vt patet in duobus exemplis allatis; adijciam hìc quomodò à cautis, & prudentibus dignosci possit nùm ille qui apparet in visione sit Angelus bonus, vel malus. Duo affert signa ad hoc dignoscendum Delrius, vnum desumptum ex figura, sùb qua apparent, alterum verò ex voce, quâ nobis suos conceptus proferunt. Et vtrumquè tùm ex probatis Auctoribus, tùm ex Sagarum confessionibus ipse asserit.

16 Sciendum est igitùr quod quantùmuis ille antiquus humani generis hostis velit pulcherrimam hominis similitudinem repræsentare, quæ Diuinæ pulchritudinis participatio est, tantum solet assumere, quãtum Deus permittit, teste D. Chrisostomo *hom. 4. de Lazaro*. Et ideò, etiam, ipso inuito, fieri videmus, vt, qui non obesæ nimiùm mentis sint, semper, si attendant, fucum queant deprehendere. Aùt enim se ostendunt dæmones humano corpore atro, illuuioso, squalido, fœtente, tetro, àc formidabili; saltèm obscuro, nigro, fædoquè vultu; naribus vèl deformitèr simis, vèl immanè aquilinis; oris rictus sparso, profundoquè, luminibus valdè abditis, flammantibusquè; manibus, pedibusquè obuncis, àc vulturinis; strigosis brachijs,

cruribusquè, & admodùm villosis; caprinis etiam, vèl asininis tibijs; vno, vèl vtroquè pede bifido, corneoq; interdùm, & solidungulo; interdùm mutili pede altero, vèl vtroquè; demum statura corporis numquam iusta, àc decora, sed cui semper adsit aliquid insolitæ notæ, & deformitatem prauitatemquè dæmonis prodentis.) Hæc quoad formam corporis obseruat Delrius, & licèt non omnia simùl concurrere debeant in qualibet eius apparitione, sufficiet tamen vnum, vèl alterum ipsorum ad deprehendendam fraudulẽtis nequitiam.

17 (Quoàd vocem autem, licèt diabolus in corpore assumpto non possit veram efformare vocem, cũ non habeat in dicto corpore instrumenta, quæ necessario requiruntur ad vocem, vt benè probat Abulensis *Exodi cap. 7. quæst. 15. & quæst. 114. in cap. 8. Matt.* Nàm illud corpus assumptum licèt exterius ostendat figuram corporis humani, interius tamen non habet distinctionem partium, sicut sunt in homine, & ideò non formant veram vocem humanam, sed per quædam instrumenta sonum humanæ voci similem edunt, ad eum fermè modum, quo quis artificiosè quopiam instrumento: puta tibia, vèl tuba, sonum vocis humanæ exprimat; vèl quo modo cauæ valles exceptam, àc repercussam vocem articulatè admodùm reciprocant, vèl vt crispi numeratione pectinis organa pneumatica in varios accẽtus, àc tonos sonum discirminãt. Sermone vt plurimum vtuntur, quo regionis illius incolæ,

colæ, vt Psellus tradit. Sed (quod notandum, nàm, & hinc fucum queas deprehendere) vtuntur voce stridula, subsibilante, confusa, obscura, debili, pusilla, & quasi ex doleo, vèl per testam rimosam.) Totum hoc ait Delrius *lib. 2. disquis. magic. quæst. 28. sect. 3.* per sagarum confessiones apud Remigium *lib. 1. dæmonum cap. 8.*

18 Potest etiam, & aliud adiungi signum ex tactu; Nàm cum dæmon appareat in aliquo corpore ex aere formato, erit istud corpus frigidum, & horridum quoàd tactum, & similitèr sunt cadauera bestiarum, vèl hominum, quæ dæmones assumunt, vt sùb ipsis appareant. Et licèt possint dæmones in talibus corporibus simulare multa accidentia, quæ tactû fallere possunt, vt carnis lenitatē, ossiū duritiē, teporem, suauemquæ colorem. Attamen si Deus non permittit, hoc minime efficere possunt. Sic ex Caietano Delrius *loco iam citato sectione 1.*

19 Iuuat etiam in istis apparitionibus, & visionibus signū Crucis eis opponere, atquè se Crucis signo munire; Nàm sicut Angeli boni non ægre ferunt hoc salutiferum signum; Sic Angeli mali ipsum fugiunt, àc in eius conspectu disparent. Et licèt aliquandò ad crucis signum diabolus non aufugiat, sic Deo permittente, vt patet in exemplo supra relato ex Francisco Bencio; attamèn hoc signo in primis cum fide vti debemus ad effugandas omnes acies infernales, & in hoc mirabili signo experietur fides nostra mirabilia Dei.

An in

An in Inspiratione, & Instinctu possit esse deceptio.

SECTIO VI.

1 MVlta à nobis fieri per Inspirationem, & non nulla per Instinctum, dixi iam in sectione decima capituli antecedentis. Inspiratio autem, & Instinctus à Deo sunt, & D. Thomas 2. 2. *quaest.* 171. *art.* 5. eas distinguit à reuelatione. (Nàm per reuelationem expresſè cognoſcitur ab illo, qui eam recipit, quid sibi imponitur à reuelante, & cum certitudine operatur; in inspiratione autem, & instinctu non sic; nàm in istis non habetur nisi quædam motio interna, quam qui recipit, nesciens operatur.) Sic Brondus *disput.* 2. *in cap.* 1. *Apocalyp. quaest.* 2. *fundam.* 3.

2 Aliam differentiam inter reuelationem, & inspirationem tradit Abulensis *quaest.* 30. *in cap.* 9. *Iosue.* dicens: (Est enim differentia magna inter inspirare, & reuelare; quia inspirare est idem, àc in spiritu ponere, scilicèt in voluntate; reuelare autem pertinet ad intellectum: Vndè inspirati, sunt, vèl possunt esse ignorantes eius, quod faciunt, quare agant, sed solum sentiunt se inclinatos valdè ad aliquid agendum. Sic dicit Aristotiles *lib. de bona fortuna*, scilicèt, quod benefortunati patiuntur aliquid simile eorum, quæ à Deo fiunt, scilicèt, quia sentiunt se moueri ad aliquid, quod bene eis

pro-

proueniet; Et tament nesciunt aliquam causam quare faciunt.) Hæc Tostatus, & exemplificat suum dictum exemplo Sampsonis, qui voluit accipere vxorem Philistinam, quia sic inspirabatur à Deo.

3 Et posteà adiungit. (Est autem reuelatio quandò Deus manifestat aliquid alicui agendum, vèl non agendum; & tùnc ille scit sibi illud reuelari, & scit dare rationem de eo quod facit. Et differt intèr reuelationem, & inspirationem, quia inspiratio non reddit opus totalitèr licitum, nequè omninò excusat à peccato, si opus alitèr sit illicitum; eò quod reuelatio habet vim cuiusdam dispensationis.)

4 Et ex hac Tostati Doctrina duæ differentiæ, quæ inter reuelationem, & instinctum incidunt, eliciuntur. Prima est, quod reuelatio pertinet ad intellectum; & ipspiratio ad voluntatem; Et secunda, quòd reuelatio facit opus licitum, si aliàs erat illicitum. Inspiratio autem nō potest facere, quod illicitum fiat aliquo modo licitum, sed remanet in suo statu; & ratio est, quia inspiratio se habet per modum consilij, & reuelatio per modum præcepti.

5 De secunda differentia habemus exemplum in Osea; & in Israelitis cum Gabaonitis. Oseas enim per Dei reuelationem accepit mulierem fornicariam: Vade, ait Deus ad illum, vade sume tibi vxorem fornicationum, & fac filios fornicationum. *Ose. cap. 1. ver. 2.* In quo Deus per apertam reuelationem dispēsauit illi. Et sic quod erat illicitum, factum est licitum. In facto autem

autem Israelitarum cum Gabaonitis, quia non fuit aperta reuelatio, sed tantùm inspiratio, valdè laborat Tostatus, vt ostendat si Hæbrei tenebantur ad obseruationem præcepti, quod habebant à Deo de delendis Chananæis, an potius ad obseruandum iuramentum quod præstiterunt de eis non occidendis. Cum enim inspiratio non det aliquam certitudinē nùm sit à Deo, vèl à Dæmone, vèl à spiritu proprio, nullo modo potest facere licitum, quod est illicitum per aliquam circumstantiam.

6 Ex quo apparet prima differentia ab Abulensi notata, scilicèt quod reuelatio pertinet ad intellectum, & inspiratio ad voluntatem. Voluntas enim, quia tantummodo recipit motionem ab inspiratione, & nullum iudicium intellectus præcedit nequè practicū, neque speculatium, in obscuro operatur: & appetit, vèl respuit aliquod, quia ad id appetendum, vèl respuendum ab inspirante mouetur. In quo actu Intellectus nihil agit, & priuatiuè se habet. Sicut accidit in arreptitijs, qui loquuntur, & nesciunt quid loquantur. Et multi prophètauerunt, nescientes quid prophètarent; quod obseruatum fuit in Balaam *Num. cap.* 23. *&* 24. & in Caipha, qui prophètauit mundi Salutem ex Christi Redemptoris morte. *Ioan. cap.* 11. Reuelatio autem, cum se teneat ex parte intellectus, dat certitudinem de re quam reuelat, & illuminat ipsum intellectum ad cognoscendum quod reuelatur; ita vt nulla hæsitatio remaneat apud illum, qui accepit reuelatio-

lationem. Et si fortè hæsitauerit aufert Deus hanc hæsitationem, sicut fecit cum Zacharia *Luc. cap.* 1. vt clare cognoscat quod talis reuelatio est à Deo. Et sic etiam fecit cum Sarà, quandò dubitauit de prole sibi per reuelationem promissa. *Gen. cap.* 18.

7 In Inspiratione potest esse aliqua deceptio, etiam dæmonis: potest enim iste instigare nostram voluntatem ad aliquod opus malum sùb specie boni; vèl instigare nos ad aliquod opus bonum, vndè posteà malum sequatur. Et de hoc supra dixit Bernardus *serm. de vtil. verb. Dom.* (Se transfigurat aliquandò malignus ille spiritus in Angelum lucis, vt virtutis simulatione plus noceat, sed & tùnc quoquè si diligenter aduertimus, numquam nisi amaritudines, & discordiæ semina spargit. Suadet enim non nullis singularia ieiunia quædã, vndè cœteri scandalizentur, non quia diligit ieiunium, sed quia scandalo delectatur &c.) Quæ quidem Bernardi verba intelligenda sunt, non solùm de apparitionibus, & visionibus externis, quæ aliquandò à diabolo fieri solent, vt supra dictum est, sed etiam de inspirationibus internis. Non enim omnes inspirationes ad bonum, bonæ sunt, & à Deo procedunt, sed illæ tantùm, quæ nullam habent admixtam deceptionem. Et ad hoc cognoscendum, vti debemus consilio confessarij periti, & experti, nec non in via spiritus, & virtutis illuminati, & etiam superioris, sùb quorum directione non ita facile possumus errare.

8 Ex Tostato possunt elici duæ regulæ ad cogno-

S scen-

ſcendum quandò inſpiratio eſt à Deo. Prima eſt, quod quandò Deus aliquid inſpirat, non ſolùm mouet ad opus, ſed etiam inſpirat media, per quæ ad illud opus perueniamus, & inſuper dat confidentiam, vt attentemus illud cum fiducia. Patet hoc exemplo Gabaonitarum, qui Dei inſpiratione moti fuerunt ad decipiẽdos Iſraelitas; de qua inſpiratione dicit Abulẽſis *quæſt. 32. in cap. 9. Exodi:* Et ad hoc dedit in animum eorum quòd cogitarent aliqua ingenia per quæ poſſent fallere Iſraelitas, & inducere ad præſtandum iuramentum, & ineunda fœdera; & dedit eis confidentiam in animo, quod hoc poſſent obtinere; nàm ſi non confiderent nõ attentarent. Et hoc fuit inſpiratio quædam facta à Deo Gabaonitis, licèt ipſi non intelligerent, & tamen mouebantur à Deo ad hoc faciendum. Et ad hoc faciendum Deus mollificauit corda eorum, vt ſupplices fierent Iſraelitis, & ſic poſſent euadere mortem &c.) Ecce habes in his Toſtati verbis ea, quæ inſpirationem Dei comitari ſolent. In illis namquè verbis: (dedit in animum eorum, quod cogitarent aliqua ingẽnia &c.) habes inſpirationem operis, & mediorũ quibus ad finem pertingerent. In illis verbis: (dedit eis confidentiam in animo &c.) Oſtendit fiduciam, & ſpem, quam ipſemet illis dedit, quod per talia media ad finem peruenirent, & eis dedit confidentiam in animo, vt illa tentarent. Et omnia deniquè inſpirauit, quæ ad opus illud peragendum eos inducerent.

2 Secunda regula ad dignoſcendum à quo ſint inſpira-

ſpirationes elicitur ex eo, quod dicit idem Toſtatus ſuper factum Eliezer Serui Abraham. Sic enim orabat iſte: Domine Deus Domini mei Abraham, occurre, obſecro, mihi hodie, & fac miſericordiam cum Domino meo Abraham. Ecce ego ſto propè fontem aquæ, & filiæ habitatorum huius ciuitatis egredientur ad hauriendam aquam. Igitur Puella cui ego dixero: inclina hydriam tuam, vt bibam, & illa reſponderit, bibe, quin & Camelis tuis dabo potum; ipſa eſt, quam præparaſti Seruo tuo Iſaac; & per hoc intelligam, quod feceris miſericordiam cum Domino meo. *Gen. cap. 24.* Totum hoc proceſſit ex inſpiratione Diuina, dicit hìc Toſtatus ad litteram. Et ordo in hac inſpiratione talis fuit. Primo loco præceſſit oratio ad Deum; Et in hac oratione poſuit ſignum de potu aquæ ſupra deſcriptum; quod quidèm etiam à Deo inſpiratum fuit; & poſtea cū fiducia expectauit miſericordiam à Deo.

10 In dicto ſigno duo à citato doctore conſiderantur: (primum, quandocumquè aliqua proponuntur, vt fiant, & poſt totalitèr ſic eueniunt, non dicuntur propriè eſſe ab aliqua cauſa per accidens, ſed à cauſa intellectiua hoc directè intendente. Cum igitur Eliezer poſt deuotam orationem poſuiſſet ſignum de potu aquæ; euentus, qui fuit totalitèr conformis ſigno ab ipſo poſito, non adſcribendus eſt cauſæ accidentali, ſed cauſæ intellectiuæ, nempè Deo, qui annuebat præcibus Eliezer. Secundum quod notat Abulenſis eſt, quod in iſto ſigno talia proponebantur, qualia nulla

puella ageret, nisi mota interius à Deo, scilicèt adaquare gratis decem Camelos sinè petitione Domini camelorum: Ideò quandocumquè ista contingerent, apparet manifestè, quod Deus illa faceret &c.

11 Et licèt hæc, quæ dicuntur ab hoc Doctore vera sint; attamen non possumus hinc deducere regulam generalem, & infallibilem circa inspirationes ne in ipsis decipiamur à nobis ipsis. Verum est quod quandò cum fiducia recurrimus ad Deum, maximè in rebus dubijs, & arduis, & præmissa feruenti oratione, possumus cum aliquo signo nobis inspirato petere ab ipso, vt in illo signo nobis inspirato ostendat quid magis nobis expediat, cum beneplacito suæ voluntatis; sicut fecit Seraphicus meus Patriarcha Franciscus, quandò cum Bernardo à Quintaualle, post orationem ter Euangeliorum librũ aperuit, vt supra sectione 10. præcedentis capituli dictum est. Attamen si, qui hoc petit, non denudetur omni affectu, & sit totalitèr indifferens ad quemcumq; euentum; facillimè decipi potest à semetipso, trahens omnia non ad veritatem, sed ad sua desideria. Nihilominùs melius est in rebus dubijs, & arduis ad Deum per orationem recurrere, quàm casualitèr operari; & si cum fiducia sumamus aliquod signum bonum, & licitum, sicut fecit Eliezer, & Assisij Seraphinus non deerit gratia Dei sperantibus illam.

12 In alijs verò inspirationibus, quæ nobis accidunt difficilè cognoscitur aliquandò à quo spiritu proueniunt,

ueniunt, maximè ab inexpertis. Et benè circa hoc ratiocinatur Cancellarius Parisiensis *Alphab.* 17. *circa finem*, vbi sic ait: (Est enim Spiritus Deus, Spiritus Angelus bonus, spiritus Angelus malus, & spiritus humanus, tàm rationalis, quàm animalis. Potest autem similis inspiratio spirari per quemlibet istorum spirituum suo modo, longèq; tamen diuerso. Sed diuersitatem faciliter percipi quædam similitudo non sinit apùd inexpertos talium, qui nequè per seipsos ex acumine ingenij, nequè per eruditionem in Theologicis, vel Physicis disciplinis, nequè per aliorum traditionem sciunt talia distinguere. Certè nèc mirandum cum paucissimos inueniamus, qui plenè sciunt secernere cogitationes, & affectiones suæ rationalis animæ, vt rationalis est, ab illis, quæ sunt animales, videlicèt in sensu communi, vèl organo phantasiæ. Que inuenies, precor, ex timentibus Deum, peccatumq; fugientibus, qui semper, & in omnibus ad liquidum prospicient, dùm tentationes vigent, si sensus eorum sit tantummodò in imaginatione, vèl consensus in ratione; Adeò non facilis est discernere sensum à consensu; Quantò plus habet difficultatis probatio quadruplicis prænominati spiritus; dùm videlicèt instinctus vnus, vèl inspiratio vehemens tangit mentē, si sit à Deo, vèl ab Angelo bono, aùt malo, vèl à proprio spiritu humano. Cuius rursus sensus portio duplex superior, & inferior adscripta est. Cuius sentire diuisionem perfectè dat illud verbum Dei, quod pertingit

tingit vſquè ad diuiſionem ſpiritus,& animæ. Qualem in ſe diuiſionem paſſa erat,quæ exclamauit: Magnificat anima mea Dominum. De hinc ſecernens ſpiritum ab anima, ſubiunxit: Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.) Hæc Gerſon. Et ex hac ratione, quam affert iſte Doctor quis non videt, quàm difficile ſit diſcernere à quonam ſpiritu veniunt motiones animæ noſtræ. Itaque ad fugiendam omnem deceptionem, optima eſt illa cautela, quæ generaliter datur ab omnibus, vt ſcilicèt in talibus inſpirationibus procedamus cum conſilio confeſſarij, qui ſit in via ſpiritus illuminatus, ſitque etiam prudens,àc expertus,& cum conſilio etiam ſuperioris, cuius conſilia,& iuſſa ſequẽtes errare non poſſumus.

13 Deniquè in inſtinctu non poteſt à principio interuenire deceptio; Cum enim ſit quidam motus naturæ ex parte potentiæ intellectiuæ, qui quidẽ motus ſe habet veluti quædam coruſcatio in aere, aduenniens iuxtà temporis, & negotiorum qualitatem,difficilitèr natura, quæ ſemper intendit quod melius eſt, decipi poteſt. Nihilominus error qui à principio in inſtinctu eſſe non poteſt, facilitèr adeſſe poterit in fine; quia aduenientẽ ſuper inſtintũ naturæ ratiocinatione in tellectus, & actu voluntatis,etiam & ipſe deprauari poteſt per quemcumquè inordinatum affectum. Sed quandiù inſtinctus eſt omni affectu denudatus,& operatur iuxtà naturæ motum nèc decipit, nèc decipitur.

14 Hæc circa diuerſa reuelationum genera volui præmit-

præmittere, ò chariſſime Theophile, vt facilius peruenirem ad illas regulas, quæ à diuerſis auctoribus traduntur, vt cognoſcere, & diſcernere poſſimus veras à falſis reuelationibus, & quæ nobis à bono ſpiritu veniũt, & quæ à malo; illas vt amplectamur, & exequamur, has autem vt reſpuamus, & deteſtemur. Et de his in ſequenti capitulo erit ſermo.



De his,

tingit vsquè ad diuisionem spiritus,& animæ. Qualem in se diuisionem passa erat,quæ exclamauit: Magnificat anima mea Dominum. De hinc secernens spiritum ab anima, subiunxit: Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.) Hæc Gerson. Et ex hac ratione, quam affert iste Doctor quis non videt, quàm difficile sit discernere à quonam spiritu veniunt motiones animæ nostræ. Itaque ad fugiendam omnem deceptionem, optima est illa cautela, quæ generaliter datur ab omnibus, vt scilicèt in talibus inspirationibus procedamus cum consilio confessarij, qui sit in via spiritus illuminatus, sitque etiam prudens,àc expertus,& cum consilio etiam superioris, cuius consilia,& iussa sequẽtes errare non possumus.

13 Deniquè in instinctu non potest à principio interuenire deceptio; Cum enim sit quidam motus naturæ ex parte potentiæ intellectiuæ, qui quidẽ motus se habet veluti quædam coruscatio in aere, aduenïens iuxtà temporis, & negotiorum qualitatem,difficilitèr natura, quæ semper intendit quod melius est, decipi potest. Nihilominus error qui à principio in instinctu esse non potest, facilitèr adesse poterit in fine; quia aduenïẽte super instintũ naturæ ratiocinatione in tellectus, & actu voluntatis,etiam & ipse deprauari potest per quemcumquè inordinatum affectum. Sed quandiù instinctus est omni affectu denudatus,& operatur iuxtà naturæ motum nèc decipit, nèc decipitur.

14 Hæc circa diuersa reuelationum genera volui præmit-

præmittere, ò chariſſime Theophile, vt facilius peruenirem ad illas regulas, quæ à diuerſis auctoribus traduntur, vt cognoſcere, & diſcernere poſſimus veras à falſis reuelationibus, & quæ nobis à bono ſpiritu veniũt, & quæ à malo; illas vt amplectamur, & exequamur, has autem vt reſpuamus, & deteſtemur. Et de his in ſequenti capitulo erit ſermo.



De his,

De his, quæ in Reuelationibus sunt obseruanda.

CAPVT III.

1 SVmmopere extimescendum est, ait Bouerius, ijs qui nouis reuelationibus gloriantur, ne prò Deo Sathanam colant; & dum cœlestes Spiritus Sancti reuelationes suscipere arbitrantur, occulta dæmonis præstigia venerentur;) Ita Bouerius *lib. 1. de vnitate fidei in demonstrat. 2. symboli art.* 12. Ideoquè eas probare oportet iuxtà D. Ioan. doctrinam: Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt. 1. *Ioan. cap.* 4. *ver.* 1. Quia, ait D. Ambrosius (Quia solent spiritus mundi fallaciter quasi per imitationem dicere bona; & inter hæc subinducere praua; vt per hæc, quæ bona sunt accepto ferantur & mala; Vt quia vnius spiritus dicta putantur, non discernantur ab inuicem, sed per id quod licitum est commendetur illicitum auctoritate nominis, non ratione virtutis.) Hæc Ambr. *in cap. 5. primæ epist. ad Thessal.* relatus à Lorino *in cap. 4. primæ epist. Ioan. ver.* 1. Probare igitur oportet priuatas reuelationes, vt omnis ab eis suspectus auferatur. Sed quæri potest cum Bouerio qua ratione probari debent? Ad quod ipsemet Bouerius respondet. (Id planè certum est eas numquam melius probari, quam cum ad antiquam fidem examinantur;

Ita vt

Ita vt illæ solæ reuelationes veræ, àc probatæ sint, quæ cum antiqua fide conueniunt.) Hæc Bouer. *lib. 2. de fidei vnitate exam. 2. art. 4. censura 9.* Ex quo infertur, quod illæ reuelationes, quæ ab antiqua fide disconueniunt sunt improbandæ. Et quia in reuelatione multa possunt considerari, nempè persona cui fit reuelatio; modus, & circumstantiæ, quæ ipsam reuelationem concomitantur; & deniquè res, quæ in ipsa reuelatione continētur. Omnia ista, Deo fauente, ordinatè tradentur.

De conditionibus, quæ attendendæ sunt in persona cui fit Reuelatio.

SECTIO I.

2 MVltas conditiones requirit Gerson in persona, quæ accipit reuelationes; easquè ipse in vno paragrapho perstringit. (consideretur, ait, in primis persona suscipiens visiones si sit boni, & discreti iudicij, rationis naturalis, quia læso cerebro turbatur iudicium rationis, si læsus, phantasia patiatur, non magnopere quærendum est à quo spiritu veniant melancholicæ, illusoriæquè visiones, vt patet in freneticis, & ægrotis varijs; qui vigilantes se talia videre putant, audire; gustare &c. qualia somniantes patiuntur.) Hæc Gerson *Alphabeto 17. littera T.*

3 Primo igitur loco considerari debet status mentis,

tis, & corporis in persona, quæ suscipit visiones, nàm si mens, vèl phantasia est aliquo modo deprauata nulla ei fides adhibenda est, & de istis sic scribit D. Bonauentura *de profectu Religios. lib. 2. cap. 75.* (In quibusdam etiam solent huiusmodi visiones esse præludia insaniæ: quia cerebro confuso, & fumo ipsum obnubilante, etiam visus oculorum confunditur; vt putet sibi aliquid apparere veraciter, quod phantasticum est, & falsum. *Ecclesiastic. cap.* 34. Sicut parturientis cor tuum phantasias patitur, ne dederis cor tuum in illis &c. Et in istis multæ, & diuersæ accidunt specierum commotiones, & iudicant se videre, & audire, olfacere &c. quod nèc vident, nèc audiunt, nèc olfaciunt &c. Sic in arreptitijs illusio diabolica esse potest, & ideo illis non credendum.) Tales fuisse prophètias Montani scribit Firmianus ad S. Cyprianum. Nàm spontè incipiebat vaticinari, & posteà quodam furore, & amentia correptus inuitus pergebat. Tales fuerunt prophètiæ Monialium Quercetensium anno 1491, de quibus ita scribit Christianus Massæus *lib.* 10. *Chron:* (Eodem inquit anno circa festum Cathedræ, terribile dictu, cœperunt dæmones habitare, & possidere Monasterium Dominarum Quercetensium: quæ annis quatuor, & mensibus totidem miserabiliter vixerunt. Vidisses eas crebrò, velut canes per agros discurrere, instar auium volare per aera, sicut feles arbores repere, pendere de ramis; variorum animantium effingere voces, secreta prodere, de futuris euentibus prophètare &c.

re &c. Post multa remedia vndecumquè collata, earũ nomina delata Romam ab Alexandro VI. lecta fuerunt in Cœna Domini sùb Diuino Sacrificio, sed nihil profuit. Ioanna Potiere, quæ malorum dicitur dedisse principium, Cameracum abducta quadragenaria maior in carcere perijt. Cœteræ post annos quatuor mense Iunio liberatæ sunt.)

4 Et non solùm ex perturbatione mentis, sed etiã ex corporis indispositione tales effectus haberi possũt. Nàm si atrabilis multum excedat; si inedia, vèl vigilia multum corpus extenuauit: si cerebrum sit læsum, vèl phantasiæ organum turbatum, potest accidere, quod isti etiam vigilantes dicant se videre, audire, gustare &c. quod verè nèc vident, nèc audiunt, nèc gustant. Et epileptici etiam morbo correpti solent multa vaticinare, sicut ex Gersone tradit Delrius *lib.* 4. *disquis. magic. cap.* 1. *quæst.* 3. *sect.* 2. & istis etiam nulla fides est adhibenda, vt in supradictis verbis dicit Gerson.

5 Pergit Cancellarius Parisiensis *loco iam citato:* (Habet præterea quælibet passio profundata suam læsionem, suam ebrietatem, suum (vt Origenes loquitur) dæmonium. Patet in Philocaptis, in zelotypis Iracundis, Inuidis, & Auaris. Vndè Poeta: An qui amant ipsi somnia fingunt?)

6 Idem dicit Delrius *loco nuper citato;* vbi enim animus aliquo vitio laborat facillimè in alia decidit; & non est inuerisimile quod vitiosus aliquis visiones, & reuelationes fingat, vèl ad dissidia seminanda, vèl ad

alios diffamandos, vèl turpis lucri gratia, vèl affectatæ Sanctitatis prurigine, vt hypocritis accidit, qui multa signa pœnitentiæ, & deuotionis ostentant, vt præ cœteris sanctiores habeantur. Hinc Apollonius vnus ex antiquis Patribus prophètias Montanistarum falsitatis arguebat; quia Maximilla, & Quintilla non solum maritos suos deseruerant; non solum erant pecuniæ cupidæ, fœnus excercentes, tesseris, & tabulis ludentes, & mercedes prophètiarum recipientes; verum etiam quod lasciuiæ deditæ, pigmentis, cultui corporis, & sumptuoso luxui vestimentorum vacabant. Et ideo obseruandum in istis si consilia, & iudicia aliorũ spernant; si foris Curios simulent, & intus viuant Bacchanalia, si mulierculas peccatis onustas circumducant; si se in officio concionandi, confessiones audiendi, & alia huiusmodi ingerant sinè legitima vocatione, & missione. In istis enim valdè timeri potest illud, quod ex Poeta refert Gerson: Qui amant, ipsi sibi sõnia fingunt. Exempla, quæ ex varijs locis etiam his temporibus nostris audiuimus apertè hoc contestantur. Et diabolus, qui versutissimus est, cuiquè per id, quod vitiosè amat solet illudere; vt S. Leo *serm. de circumc.* docet: (Nouit diabolus, ait Leo, cui ingerat illecebras gulæ, cui adhibeat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus inuidiæ, cui exhibeat escam cupiditatis; nouit quem fallat gaudio, quem mœrore conturbet, quem errore seducat; & causas quærit nocendi, vbi quemquè studiosiùs viderit occupari. Hæc Sanctus.

7 Præ

7 Præ cæteris apti sunt deludi, ait Delrius, qui natura sunt tenaces sententiæ suæ, seque solos putant sapere, reliquos despuunt, vt fungos. Talis ille, qui se in puteum præcipitauit, apud Cassianum. Talis ille, qui vt non frangeret silentium, confiteri nolebat, & ex ordine apostatauit, *vt in 1. par. Chronic. S. Franc.* habetur, & innumera alibi habentur exempla.

8 Adiungit Gerson: Quæritur ergo si persona sit nouitia in zelo fidei; quia nouitius feruor citò fallitur, si regente caruerit; præsertim in adolescentibus, & fœminis, quarum est ardor nimius, auidus, varius, effrænis, ideoque suspectus.

9 Hic tangit Gerson tres conditiones; & prima est circa fidem; secunda circa tempus, quo exercitata est in virtute; & tertia circa sexum.

10 Et quoad fidem: Notandum est, quod multæ sunt prophetiæ, quæ ab hæreticis fictæ, & in varijs libellis ab ipsismet congestæ circumferuntur, vt videri potest apud Delrium *sect. 2. citata.* Hæretici namque ad euellendas veras reuelationes, quas in Sacra Scriptura habemus, fingunt falsas, vt homines à veritate auertant. Et de his dicit Gerson *Alphab. 19. litt. M.* (In hoc senio sæculi in hac hora nouissima, in præcursione Antichristi, mundus tamquam senex delirus phantasias plures, & illusiones somnijs similes pati habet, & multi dicent: Ego sum Christus; & recedentes à veritate conuersi ad fabulas, seducent multos &c. sed

in hoc

in hoc casu ne decipiamur tenēda est, tenaciter in memoria illa D. Pauli doctrina; sed licèt nos, aut Angelus de Cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euágelizauimus vobis anathema sit *Galat. cap. 1. versu* 8.)

11 Circa tempus, quo persona exercitijs spiritualibus dedita est, considerandum num scilicèt veterana sit, an nouitia; nàm persona nouitia facilè decipi potest. Et hæc deceptio de facili accidit illis, qui cum non adhùc per viam purgatiuam pertransierint, in illuminatiuam irruunt, & in vnitiuam per quemdam sensibilem affectum se intrudere tentant. Et hìc viam aperiūt diabolo, vt eos decipiat. Hanc igitur circumstantiam cum magna diligentia attendendam esse, iterum monet idem Gerson *Alphabeto* 19. *litt. P.* dicens: (Refert denique plurimum si quis nouitius sit, aut veteranus; Quoniam virtus dum incipit leuissimo flatu conuellitur: inueterata autem sua stabilitate nixa consistit &c.) Et hoc indicio Franciscus Picus *lib. 9. de præno. cap. 3.* detexit falsitatem cuiusdam reuelationis, & visionis, cui postea, & alia indicia accesserunt; nempè quod vana quædam bonis mixta diabolus in forma Christi Domini cœperat suadere.

12 Et tertiò circà sexum, obseruandum nùm vir, vèl fœmina sit persona, quæ reuelationem habuit. Nàm fœminarum assertum de mendacio valdè suspectum est, testante Aristotile *lib. 9. de historia animalium cap.* 1. quod: (Mulier anxia est, & desperans magis, quàm Mas, atquæ impudentior, àc mendacior, quin

etiam

etiam facilior decipi &c.) & vt experientia docet, quasi omnes reuelationes, quæ hodiè circumferuntur, sint mulierum. In lege veteri multos habemus Prophètas, at paucissimas prophètissas; hisce temporibus nostris, videmus quod apud Gentiles, & Idolorum cultores obseruauit Horozeus *lib. 1. de vera, & falsa prophetia cap.* 23. nempè quod habuerunt innumeras prophètissas, paucissimos verò prophètas.

13 Et in hoc sexu non est mirum si adeò abundant reuelationes, & deceptiones, nàm hoc ex triplici capite oriri solet, vt docet Simanchas *de catholicis institut. cap.* 21. *nume.* 25. Primò quia fœminæ naturæ humidioris, àc viscosioris sunt, quàm viri: humidum verò facilè commouetur, ideò mulieres aptiores sunt ad figuras, & impressiones suscipiendas; atquè citius imaginantur. Secundò mulieres minus prudentes sunt; quamobrem cum fingantur eis vanæ species, falsæ apparitiones, atquè illusoriæ visiones, fortitudinem, aùt constantiam ad resistendum, & respuendum non habent. Tertiò quia mulieres magis, quàm viri affectibus abundant. & vt Aristot. tradit *lib. de somno, & vigilia.* (Hi, qui in passionibus ad modicam similitudinem mouentur, & facilè credunt id esse verum, quod illicita esse apparet.) Quod non ignorantes dæmones, frequentius fœminis, quàm viris vanas, & illusorias reuelationes suggerunt. Sic Bartol. Sybill. *in speculo peregri. quæst. decadis* 1. *cap.* 8. *quæst.* 2. Delrius *lib.* 4. *disquisit. magic. cap.* 1. *quæst.* 3. *sect.* 3. Grauina *in lib. ad discer-*

discernendas veras à falsis reuelationibus par. 2. lib. 13. cap. 1. Raphaël de la Torre *de Relig. tom. 2. quæst. 95. art. 3. disp. 3.* relati à Ioan. Albergh. *in manual qualific. cap. 41. num. 7.*

14. Considerandum est etiam in hoc sexu, cum quo conuersatur persona, quæ reuelationẽ habet. Hoc præcipuè cõsiderare necessè est, ait Gerson *Alphab. 17. litt. Z.* si sit mulier; qualiter cũ suis cõfessoribus cõuersatur, & instructoribus, si collocutionibus intẽdit cõtinuis sùb obtẽtu nùnc crebræ cõfessionis, nùnc prolixæ narrationis visionũ suarũ; nũc alterius cuiuslibet cõfabulationis. Expertis crede, præsertim Augustino, àc D. Bonauenturæ; vix & altera pestis, vel efficacior ad nocendum, vèl insanabilior; Quia si nihil haberet aliud detrimenti, nisi temporis pretiosi latissimam hanc consumptionem, abundè diabolo satis esset. Habent aliud, scitote, habent insanabilem videndi, loquendiquè. (interim de tactu silentium sit) pruriginem. Euenitquè de Didone illud apud Poetam.

Hærent infixi pectore vultus,

Verbaquè nec placidam membris dat cura quietem.

cum tamen in pace sit Dei locus. Nullus idcircò mirabitur, si tales ad fabulas conuersi auertuntur à veritate. Si præterea mulieres hæ curiosè agentes sunt quales notat Apostulus, semper discentes, & numquam ad scientiam veritatis peruenientes. Vbi autem non est veritas, fit vanitas, & falsitas necesse est.) Hæc Gerson; qui idem etiam docet *Alphabeto 19. litera &.* Cum igitur

tur talis familiaritas non leuem, imò grauem inferat suspectum diligentissimè attendi debet in persona, quæ asserit reuelationes habere. Nàm sæpè audiuntur, quæ audire nollemus; nèc aliundè ortum suum traxerunt, quàm ex hac nimia familiaritate. (Considerandum est etiam, dicit Gerson, qualiter, & quomodo persona, quæ reuelationes habere dicit, conuersatur, an in secreto, vèl in publico; an in vita actiua, vèl contemplatiua, an in deuotione nimia, quàm notam affert in vestimentis, & cœteris; aùt si communem habet conuersationem accomodam his, quibus conuiuit.)

15 Delrius *sect. 3. citata* affert ex P. Leloyhero *lib. 4. de spect. cap. penul.* hanc regulam; nempè quod plus tribuendum est reuelationibus Virginum, quàm Viduarum, & Viduarum, quàm coniugatarum. Cui regulæ sic adiungit ipse Delrius. (Fateor hoc verum, cœteris paribus, quia Virgo purior, & Deus Puritatis amans, ideò, & plures legimus Virginum reuelationes; & Virgo cogitat quomodo placeat Deo; Coniugatæ cor distractius adhùc quàm cor Viduæ; si paris non sint Sanctimoniæ, plus credendum coniugatæ Sãctæ, quàm Viduæ lasciuienti: plus Viduis, quæ verè Viduæ sunt, quàm Virginibus anxiè coniugium optãtibus, vagis, aùt parum recollectis.) Hæc Delrius. Quã regulam licèt ego non improbem, attamen tutiorem iudico cautelam à Gersone traditam *Alphabeto* 18. *litt. H.* dicens: (Et cautela duplex inter alia sumenda est: Prima: omnis doctrina mulierum, maximè sollemnis,

verbo, vel scripto reputanda est suspecta: nisi prius fuerit altero sex modorum, quos prima pars refert, diligenter examinata, & multo amplius, quàm in doctrina virorum. Cur ita? Patet ratio: Quia lex communis, nèc qualiscumquè, sed Diuina tales arcet. Quare? quia leuius seductibiles, quia pertinacius seductrices, quia non constat eas esse sapientiæ Diuinæ cognitrices. Aliud enim est garrire, quæ venerint ad phantasiam; Aliud de Scripturis Sanctis proferre sermonem. Illud cum artis stabilitate subsistit, illud dilabitur sine firmitate. Vbi sunt scripta tot deuotissimarum, eruditissimarumquè fœminarum, sicut Paulæ, sicut Eustochiæ? Certè nulla supersunt, quia nulla præsumpserunt. Secunda cautela, quæ tacta est: Conferatur statim doctrina per singulas sententias, & verba, si sit conformis ad Doctores approbatos. Et si sic quid addit ad illos in pondere sententiarum; vel Religionis ædificatione pensetur; sunt enim doctrinæ quædam habentes folia verborum quasi speciosissima; quæ si discutiantur, inueniuntur similes ficulneæ, cui maledixit Dominus; quia sunt sinè fructu; aut prò fructu reddunt instar pomorum Sodomæ, solum cinerem, quo turbatur sensus, non reficitur affectus, nèc tandem illuminatur intellectus.) Hæc Gerson, qui clarius loqui non potest in materia præsenti.

16 Nèc ætas negligenda est, ex Delrij Doctrina; Nàm si casca sit, & caduca delirij periculum est; si puerilis leuitatis, & morbi imaginosi; quia humidiores,

quam

quam par est, sunt pueri cerebro, & pleni vaporibus, qui paruo negotio commouentur. Quare & per eos, vt aptiores suis conatibus, dæmones olim amabant oracula fundere: sed & hodiè factitant in crystallomãtia, & in hydromantia.) Sic Delrius *sect. 2. quæst. 3. lib. 4. disquisitionum magicarum.*

17 Sequitur Gerson tradens suam regulam, quam à principio huius sectionis posuimus, dicens: (Rursus plurimum refert attendere, qualis sit, & fuerit persona: qualitèr erudita, quibus assueta, quibus dedicata, cum quibus conuersata: si diues, vèl egena; In prima superbiam, vèl secretam voluptatem; in altera fictionem timebimus. Hoc super omnia conuenit obseruare, ne lateat interior superbia spiritualis: quam Bernardus verè nominat subtile malum; quoniam & hæc de humiliatione sua nascitur: de sordibus, & cilicio, de ieiunijs, & virginitate, imò & de sua morte, suoquè contrario trahit originem.)

18 Multas conditiones hìc tradit Gerson obseruãdas; & licèt Delrius dicat, quod istæ sunt valdè remotæ; attamen non sunt ita remotæ, quod de proximo non possint mõstrare veritatem, seù falsitatem reuelationis; vt sunt assuefactio, & conuersatio, de quibus iàm dictum est; sicut etiam douitiositas, & paupertas. Ex paupertate enim, nempè ex illa paupertate, quæ oritur ex necessitate; oritur illud, quod supra cum S. Bonauentura notauimus. Scilicèt: (Multi etiam putantes se visionem vidisse, cum nil viderunt, seducunt

ſe, & alios, vèl ad quæſtum auaritiæ retorſerunt.) *de profectu Religioſ. cap. 75.* & adimpletur in iſtis quod dicit Paulus: Docentes quæ non oportet turpis lucri gratia, *ad Titum cap. 1. ver. 11.* quod confirmatur exemplo allato *in ſect. 3. præcedentis capituli.* Et de ſuperbia, quæ timeri poteſt in diuite ait idem Bonauentura *loco cit:* (Multi finxerunt mendaciter viſiones vidiſſe, ne vt haberetur inferiores cœteris, aùt præ cœteris honorarentur quaſi ſanctiores, quibus ſecreta Dei oſtendantur.)

19 Et demum pro huius ſectionis coronide, (quæ perſonam reuelationes habentem tāgit) ponam illud, quod cauendum admonet Cancellarius Pariſienſis *Alphab. 17. lit. X.* (Caue ergo quiſquis erit Auditor, aùt Conſultor, vt non applaudas tali perſonæ; non obindè laudes eam: non mireris quaſi ſanctam dignāquè reuelationibus, atquè miraculis. Obſiſte potius, increpa durè: ſperne eam, cuius ſic exaltatum eſt cor, & elati ſunt oculi: vt ambulet in magnis, & mirabilibus ſuper ſe: vt digna ſibi videatur, quæ non humano aliorum more operetur ſalutem ſuam per doctrinam ſcilicèt ſcripturarum, & Sanctorum, cum dictamine rationis naturalis: niſi conſilium habere præſumat: & putat nedum ab Angelo, ſed à Deo: nec dum ſemel in neceſſitatibus, ſed penè iugiter, velùt in quotidianis collocutionibus. Talem admone non ſublime ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem: quoniam veriſſimè ait, qui dixit ſuperbia meretur illudi; & eò dignius, quò inſtar

phariſæi

pharisæi latentem, herentemquè ofsibus superbiam. Et paucis interiectis addit: Enarrent exempla Sanctorum Patrum, qui curiositatem huiusmodi visionum, vèl miraculorum perniciosissimam, fallacissimamquè refugerunt. A qua se Augustinus liberatum in suis confessionibus gloriatur in Domino; quam prætereà D. Bonauentura abborrendam nimis esse determinat, totoquè conatu repellendam, nunc orationibus, nunc increpationibus, seù flagellationibus propriæ mentis, & corporis: Exemplo illius, qui vt tentatione careret superbiæ, quæsiuit, & obtinuit à Domino, vt per tres menses dæmoniaca vexaretur obsessione &c.)

20 Optima est hæc cautela ad probandum spiritum personæ, quæ reuelationes, & visiones habere se dicit. Et cum hac cautela processit Sanctus Philippus Nerius, vt legitur in eius vita, quandò ad ipsum tales personæ dirigebantur, vt eas probaret, si recto corde cum Deo ambularent, & si vera forent, quæ de ipsis fama prædicabat. Nihil lene eis dicebat, nihil placidum, nihil vrbanum; sed turbato vsquè ad iracundiã vultu, acritèr increpabat, asperè reprehendebat, vilitèr tractabat, indignatus eijciebat. Nèc sinè ratione talitèr cum talibus se gerebat Sanctus; Nàm vèl in eis erat vera sanctitas, vèl ficta; si vera; magis, in opprobrijs, quæ Sanctè à Sancto ipsis fiebant augebatur; si autem ficta; statim in ista probatione tamquam in Heraclio lapide aurum sophisticum sophisticæ sanctitatis agnoscebatur.

De modo reuelationis, & de circumstantijs ipsam concomitantibus.

SECTIO II.

1 NVllus in reuelationib. potest assignari, & præscribi modus particularis; cũ enim ipsæ procedant à liberalitate Diuina, cui innumeræ, & infinitæ apertæ sint viæ nobis ignotæ, infinitis etiam modis se nobis potest communicare. Quapropter B. Angela de Fulginio, quæ totiès à Deo visitata fuit, vt eius scripta demonstrant; sic de ipsis loquitur *cap. 56. in fine:* (Has spirituales illustrationes, & eleuationes alitèr solitas sibi accidere vna vice, & aliter alia: ita quod semper ibi nouitas contingit, & hoc est totum inenarrabile. Reuelationes enim, & visiones sunt alterius modi vna vice, & alterius alia &c.) Ex quibus verbis clarè colligitur, quod non potest in illis assignari modus particularis.

2 Attamen dicendum est, quod quandò apparitiones, & visiones accidunt aliquo modo parum decenti; ita vt deordinent potius mentem, quàm eleuẽt in Deum; vèl in ipsa reuelatione audiatur aliquid turpe, aùt scandalosũ; vt erat in illis reuelationibus, quas effutiebat ille Theologus Peruensis, de quo dictum est in sectione prima capituli præcedentis absque dubio asserere debemus, quod talis reuelatio, nèc est, nèc potest

test esse à Deo. Nàm vt testatur Spiritus Sanctus: Clara est, & quæ numquam marcescit sapientia. *Sapien. cap. 6. versu* 13.

3 Et hic etiam considerari debet nùm in vigilia, vèl in somnio fiat reuelatio, seù visio. Nùm hæc habeatur oculis corporeis, an imaginarijs. Cum huiusmodi reuelationes, & visiones, & dormiendo, & vigilando haberi possint, Abrahæ namque vt in pluribus locis sacræ Genesis habetur, in vigilia, vt *in cap.* 17. 18. 19. *& alibi*: Dominus apparuit; sic etiam, & Moysi in vigilia apparuit *in* 3. 4. *& in alijs capitulis Exodi, & aliorum librorum habetur*; quod & alijs Prophètis cōtigisse perspicuum est. Et quod in somnijs se Dominus reuelet, clarum est etiam; cum ipse Dominus dicat. Si quis fuerit inter vos Prophèta Domini in visione apparebo ei, vèl per somnium loquar ad illum. *Num. cap.* 12. *ver.* 6. Et per Ioelem Prophètam ait: Effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ; & senes vestri somnia somniabunt; & iuuenes vestri visiones videbunt. *Ioel. cap.* 2. *ver.* 28. Et de his somnijs multa in sacra Scriptura tàm veteri, quàm noua exempla habentur. Vndè non immeritò infert D. Thomas *prima parte quæst.* 12. *art.* 11. *in corpore*, quod huiusmodi reuelationes melius suscipiuntur ab Anima in somnio, quàm in vigilia; In somnio enim cum sensus externi sint sopiti, ac somno correpti, non distrahitur anima per sensus ad obiecta exteriora. Totum hoc in sacra

pagina

pagina clarum est; attamen qui tales habet reuelationes in somnio, magnum de rebus spiritualibus, ac diuinis experimentum habere debet, vt inter animam somniantem, & eandem supernaturales reuelationes suscipientem discernere valeat, ne semetipsam allucinando decipiat. Esdras enim qui tot, tantasq; reuelationes, ac somnia desuper suscepit, in hac dubitatione aliquando positus aiebat: Vidi quæ non sciebam, & audio, quæ non scio, numquid anima mea somniat? Et S. Augustinus quasi mirum de sua Sancta Matre hoc affirmat, quod inter animam somniantem, & Dominum reuelantem non discernebat. Sic enim de ipsa loquitur *lib. 6. confessi. cap. 13.* (dicebat enim discernere se, nescio, quo sapore, quem verbis explicare nō poterat, quid interesset inter Deum reuelantem, & animā suam somniantem.) Quod quidem paucorum est, addit Lorinus *in cap. 4. primæ Ioan. ver. 1.* Quapropter qui tales suscipit reuelationes illius documenti meminisse debet, quod ex Domini doctrina tradit D. Hieronymus *epist. 152.* vbi ait: (Estote probati nummularij, vt si quis nummus adulter est, & figuram Cæsaris non habet, nec signatus est moneta publica, reprobetur.) Sic Hieronym. relatus à Lorino *loco nuper cit.*

4 Inter circumstantias autem, quæ ipsam reuelationem comitari solent; primò considerare debemus, ait Delrius, cogitationes, quæ præcesserunt ipsam reuelationem, vel ipsam sunt subsequutæ. Si enim præcesserunt piæ cogitationes, & affectiones, facillimè iudicari

dicari

dicari poteſt, quod his ſuperuenerit Domini viſitatio. Si autem præceſſerunt malæ cogitationes, & affectiones, non poſſumus hinc arguere, quod reuelatio, quæ ſequitur ſit à Deo. Totum hoc eruitur ex *cap. 1. libri Sapientiæ à ver. 1. vſquè ad 6.* Sentite de Domino in bonitate, & ſimplicitate cordis, quærite illum; Quoniã inuenitur ab his, qui non tentant illum; apparet autem eis, qui fidem habent in illum. Peruerſæ enim cogitationes ſeparant à Deo: probata autem virtus corrigit inſipientes. Quoniam in maleuolam animam non introibit ſapientia, nèc habitabit in corpore ſubdito peccatis. Spiritus enim Sanctus diſciplinæ effugiet fictum, & aufert ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſinè intellectu &c. Et ſicut Domini viſitatio non apparet, nèc ſequitur ad cogitationes malas; ſic ad Domini viſitationem non ſequuntur malæ cogitationes, & praui affectus. ſic Hucbaldus notauit in viſionibus Sanctæ Aldegundæ, dicens: (In cunctis huiuſmodi reuelationibus Virgo prudens magis, magiſquè ſe humiliabat, Regno Dei propior fiebat, Sponſo Cœleſti feruentius inhærebat. (Hucbaldus *in vita S. Aldegunde cap. 2.* Ex cogitationibus igitur, & affectibus, qui ſequuntur, & apparent in anima poſt habitam reuelationem, diſcernitur ſi hæc à bono, vèl à malò ſpiritu proceſſit. Nàm ſi ad reuelationem ſequatur animi elatio, propriæ exiſtimationis conceptus, inanis confidentia de ſeipſo, & ſimilia; talis reuelatio non fuit à Deo. Nàm cum Dei reuelatione ſtat ſemper coniuncta cognitio noſtræ infirmitatis.

5 Obseruandum est etiam, an cum lætitia, vèl tristitia incipiat, an cum horrore, vèl quadam lenitate desinat. Qui enim reuelationem habet vèl per visionem corporalem, vèl imaginariam, vèl intellectualem, potest de eius auctoritate, an sit à bono spiritu, vèl malo coniecturam habere per hoc, nimirùm, si talis reuelatio in lætitia, aùt tristitia mentali terminetur. Quoniam à S. Antonio Magno, à S. Thoma, à S. Catherina Senensi in dialogo edocta per Christum de hac re; & etiam à plerisquè alijs Sanctis, cum hoc negotium pertractant, idipsum adhibetur signum. Asserunt nāq; hi Sancti viri, quod si in lætitia mentali, talis reuelatio terminetur, ab Angelo bono esse; si verò talis reuelatio in tristitia mentali desinet, ab Angelo malo illam fuisse. Quoniam diabolus, vt toties dixi, se transfigurat in Angelum lucis; & mouendo phantasiam hominis, aliquid in illa imprimit, vèl, vt aliter dicam, aliquid illi reuelat. At eius reuelatio semper terminatur in tristitia mentali, licèt incipiat à lætitia. Quamobrem inter Angelum malum, & Angelum bonum, hoc intercedit discrimen, nimirùm, quia in reuelando, Angelus bonus incipit cum timore, & tandèm desinit in lætitia mentali. Et ratio est, quia Angelus propter suam maiestatem incutit nobis timorem reuerentialem, eumquè veremur, sicut alia animalia verentur communiter hominem; quia natura inferior ad præsentiam superioris timet. Ex quo fit quod Angelus bonus in sua reuelatione à timore inchoat, quia rei na-

tura hoc exigit. At quia bonus Angelus vult hominem eleuare, & attentiorẽ reddere, ad quod etiam ipsa perturbatio valet, statim confortat lumen intellectus illius; & sic talis reuelatio desinit in lætitia.

6 E contra Angelus malus in reuelando incipit in lætitia, & suam reuelationem terminat cum timore. Quoniam malus Angelus, supposito suo fine deprauato, mentem hominis per inanem gloriam intendit eleuare, vèl in alium inordinatum affectum inducere, incipit à lætitia, vt per hanc facilius hominem in errorem trahat. Et hoc fine acquisito, desinit lætitia, & cessat eius actio in tristitia mentali; maximè quia malus Angelus in tali illusione lumen intellectus hominis nullatenus confortat. Nàm licèt, absolutè loquendo, diabolus in reuelando possit lumen intellectus hominis confortare, tamen id numquam facit. Quia malus Angelus in tali reuelatione hominem fallere, illumq; in errorem inducere intendit; & sic illius intentioni, & proposito fini repugnat hominis intellectum confortare. Nàm si confortaretur intellectus illius hominis, statim cognosceretur illusio diabolica. Quia autem phantasia hominis mota est lumine quodam fortiori, & præter id, quod ei accidit in phantasiando, turbatur; & cum ei deficiat lumen confortans intellectum, nescit postea diudicare circa illud phantasma, & remanet cum tristitia. Supradictam rationem assignat Brondus *disput. 2. in cap. 1. Apocalyp. quæst. 2. fund. 1.*

7 Delrius autem hanc lætitiam in principio, &

mœrorem in fine reuelationis tribuit antipathiæ, quã habet homo cum dæmone; & è contra turbatio in principio, & consolatio cum tranquilitate in fine, quæ accidunt in reuelatione Diuina tribuitur ab ipso sympathiæ, quam habet homo cum Angelis bonis; sic ipse *sect. 6. quæst. 3. lib. 4. disquis. magic.*

8 At ego dicerem quod lætitia, quã ingerit à principio Angelus malus prouenit ex inopinato fauore, quem homo concipit sibi fieri supra ordinem naturæ; sic enim primo aspectu lætamur in prosperis, quæ nobis inopinatè accidunt; & quia Anima nihil agnoscit verendum in illa apparentia, vèl visionis, vèl reuelationis, nèc timet, nèc turbatur; Et eò maximè, quia à phantasia, iam fallaci specie decepta, non mouetur, nèc ad perturbationem, nèc ad timorem; imò potius quasi sopita quiescit in phantasia decepta. At in fine sequitur timor, turbatio, àc mœror; Nàm cum diabolus suggesserit aliquid contra dictamen rectæ rationis, & conscientiæ, expergefacta ratione, & synderesi post diaboli discessum, superuenit confusio, & tristitia, nàm recta ratio dissuadet, & conscientia contradicit, ne fiat quod diabolus suggessit; Et ex hoc conflictu rationis, & conscientiæ cum reuelatione oritur turbatio, timor, & mæstitia.

9 Contra accidit in reuelatione Angeli boni, in principio excitat timorem, & turbationem propter maiestatem Angeli; sic enim turbatus est Zacharias, *Lucæ cap. 1.* sed postea confortat dicens: Nè timeas

Zacha-

Zacharia; & magis confortatur,quia per reuelationem omnia ipsi clarescunt; Et cum nihil in tali reuelatione sit subdolum, nihil fallax, nihil contra rationem, & conscientiam,remanet Anima in placida tranquillitate, & intellectus illo lumine supernaturali confortatus clarè videt quid sibi Deus loquatur,& absquè vlla hæsitatione credit loquenti.

10 Obseruandū est etiam nùm cū reuelatione sit coniunctum miraculum; Nàm si hoc adest non amplius debemus dubitare,quod talis reuelatio sit à Deo. Exemplum habemus in reuelatione facta Isaiæ 4. *Reg. cap.* 20. *ver.* 11. Cum enim non crederet Achaz quod talis reuelatio esset à Deo, confirmauit eam Prophèta miraculo, iuxtà petitionem Regis. Inuocauit itaquè, ait Sacer Textus, Inuocauit itaquè Isaias Prophèta Dominum, & reduxit vmbram per lineas quibus iam descenderat in horologio Achaz retrorsum, decem gradibus. Sic etiam miraculo confirmata fuit apparitio Beatæ Aghatæ, S. Luciæ, nàm huius Mater in instanti restituta est pristinæ sanitati. Quando igitur reuelatio confirmatur miraculo, dubitandum non est, quod procedat à Deo. In quo aduertendum est,quod miraculum excedere debet omnem operationem, & possibilitatem naturæ. Nàm si cum reuelatione detur aliquod signum, quod potest fieri à natura,non sufficit ad tollendam dubitationem, quod talis sit reuelatio à dæmone; nàm & hìc quoque multa prodigia potest operari, quæ primo aspectu apparent miraculosa, & re-

& reuera non sunt miracula.

11 Obseruandum quoquè, si in reuolatione aliquid prædicitur futurum;& si quod prædicitur euenerit, an non? Et hoc signum habemus à Domino Deutor. *cap.* 18. *ver* 20. *&* 21. Prophèta autem, qui arrogantia deprauatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, vt diceret, aùt ex nomine alienorum Deorum, interficietur. Quod si tacita cogitatione responderis: Quomodo possum intelligere verbum,quod Dominus non loquutus est? hoc habebis signum quod in nomine Domini Prophèta ille prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non est loquutus,sed per tumorem animi sui Prophèta confixit, & idcircò non timebis eum. Itaquè ex euentu rei, dignoscere possumus, si reuelatio sit à Deo, vèl à Dæmone. Et futurum, quod predicitur debet esse talis conditionis, quod nulla ratione,aùt coniectura humana, vèl naturali antè tempus præsciri possit; Nàm si adest aliqua ratio,vèl coniectura naturalis adhùc dubitare debemus de deceptione diaboli, qui multa futura cognoscit per cognitionem causarum secundarum.

12 Talis fuit illa reuelatio quam habuit B. Antonius magnus, vt refert S. Athanasius in vita ipsius circa finem. (Vidi,dixit Antonius ad suos lachrymarum imbribus perfusus, vidi Altare Domini mulorum circumdatum multitudine, qui crebris calcium ictibus omnia dissipabant. Hæc causa gemituum meorum, quos audistis. Et facta est vox Domini dicens: Abomina-

minabitur Altare meum. Nèc mora, visionem sequitur effectus; nàm post annos duos sæua Arrianorum erupit insania. Tunc Ecclesiarum fuerunt rapinæ; tùnc Diuinorum deturpatio vasorum: Tunc pollutis Ethnicorum manibus Sacra polluta sunt ministeria: Tunc paganorum opificum præsidia aduersus Christum comparata cum assumptione palmarum, quod idolatriæ apud Alexandriam insignè est, ad Ecclesiam pergere compellebantur Christiani; vt Arrianorum populi crederentur. (Proh scelus!) horret animus replicare, quæ gesta sunt. Virginum, Matronarũquè ereptus pudor, sanguis ouium Christi, in Christi templo effusus, veneranda respersit altaria. Baptisterium prò voluntate Gentilium pollutum est. Nihil defuit visionis veritatem monstrauit effectus, quod calcitrantium mulorum indisciplinatio, Arrianorum est impietas. Sed post tãtam tristitiam cõsequẽtis reuelationis prosperitate consolatus est, & ait: Nolite, Filioli, mœrori vos penitus dare: vtenim iratus est Dominus, sic rursum miserebitur, & suum citò Ecclesia recuperabit ornatum, eosquè, qui in persecutionibus fidem Domini seruauerunt, solito videbitis fulgòre relucentes. Reuertuntur ad foueas suas serpentes, & Religio longius propagabitur: Tantum videte, ne fidei vestræ sinceritas, Arriana labe sordescat &c.) Hæc Athanasius. Et hæc est vera reuelatio Diuina, quæ euentu comprobatur. Et si ei hæc comprobatio deficit, non est à Deo. Nisi fortè fuerit aliqua reuelatio conditionata, & com-

mina-

minatoria; quia in hoc casu, adimpleta conditione, non sequitur effectus comminationis, vt supra dictum est, quando de Prophètia absoluta,& conditionata sermonem feci.

13 Et ne vltra hanc sectionem protraham,concludo cum Gersone, qui dicit,(quod probatio spirituum non solum respicit personam,quæ visiones patitur,sed etiam visionum qualitatem, si vera sunt omnia, etiam vsquè ad minimam propositionem: quoniam in spiritu veritatis falsitas non est: in spiritu autem mendacij mille quandoquè sunt veritates apertæ,vt vnica latenti falsitate decipiat, &c.) Et sicut reuelatio in omni propositione, & in omni verbo obseruari debet; sic etiam, & modus,quo ipsa fit pari diligentia est obseruandus quoad omnes circumstantias,& antecedentes, & comitantes, & subsequentes, etiam vsquè ad minimã, ne decipiamur; semper præ oculis habentes, quod luctamur cum hoste versutissimo,& callidissimo, àc semper humanæ naturæ infenso.



De rebus

De rebus in Reuelatione contentis.

SECTIO III.

1 MVltæ à Sacris Doctoribus traduntur regulæ ad discernendas veras reuelationes à falsis, vt videri potest apud D. Thomam *in cap.* 11. *secunda Corinthior. lect.* 3. Apud Gersonem, quem sequuti sumus *Alphab.* 17. & 19. apud Medinam 1. 2. *quæst.* 20. apud Delrium, qui fusius omnibus hanc materiã in locis citatis tractat; apud Alberghinum *in manuali qualif. cap.*41. & alios. At quia multitudo adminiculorum, & circumstantiarum non permittit dare aliquam regulam determinatam, sùb cuius directione omnia accomodentur, ideò conatus sum in tribus sectionibus ea, quæ magis vrgent, restringere; & in hac tertia sectione, vt materiam magis coarctem, contentus ero illis quinquè signis, quæ pertractat Turrecremata in Prologo Reuelationum Sanctæ Brigittæ.

SIGNVM PRIMVM.

1 ET primum Signum ab ipso traditum, hoc est; Quod tales reuelationes à grauibus, expertis, sapientibus, àc Spiritualibus viris approbentur; Quorum si iudicio probatæ fuerint, à Deo processisse signũ est. Sic docet Card. Turrecremata in prologo Reue-

lationum S. Brigittæ. Quod probat exemplo Pauli, qui, postquam illi apparuit Iesus in via, missus fuit ad Ananiam *act. cap. 9.* exemplo Cornelij, qui, post apparitionem Angeli, directus fuit per Petrum *act. cap.* 10. & Eunuchi, qui instructus fuit per Philippum *ibid. cap.* 8. Et hac de causa in libro collationum Sanctorum Patrum, approbationem, & iudicium spiritualium virorum edocemur requirere, vbi de diabolica deceptione dubitari potest. Et de hoc sic loquitur Abbas Moyses: (Nullatenus decipi quisquam potest, qui non suo iudicio, sed maiorum viuit exemplo; Nec valebit ignorantiæ eius callidus hostis illudere, qui vniuersas cogitationes in corde nascentes perniciosa verecundia nescit obtegere; sed eas, maturo examine seniorum, vel reprobat; vel admittit; illico namque vt patefacta fuerit cogitatio maligna, marcescit. Et antequam iudicium discretionis proferatur, serpens teterrimus, velut è tenebroso subterraneo specu, virtute confessionis protractus ad lucem, & traductus quodammodò, ac dehonestatus abscedit. Tandiù enim suggestiones noxiæ dominantur in nobis, quandiù cælantur in corde. Hæc Abbas Moyses relatus à Turrecrem.) *loco cit.* cuius Auctoritate probatur, quod reuelationes priuatæ, adhòc vt discernantur à quo spiritu procedant, probari debent à grauibus, expertis, sapientibus, àc spiritualibus viris.

2 Et hic aduertendum cum Gersone, quod non omnium est probare istas reuelationes, sed per eos tan-

tum-

tummodò, qui sciant spiritus discernere, vèl per experientiã, vèl per eruditionem Sacrarum Scripturarum, vèl per donum discretionis spirituum, vèl per modum doctrinæ; Ideò Turrecremata posuit, à grauibus, idest versatis in Sacra Scriptura; ab expertis, idest ab his, qui experti sunt huiusmodi Dei donum; à sapientibus, idest à Sacris Theologis; & à spiritualibus, idest à personis, quæ habent spiritum Dei, per quem spiritum, diuersitatem spirituum dignoscere possunt.

3 De primo dicit Gerson (quod reuelatio discernitur, vno modo per modum artis, & doctrinæ generalis, sicut per eruditionem Sacrarum Scripturarum, diligenti, pioquè studio acquisitam. Sunt nimirum Scripturæ, in quibus putamus nos fidem habere, continentes artem falsos Prophètas à veris; & ab illusionibus, reuelationes cognoscendi &c.) Hæc Gerson *Alphab.* 17. *litt. R.* Et de istis Scripturis non nullas in præsentibus retuli, ex quibus, & alijs similibus, quæ in Sacra pagina reperiuntur, elici potest, quænam reuelatio sit approbanda, & quæ improbanda; qui enim cum hac infallibili Sacræ Scripturæ regula procedit omninò falli non potest.

4 De secundo, ait idem Gerson. (Alius inuenitur modus per inspirationem intimam, seù internum saporem, siuè per experimentalem dulcedinem quandam, siuè per illustrationem à montibus æternis, effugantem tenebras omnis dubietatis. Hoc autem est manna absconditum, & nomen nouum in calculo

ſcriptum, quod nemo nouit, niſi qui acceperit. Hoc Gregorius in Dialogo; hoc Auguſtinus in libro confeſſionum de ſeipſo, & Matre; hoc Hugo de arra Animæ, cum pluribus alijs notauerunt &c.) Hoc ſecundum non omnibus datum eſt, vt dixi in ſectione antecedenti; & licèt, qui habet in ſe hanc experientiam poſſit diſcernere reuelationes, quas ipſemet patitur; cum tamen neſciat alijs explicare, qualis ſit iſte ſapor internus; vt de ſua Matre dicit Auguſtinus *lib. 6, confeſſ. cap.* 13. Neſcio ſi in alijs ſciet diſcernere, quod in ſeipſo cognoſcit; niſi fortè in alijs inuenerit priuationem, & carentiam illius guſtus, & interni ſaporis, quē ipſe patitur. Ex hac enim priuatione, facile diſcernere poterit, quod reuelatio non eſt à Deo; ſicut à Deo cognoſcet, ſi ille alius, qui reuelationem habet, dicat ſe habere illum guſtum, quem explicare non poteſt.

5 De tertio dicit idem Gerſon (quod approbetur per modum doctrinæ, ſcilicèt à Sacris Theologis; & de iſtis adiungit: Nemo perfectè poteſt per ſolam Sacræ Scripturæ eruditionem, qui non etiam expertus ſit in ſemetipſo variam affectionum ſpiritualium pugnam: tamquam aſcenderit nùnc in Cœlos: nùnc deſcenderit in abyſſos, & viderit mirabilia Dei in profundo. Nàm qui nauigant mare, hoc eſt myſticum, diuerſarum affectionum, quaſi collidentium ſe fluctuū enarrant mirabilia eius. Inexpertus autem talium, quid nouit eorum? Cœterum puto differentiam inter homines, de quibus loquimur: Vnū Theologum, alterum

con-

contemplatiuum talem esse, qualis est inter peritum in arte medicinæ, & inter expertum, & practicum in eadem: quæ duo posse conuenire in eodem nullus dubitauerit. Sic fit, & fieri potest, Domino propitio, vt idem sit in Scripturis Sacris eruditus, qui simul in contemplationis exercitatione probatus est. Hunc verò talem habere vult materia præsens &c.) Itaquè sapientes, quos requirit Turrecremata ad probandas reuelationes, non sunt illi, qui in sola scientiarum speculatione versantur; sed illi, qui sapientia, idest sapida sciẽtia, prædìti, potius affectum inflammare, quam intellectum illuminare in suis studijs quærunt. Et isti vt versati in rebus mysticis, potius per habitum sapientiæ, quàm scientiæ, scient secernere veram reuelationem à falsa, vt hanc reijciant, illam approbent.

6 Et de quarto, demùm, dicit idem Gerson (quod non potest, aut vix potest humanitus fieri; sed requiritur donum Spiritus Sancti, quod Apostolus nominauit discretionem spirituum, quo dono fit, vt mens nè dùm in se, & de se sciat probare spiritus si ex Deo sunt, sed etiam de alijs, & in alijs noscit &c.) Et isti sunt illi spirituales, quos requirit Turrecremata ad probandas reuelationes; dicit enim Apostolus 1. *Corint. cap. 2. ver. 11.* Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita, & quæ Dei sunt nemo cognouit nisi spiritus Dei. Hic autem spiritus Dei, qui per discretionem spirituum datur à Deo, conceditur confessarijs, & Superioribus,

qui

qui in suo ministerio aliud non quærunt nisi gloriam Omnipotentis,& Animarum salutem,vt cum tali dono,oues Christi sibi commissas ab omnibus diaboli insidijs eruere possint.

7 Quando igitur ab huiusmodi viris grauibus,expertis, sapientibus, & spiritualibus reuelatio approbatur,teneri poterit, quod non à spiritu malo,sed à bono processerit. Quapropter, qui huiusmodi reuelationes, & visiones patitur, debet eas ad huiusmodi viros examinandas deferre; & si ab eis approbentur, benedicat Deum, à quo per hanc deliciarum spiritualium viam ad Paradisum dirigitur. Si verò non approbentur,timeat de illusione; & nè decipiatur inhæreat consilijs sui confessarij, suiquè superioris. Hoc etiam docet D. Bonauentura *de profectu Religios. lib. 2. cap. 76.* dicens(quod si isti,qui habent reuelationes de deceptione velint aduertere, quærant super his consilium sapientum solummodo, & paucorum, & ad illa studiosè se exerceant, quæ sunt secura, meritoria, & fructuosa.

8 Nèc sit, qui dicat,quod persona,quæ suscipit reuelationem,cum internè illuminetur à Deo ad eam dignoscendam,non indiget alieno iudicio; maximè quia de suo iam certa est, quod illustrata sit à Deo; & de alieno non est certa, vtrum reperiat in alijs illam grauitatem, experientiam, sapientiam, & spiritualitatem, quæ in hoc negotio sunt necessariæ. Nàm huic obiectioni respondet Gerson: (Profectò non est diuisionis Deus, vt vni timēti se reuelet vnum,& per alterum similiter

niliter timentem eum, dicat contrarium. Itaquè si visio ex Deo fuit, non dissipabitur in humiliante se sùb alieno iudicio propter Deum; sed vigorabitur amplius; & vincet &c. *Alphabeto 17. littera Y.*

9 Sùb nullo igitur prætextù debemus relinquere consilium Cõfessorum, & Superiorum in materia tàm graui; quia si relinquimus absquè vllo dubio decipiemur. Innumera de hoc habemus exempla, sed contentus ero vnò dumtaxat ab eodem Gersone relato. (Pauci sunt menses, ait ipse, dum eram Attrabati, audiui de quadam muliere coniugata, & habente liberos, quod aliquãdiù per duos dies, nonnumquàm per quatuor, & amplius manebat absq; cibo; erat proindè multis admirationis. Feci vt loquerer cum ea: examinaui eàm multis sermonibus, reperi hànc abstinentiam, nõ sobrietatem, sed vanam superbamquè pertinaciam; Nàm pòst tale ieiunium, dira fame excruciata, inexplebili voracitate comedebat. Nullamquè insuper solidam causam afferebat, quare sic ageret: nisi quod se indignam dicebat, quæ pane vesceretur. Fatebatur præterèa, nequè à Confessore suo, neq; ab altero habere hanc viuendi regulam. Nàm dimidio anno, & amplius, nullius habuerat Confessorum, vèl absolutionẽ, vèl consilium. Expaui, fateor, & exhorrui; dissimulans tamen cœpi ostendere dæmonis hos esse laqueos, & eàm periculo insaniæ vicinam esse; nàm erat vultu attonito, & color similis iam iam morituræ videbatur. Petebam si sciret aliquos, quorum auctoritas, fides, & pru-

prudentia maioris essent põderis,& reputationis apud eam, quam propriæ æstimationis iudicium. Respondit illicò suspirabunda,& gemens, dimissis humi oculis, se miseram, & peccatricem, se indoctam plus omnibus, & insciam. Subintuli,quærens si verè ita de se sentiret: quo pacto sine cuiusq; alterius consilio tàm insolitam, & ab alijs sanctioribus, & fortioribus non obseruatam abstinentiam sequeretur? Cœpit nescio, quas responsionum ambages voluere, quia quamuis euadere nesciret, deerat humilitas, & possidebat mentem eius quædam arrogantia, qua se victam, erubescebat confiteri &c. Gerson *Alphab.19.lit. M.*

10 Ecce vndè prouenit, quod isti tales renuunt gubernari alieno consilio, quia deest eis humilitas, & vbi non est humilitas, nõ potest esse vera reuelatio,vt inferius videbitur. Quæratur igitur primo loco approbatio virorum grauium, expertorum, sapientum, & spiritualium in reuelationibus; vt omnis deceptionis periculum profligatur.

SIGNVM SECVNDVM.

1 SEcundum signum, ait Turrecrem. quo possunt discerni reuelationes Diuinæ à reuelationibus diabolicis, sumitur ex parte effectus, quem reuelatio in animo cui fit, efficit, & operatur. Reuelatio siquidem Diuina hominem efficit humilem, flexibilẽ, & disciplinatum; & ideò dicitur *Prou. cap. 3. ver. 32.*

Cum

Cum simplicibus sermocinatio Dei, *& cap. 11. ibidē ver. 2.* Vbi sapientia ibi humilitas. E contra spiritus diabolicus superbum reddit animum, tumidum, præsumptuosum, & pertinacem; qualis enim vnusquisq; est, talia, & operatur.) Sic Turrecrem. vbi supra. Et hoc etiam cum Delrio, Torre, Sousa, & Grauina, asserit Alberghinus *in manuali qualific. cap. 41. num. 9.* Vbi dicit (quod examinandum est: An reuelatio sapiens sit, & conformis sapientiæ, quæ de Cœlo est; si hominem humiliorem, & mansuetiorem reddat, quàm sinè reuelatione; si instigat ad virtutes? Quod si auaritiæ, aùt libidinis, vèl dominandi ingerit appetitum, proculdubiò à carne, vèl à dæmone procedit. *Et num. 11.* addit. Et idem dicendum videtur, si talis reuelatio vitiorum potius, quàm virtutis fomentum præbeat.) Idem ferè dicit Thomas Delbene *de Offic. S. Inquis. p. 2. dub. 227. sect. 4. num. 5.* vbi ait: (Si suo sermone excitet mentem ad superbiam, ad vanam gloriam, ad desperationem, ad præsumptionem animi, vèl ad quemcumq; alium minus rectum, minusuè ordinatum affectum, compræhenditur, quod talis reuelatio nō à Deo est, sed à dæmone, qui talium affectuum, & vitiorum auctor est.)

2 Humilitas in primis, & vera humilitas inspiciēda est in reuelationibus. Quapropter, qui eam examinant, interrogent, & exquirant à persona, quæ habuit reuelationes, si vsa est illa cautela, quam tradit Gerson *Alhab. 19. litt. O.* dicens: (Est igitur hominibus

ſaluberrimum conſilium contra tales dæmonum illuſiones,pondus humilitatis obſeruare, ſe reputare intellectu pariter, & affectu indigniſſimum, qui ſuper alios homines reuelationem accipiat, qui præ alijs à Deo mirabiliter viſitetur;& ſi quæ talia præter ſolitum euenire circa eum contigerit,reijciat à ſe cum ſancto, humili, verecundoq; pudore. Deputet talia vèl læſioni propriæ phantaſiæ, et ſe habere aliquid ſimile phræneticis,maniacis,aùt melancholicis reformidet;vèl caueat, ne propter enormitatem præcedentium peccatorùm datum ſit in reprobum ſenſum, vt talibus illuſionibus ſeducatur.Si talia ſint diaboli machinamenta, ſeù tentamenta ex humilitate huiuſmodi euaneſcent: aùt ſi velit Deus, quod in his tolerandis exerceatur, non nocebunt. Si verò ſit Diuina reuelatio, non ficta humilitas piè renitens magis præparabit locum ad ipſius ſuſceptionem, & audire merebitur, Amice aſcende ſuperius,quanto in loco plus infimo recumbere conabitur. Habes in Exodo, quoties Moyſes à ſe repulit Diuinã iuſſionem, dùm ad Pharaonem mitteretur: Obſecro,inquit,Domine mitte quem miſſurus es &c. Quod etiam exemplo Ieremiæ, Ioannis Baptiſtæ, & Pauli confirmat: vt nemo de tali dubitet conſilio.)

3 Et aureum profectò eſt hoc Gerſonis conſilium; Nàm humilitas eſt illa, quæ Deum de Cœlo ad terram attraxit, vt de humilitate Beatiſſimæ Virginis aſſerunt Sancti Patres. Qui verò ſuperbiæ ſtimulis excitatus altiora ſe petit, in profundum confuſionis lacum

cum deijcitur cum Lucifero. Altissimus quippe Dominus est; at humilia respicit. Si hoc Gersonis consilium tenuisset quædam Virgo Gandensis, non incidisset in illud confusionis opprobrium, quod sustinuit. Referam quæ de ea scribit Delrius *libro* 4. *disquisit. magicar. cap.* 1. *quæst.* 3. *sect.* 5.

4 Quædam fuit Virgo Gandensis nostris temporibus, Misella, diù vacarat orationi, & Sacramenta frequentarat; sed vèl non satis exercitatum nacta fuerat confessarium, vèl si nacta, ei sua secreta spiritualia non pandebat, vèl bene monenti non credebat. Quidquid horum fuerit, paulatim varijs reuelationibus eam diabolus superbiæ spiritu inflauit. Tandem persuasit meritis reliquis parem esse Deiparæ Virgini, deesse tantùm fæcunditatem iunctam virginitati illibatæ: si pergat, id quoquè consequuturam. O vafrum commentum, & muliebri ingenio accomodatum! Iam illa se confessionis dignam non esse putabatur: itaquè per annos aliquot eam intermittens, non abstinebat tamẽ à Sacra Synaxi. Quid multa? semel dùm in templo versaretur, & communionem expectat, ardentiusquè beneficium illud reliquum postulat: audit, bono sis animo, dilecta, exorasse te scito. Concessa tibi est fœcunditatis cum castimoniæ prerogatiua, quam petis: dè Cœlo, confide, te grauidatam. Commiscuerat enim se cum dæmone, qui lucis Angelum mentiebatur. Domum reuersa sentit vterum intumescere. Iustò, post, partus tempore adueniente, pium quemdam, & pru-

dentem adit ciuem, bene notum; narrat rem totam, petitquè, vt in domus eius penetralibus sibi liceat parere, & stipulatur arcanum fore. Ille nèc credulus dictis de reuelatione,nèc tamen sustinens Virginem domò excludere; veritus, nè grassari iam incipientibus sectarijs, materiam res vulgata præberet blasphemijs hæreticorum, dicterijs, atquè lædorijs eam suscipit,& adhibita obstetrice fida, partum expectat. Misera doloribus vehementer torquebatur, tandem magnam, prò prole humana, horridorum, & villosorum,fœdissimorumquè vermium copiam effudit vtero;quorum tàm dirus erat aspectus,vt omnes exhorrescerent,tàm teter odor, vt fœtore fermè exanimarentur. Sic demùm Misella se delusam intellexit, & superbiæ suæ fructum à superborum Principe retulisse,quem oportebat.) Hæc Delrius.

5 Vide,ò charissime Theophile, si hoc exemplum similitudinem habet cum negotio illius mulieris, quæ se iactat habere illas reuelationes, quas mecum contulisti; Initia sunt paria, media consimilia, timeamus ergo nè, & finis sit idem, Imò peior. De Diaboli namquè malitia semper peius est timendum, & expectandum. Quid enim redolent omnes eius reuelationes nisi superbiam? Ex illa magna donorum exhuberantia, quam habuisse se iactat, tamquam ex putrido ligno vermem superbiæ oriri posse minimè est dubitandum.

6 Et ideò iterum Gerson *loco cit.* admonet cunctos, vt semper teneant firmum fundamentum humilitatis,

litatis, nàm si hoc vacillat, ruina necesse est vt sequatur. Sic enim dicit: (Monitiones omnes itaquè intrinsecæ, omnes instinctus vehementes, omnis reuelatio, omne miraculum, omnis amor extaticus, omnis contemplatio, omnis raptus, omnis deniquè nostra interior, exteriorue operatio, si humilitas præcedit, & comitetur, & sequatur: si nihil eam perimens misceatur (crede mihi) signum habent, quod à Deo sunt, aùt à bono eius Angelo; nèc falleris. Si verò prædictorum aliquid sumat originem à superbia, si eam secum duxerit, suspecta habe omnia; humilitatis ergo signum si perfectè nosceretur, frustra multiplicarentut alia; quoniam superbia, & humilitas nummisma spiritualium operationum sufficientèr contradistinguunt &c.)

7 Hanc profectò humilitatis regulam semper firmam tenuit S. Catherina Senensis; cum à diabolo sibi magna de semetipsa sentienda proponebatur, in profundissimum humilitatis abyssum se immittebat; & cum eam in profundum desperationis conabatur impellere, ipsa ad Christi merita recurrens, mirabiliter supra semetipsam se eleuabat. Itaquè diabolus, toties ab ipsa delusus, maledixit ei dicens: sis tu maledicta, quæ tua humilitate omnes meos astus deludis; sed nihil nocuit maledictio diaboli illi, quæ Dei benedictionibus quotidiè cumulabatur.

8 Hanc quoquè regulam ita firmam tenuit B. Angela de Fulginio, vt ipsa narrat *cap.* 19. *&* *cap.* 21, 22. *&* 29. quod cum Spiritus Sanctus mirabili quadam

visione

visione ipsi Beatæ se insinuasset, eamquè collaudasset; ipsa dixit, quod illam visionem suspectam habebat, cù eam exponeret periculo vanagloriæ; Tùnc Spiritus Sanctus hoc ei prò certo signo probatæ reuelationis assignauit; quod quò magis laudabatur, hoc ei crebrior, & acrior esset, omnium peccatorum præteritorum memoriam haberet, & nè conata quidem, nullum vanagloriæ locum dare posset.

9 Hanc quoquè regulam firmam tenuit B. Virgo Colleta, vt refert Stephanus Iuliacus in eius vita *cap.* 5. Nàm Deo volente sibi quædam secreta reuelare, respondit. Domine Deus, sufficit mihi te solum cognoscere, & peccata mea, eorumquè abs te veniam obtinere.

10 Hanc deniquè regulã firmam tenuit B. Liduina: cui cum Christus Dominus vigilanti apparens, quinquè vulnerum suorum signa luculentèr impressa reliquisset, & cerneret Virgo tàm hiantia vulnera homines latere non posse, timeretquè concursum, & applausum hominum, sic Deum deprecata, scribitur. Maneat, obsecro Domine, hoc dignationis secretum inter me, & te. Sufficit enim mihi gratia tua &c. Quàm grata fuerit à Deo hæc Liduinæ humilitas, miraculum ostendit; Nàm confestim cute vulnera obtecta fuerunt, dolore tamen, & liuore perpetuò permanente. Sic Brugmanus in vita S. Liduinæ *par.* 2. *cap.* 8.

11 Et ista humilitas debet esse sapiens, nàm vt dicitur *Prouer. cap.* 11. *ver.* 2. Vbi autem est humilitas,

ibi

ibi & ſapientia. Et de hac Gerſon *Alphab.* 17. *litt. V.* ſic loquitur.(Primum,inquit,pudica eſt,deindè pacifica, modeſta,ſuadibilis, bonis conſenſiens, plena miſericordiæ, & fructibus bonis, iudicans ſinè ſimulatione. In qua ſapientiæ deſcriptione explicatur plenè quod in hoc ſecundo ſigno intenditur. Nàm ſi reuelatio ſit talis ſapientiæ ſapiens,abſquè dubio ad omnes virtutes ſtimulabit, omnemquè bonum effectum, & affectum producet in Anima.)

12 Quod minutius explicans Delrius *ſect.* 5. *quæſt.* 3. *lib.* 4. pluries citat. ait, (conſiderandum eſſe, ſi reuelatio inſtiget ad aliquid, quod exemplis Chriſti, & Sanctorum magis aſſimiletur;ſi hominē intrinſicè demiſſiorem reddat, quàm ſine reuelatione fuiſſet, ſi mitiorem, manſuetiorem, recollectiorem, & à ſecularibus, & extraneis curis abſtructiorem, ſi inuitat ad ſimplicitatem, vnionem, & vt ſic loquar, intimitatem cordis: ſi id, ad quod inſtigat pluribus virtutibus ſit ornatum, & præſtantioribus, quàm eius omiſſio, vèl factum contrarium: ſi ad quod inuitat, ſit ſimpliciter, & intime bonum, non aliqua dumtaxat ex parte:deniquè ſi incipientem ad peccati deteſtationem, & præteritæ vitæ confuſionem excitet; Si proficientem per boni deſiderij, inflammationem, & feruoris deuotionem ad meliora chariſmata prouocet; perfectum verò implet Diuinæ dulcedinis interna prægustatione. Vndè præclarè ſcriptum à Ioanne Saliſberienſi *lib.* 2. *cap.* 17. Sed cum hæc à ſpiritibus circa homines fiant, eam ſo-

lam

lam rerum imaginem fidelis Anima non aspernatur; quæ innocentiam relinquit incolumem. Quod si materia vitijs afferat, libidinem fortè accendens, aùt auaritiam, aùt dominandi ingerens appetitum, aùt quidquid huiusmodi est ad subuersionem Animæ, proculdubio, aùt caro, aùt spiritus malignus immittit.

SIGNVM TERTIVM.

1 TErtium Signum, quo reuelationes Spiritus Sancti à Reuelationibus diabolicis discernuntur, est puritas, & integritas veritatis eorum, quæ reuelantur. Quando enim reuelationes per totum continent veritatem sinè admixtione alicuius falsitatis, nō est dubium, quin sint à Spiritu Sancto, qui doctor, & inspirator est veritatis. Quando verò habent falsitaté, aût errores admixtos, non à spiritu Dei, sed à Diabolico procedere dignoscuntur. Diabolus enim, qui pater mendacij, & doctor errorum est, in illusionibus suis falsa veris admiscet vt decipiat; sed Spiritus Sanctus semper vera, & nūquam falsa prædicit, de quo signo B. Thomas 2.2. *quæst.* 172. *artic.* 5. dicit: In aliquibus signis, etiam exterioribus, prophètia dæmonum discerni potest à Prophètia Diuina. Vndè dicit Chrisostomus super Matthæum: (Prophètant in spiritu diaboli, quales sunt diuinatores, sed sic discernitur, quoniam diabolus interdùm falsum dicit; Spiritus Sanctus numquam: Vndè in Deutor. Dans Dominus signum

discer-

discernendi Prophètam verum à falso sic dicit: Si tacita cogitatiòne responderis, quomodò possum intelligere verbum, quod Dominus non est loquutus? hoc habebis signum: Quod in nomine Domini Prophèta ille prædixerit, & non euenerit: Hoc Dominus non est loquutus, sed per tumorem animi sui Prophèta cõfinxit. *Deut. cap.* 18. *vet.* 22. Itaquè inspicienda est in istis particularibus reuelationibus puritas, & integritas veritatis eorum, quæ reuelantur.

2 De hoc tertio signo agens Cancellarius Parisiẽsis *Alphab.* 19. *litt. V.* quatuor assignat conditiones. Prima est: Nullus Angelorum Sanctorum, siuè Prophètarum quicquam esse futurum pronunciat, quin veraciter futurum sit in sensu, quem ipse, vèl Spiritus Sanctus intendebat. Sic non est responsum dæmonũ, quia & fallunt, & falluntur. Probat hoc auctoritate *Deut. cap.* 18. Si tacita cogitatione responderis? vt supra dictum est.

3 Secunda conditio. Si idipsum quod Angelus, aùt Prophèta prædixit, non ex modo quo vocaliter prætendebatur, eueniat: plus super hoc à Spiritu Sancto reuelationem accipiet de prophètia, aùt reuelatione sic, vèl sic intelligenda conditionaliter, aùt mysticè, vèl litteraliter: Sic factum est in Iona, & Isaia; aliàs debuissent lapidari secundùm Legem *Deutoron. cap.* 18.

4 Tertia conditio. Nihil bonis moribus, aùt syncerae fidei contrarium Angeli Sancti, & Prophètæ veri prædicunt, aùt præcipiunt. Non sic dæmones, vèl

Antichristus, quorum signa dicuntur signa mendacij; quia ad mendacium credendum inducunt. Hæc conditio habetur in Deut. *cap.* 13. *ver.* 1. vbi dicitur. Si surrexit in medio tui Prophètes, aùt qui somnium vidisse se dicat; & prædixerit signum, atquè portentum, & euenerit quod loquutus est, & dixerit tibi, eamus, & sequamur Deos alienos, quos ignoras, & seruiamus eis, non audies verba Prophètæ illius, aùt somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester, vt palàm fiat, vtrum diligatis eum, an non in toto corde, & in tota Anima vestra.

5 Et hæc conditio valdè obseruanda est in hoc tertio reuelationum signo. Nàm Deus aliquandò permittit nos tentari circa fidem; vt per hoc probet nùm verè diligamus eum? Et hoc est quandò dat potestatē diabolo, & falsis Prophètis, vt futura prædicant, & prædictiones suas, non modò euentu; sed & miraculis etiam confirment; vt erit tempore Antichristi; de quo hoc habemus à Domino monumentum *Matt. cap.* 24. *ver.* 24. Surgent enim Pseudochristi, & Pseudoprophètæ; & dabunt signa magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur. (Si fieri potest) etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis: Ecce in deserto est, nolite exire; ecce in penetralibus nolite credere. Si igitur isti, qui futura prædicunt, & miracula faciunt, asserunt sibi aliquid à Deo reuelatum, quod contradicit bonis moribus, aùt fidei synceritati, aùt Catholicæ veritati, aùt traditionibus Ecclesiæ, aùt Sacris

cris Concilijs, non sunt credendi; quia talis reuelatio, quæ contradicit veritati non potest esse à Deo, qui est Auctor veritatis.

6 Si ista conditio obseruata esset in illa Religiosa, cuius meminit Delrius *sect. 3. quæst. 3. citata*, non prolapsi essent eius conciues in actum maximæ idolatriæ. Casum sic ex Horozeo refert Delrius. (In vna vrbium Hannoniæ Religiosa quædam, credita Energumena, adducta est ad Superiorem eiusdem Ordinis, vt exorcizaretur. Dum res in longum abit, & illa vocibus diuersis successiuè loqui incipit: quarum vna tenuior se Deum, Christumquè Dominum nostrum fingebat. Alia dæmonem crassior imitabatur: Ac multa palàm impiè effutiebat; illa quædam ad pietatem (vt videbantur) pertinentia. Ita creditum à quibusdam, minimè decuit, in illa, modò Iesum, modò diabolum loqui. Sic periculi plena, & fallaciæ res eò progressa, vt muliercula solemni ritu, quasi per eam Christo loquēte, hostiam incruentam, prolatis verbis canonis, consecrare auderet, (& proh dolor!) pij, sed vèl indocti, vèl incauti, consecratos, exsecreatos potius dicere deberem, ab hac Sacerdotissa (sed non secundùm ordinem Melchisedeh) azimas panis eulogias acciperent, & tamquam verum Domini corpus allatis, & prælatis cereis, in altari collocarent, & venerarentur. Duo tamen hìc erant imposturæ indicia: tùm quod erat Energumena, tùm quod auderet Sacerdotale, à c virile officium vsurpare. Sed Domine libera nos à similibus, homines su-

mus, decipi possumus.) Hæc Delrius. Et certè si illi viri attenderent ad hanc tertiam conditionem, quam ex Gersone notamus in hoc tertio signo, aduertissent vtiquè, quod ad mulieres non pertinet consecrare Corpus Christi, sed ad Sacerdotes. Et aduertissent etiam quod Energumeni arcẽtur à ministerio Sacri Altaris, *ex can. Maritum; can. communiter, & can. Clerici, dist. 33.*

7 Quarta conditio, Reuelatio Angelica, siuè Prophètica super aliquo, quod bonis moribus obuiaret; nisi Diuina interueniret iussio; siuè dispensatio: talitèr circumstantionata est, aùt esse debet, quod de ea reuelationem accipienti, vèl eis prò quibus fit reuelatio, dubitare non liceat. Oportet enim, vt tàm clarè cognoscatur reuelatio esse à Deo, quàm clarè scitur aliquid esse Scripturæ Sacræ, vèl rationi conforme &c. Et si in hac quarta conditione aduerterent hæretici, certè non reciperent tot falsas reuelationes, quæ inter ipsos circumferuntur contra bonos mores, contra Ecclesiæ instituta, & contra fidei veritatem. Habemus fidei certitudinem, qua credimus, Ecclesiam regi à Spiritu Sãcto; Si quis ergo mihi referret reuelationem, quæ in aliquo contradicit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Sanctionibus, nisi mihi demonstret hanc priuatam reuelationem cum tanta certitudine, quanta est illa, quam habeo per fidem de assistentia Spiritus Sancti in determinationibus Catholicæ Ecclesiæ; tali reuelationi non credam. Quia illi non est credendum sinè tali certitudine.

8 Et

8. Et hac conditione attenta, B. Simeon Monachus Treuirensis diaboli deceptionem agnouit, vt apud Surium 1. Mensis Iunij narrat Eueruuius Abbas. In verticem montis Sinai iussu Superiorum cum missus fuisset ibi habitaturus Simeon, nocturnis horis illi, specie Angelica, dæmon apparuit; & vt missam celebraret hortatur. Ipse nèc planè dormiens, nèc perfectè vigilans contradicit, non debere sinè presbyterij ordine, aliquem hoc ministerium implere. Contra inimicus instat, se Dei legatum esse, Christum hoc velle, nèc decere sanctum locum ministerio tali diutius priuari. Renitentem ergo, & contradicentem, adiuncto sibi consortio alterius dæmonis, de lectulo educunt ante Altare, iam vigilantem statuunt, alba induunt; de stola vtriquè altercantur: hostis more Presbyteri, Simeon more Diaconi contendebat sibi imponi debere. Tandem Dei famulus ad se reuersus, virtute orationis, & signo Crucis inimicum repellit, sequè delusũ ingemiscit &c. En hìc diabolus, sùb specie boni Angeli, legatum Dei se proclamat; imperat in nomine Domini, violenter Seruum Dei statuit ante Altare, alba exornat; at quia iubet, quod fieri nefas est, nimirum, quod peragat Sanctum Missæ Sacrificium, quod solis Sacerdotibus est concessum; & ipse tali ordine careret; præcepto restitit, præcipienti non obtemperat, reuelationi non credit, & callidi hostis astus finaliter deludit, eumquè signo Crucis profligat. Ex quo colligitur, quod quando reuelatur aliquid contra bonos mores, contra

mus, decipi possumus.) Hæc Delrius. Et certè si illi viri attenderent ad hanc tertiam conditionem, quam ex Gersone notamus in hoc tertio signo, aduertissent vtiquè, quod ad mulieres non pertinet consecrare Corpus Christi, sed ad Sacerdotes. Et aduertissent etiam quod Energumeni arcētur à ministerio Sacri Altaris, *ex can. Maritum; can. communiter, & can. Clerici, dist. 33.*

7 Quarta conditio, Reuelatio Angelica, siuè Prophètica super aliquo, quod bonis moribus obuiaret; nisi Diuina interueniret iussio; siuè dispensatio: talitèr circumstantionata est, aùt esse debet, quod de ea reuelationem accipienti, vèl eis prò quibus fit reuelatio, dubitare non liceat. Oportet enim, vt tàm clarè cognoscatur reuelatio esse à Deo, quàm clarè scitur aliquid esse Scripturæ Sacræ, vèl rationi conforme &c. Et si in hac quarta conditione aduerterent hæretici, certè non reciperent tot falsas reuelationes, quæ inter ipsos circumferuntur contra bonos mores, contra Ecclesiæ instituta, & contra fidei veritatem. Habemus fidei certitudinem, qua credimus, Ecclesiam regi à Spiritu Sāncto; Si quis ergo mihi referret reuelationem, quæ in aliquo contradicit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Sanctionibus, nisi mihi demonstret hanc priuatam reuelationem cum tanta certitudine, quanta est illa, quam habeo per fidem de assistentia Spiritus Sancti in determinationibus Catholicæ Ecclesiæ; tali reuelationi non credam. Quia illi non est credendum sinè tali certitudine.

8 Et

8. Et hac conditione attenta, B. Simeon Mona-
ius Treuirensis diaboli deceptionem agnouit, vt
ud Surium 1. Mensis Iunij narrat Eueruuius Abbas,
verticem montis Sinai iussu Superiorum cum mis-
s fuisset ibi habitaturus Simeon, nocturnis horis illi,
ecie Angelica, dæmon apparuit; & vt missam cele-
aret hortatur. Ipse nèc planè dormiens, nèc perfectè
gilans contradicit, non debere sinè presbyterij ordi-
, aliquem hoc ministerium implere. Contra inimi-
s instat, se Dei legatum esse, Christum hoc velle, nèc
cere sanctum locum ministerio tali diutius priuari.
enitentem ergo, & contradicentem, adiuncto sibi
nsortio alterius dæmonis, de lectulo educunt ante
ltare, iam vigilantem statuunt, alba induunt; de sto-
vtrique altercantur: hostis more Presbyteri, Simeon
ore Diaconi contendebat sibi imponi debere. Tan-
m Dei famulus ad se reuersus, virtute orationis, &
gno Crucis inimicum repellit, seque delusũ ingemi-
it &c. En hìc diabolus, sub specie boni Angeli, lega-
m Dei se proclamat; imperat in nomine Domini,
olenter Seruum Dei statuit ante Altare, alba exor-
it; at quia iubet, quod fieri nefas est, nimirum, quod
ragat Sanctum Missæ Sacrificium, quod solis Sacer-
otibus est concessum; & ipse tali ordine careret; præ-
pto restitit, præcipienti non obtemperat, reuelatio-
non credit, & callidi hostis astus finaliter deludit,
mque signo Crucis profligat. Ex quo colligitur,
od quando reuelatur aliquid contra bonos mores,

contra

mus, decipi possumus.) Hæc Delrius. Et certè si illi viri attenderent ad hanc tertiam conditionem, quam ex Gersone notamus in hoc tertio signo, aduertissent vtiquè, quod ad mulieres non pertinet consecrare Corpus Christi, sed ad Sacerdotes. Et aduertissent etiam quod Energumeni arcētur à ministerio Sacri Altaris, *ex can. Maritum; can. communiter, & can. Clerici, dist. 33.*

7 Quarta conditio, Reuelatio Angelica, siuè Prophètica super aliquo, quod bonis moribus obuiaret; nisi Diuina interueniret iussio; siuè dispensatio: talitèr circumstantionata est, aùt esse debet, quod de ea reuelationem accipienti, vèl eis prò quibus fit reuelatio, dubitare non liceat. Oportet enim, vt tàm clarè cognoscatur reuelatio esse à Deo, quàm clarè scitur aliquid esse Scripturæ Sacræ, vèl rationi conforme &c. Et si in hac quarta conditione aduerterent hæretici, certè non reciperent tot falsas reuelationes, quæ inter ipsos circumferuntur contra bonos mores, contra Ecclesiæ instituta, & contra fidei veritatem. Habemus fidei certitudinem, qua credimus, Ecclesiam regi à Spiritu Sãcto; Si quis ergo mihi referret reuelationem, quæ in aliquo contradicit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Sanctionibus, nisi mihi demonstret hanc priuatam reuelationem cum tanta certitudine, quanta est illa, quam habeo per fidem de assistentia Spiritus Sancti in determinationibus Catholicæ Ecclesiæ; tali reuelationi non credam. Quia illi non est credendum sinè tali certitudine.

8 Et

8. Et hac conditione attenta, B. Simeon Monachus Treuirensis diaboli deceptionem agnouit, vt apud Surium 1. Mensis Iunij narrat Eueruuius Abbas. In verticem montis Sinai iussu Superiorum cum missus fuisset ibi habitaturus Simeon, nocturnis horis illi, specie Angelica, dæmon apparuit; & vt missam celebraret hortatur. Ipse nèc planè dormiens, nèc perfectè vigilans contradicit, non debere sinè presbyterij ordine, aliquem hoc ministerium implere. Contra inimicus instat, se Dei legatum esse, Christum hoc velle, nèc decere sanctum locum ministerio tali diutius priuari. Renitentem ergo, & contradicentem, adiuncto sibi consortio alterius dæmonis, de lectulo educunt ante Altare, iam vigilantem statuunt, alba induunt; de stola vtriquè altercantur: hostis more Presbyteri, Simeon more Diaconi contendebat sibi imponi debere. Tandem Dei famulus ad se reuersus, virtute orationis, & signo Crucis inimicum repellit, sequè delusū ingemiscit &c. En hìc diabolus, sùb specie boni Angeli, legatum Dei se proclamat; imperat in nomine Domini, violenter Seruum Dei statuit ante Altare, alba exornat; at quia iubet, quod fieri nefas est, nimirum, quod peragat Sanctum Missæ Sacrificium, quod solis Sacerdotibus est concessum; & ipse tali ordine careret; præcepto restitit, præcipienti non obtemperat, reuelationi non credit, & callidi hostis astus finaliter deludit, eumquè signo Crucis profligat. Ex quo colligitur, quod quando reuelatur aliquid contra bonos mores,

contra

contra canones, & statuta credi non debet reuelanti, nisi ipse de reuelatione doceat, quod sit à Deo, nō quacumquè certitudine, sed ea prorsus, quam prescribit Gerson.

9 Et in hoc tertio signo considerandum est etiam, vtrum reuelatio alijs reuelationibus indubitatis conformetur. Nàm si aliæ reuelationes similes illusoriæ, & deceptoriæ fuerunt, vèl de illis non habetur certitudo, quod verè fuerint; potest, & de hac, quæ est illis consimilis dubitari, & timeri, quod contineat deceptionem, vèl remaneat sùb dubio sicut illæ. Affertur exemplum de illa reuelatione, seù visione quam habuit B. Hermanus Stenfeldensis, qui & Ioseph vocatus, eò quod Beatissima Virgo Maria à Cœlesti Paranympho sibi in visione despōsata fuit, sicut castissimo Iosepho; àc proindè ipse Hermanus, vt Virginis Sponsus Iosephi nomine potitus, vt in eius vita legitur apud Suriū die 8. Aprilis. Hæc visio, quia alijs similibus conformatur, & confirmatur, omnem deceptionis, vèl illusionis dubietatem excludit. Similis namquè fuit hæc B. Hermani visio, visioni Eutychij Patriarchæ, apud Eustachium; similis visioni B. Guglielmi Roscildensis, apud Surium 6. Aprilis; Visioni S. Alberti prope mortem ei oblatæ, & à Leone explicatæ, apud eundem die 23. Aprilis, & aliæ consimiles visiones inueniuntur apud Petrum Venerabilem in libris miraculorum. Validior enim censenda est confirmatio, quæ habetur per alios, quam per eundem; item per notos, quàm per

ignotos,

ignotos, per viros, quam per fœminas. Et ex hac consideratione facilè depræhendi potest, ò Theophile carissime, veritas, vèl falsitas reuelationum, quas mihi proposuisti. Nàm videri debet nùm alteri à Deo in alijs temporibus concessum fuerit, quod hæc mulier asserit sibi reuelatum. Si enim alijs concessum est, verisimile haberi potest, quod ipsi quoquè Deus concesserit; sed si alijs denegatum, vèl non concessum reperitur, timendum est de deceptione.

10 Et si reuelationes inter se aliquo modo pugnant, vt vni dicatur diuersum ab eo, quod alteri fuit reuelatum, dubitari potest, vèl de illusione, & deceptione diabolica; vèl de malitia hominum reuelationes ad suum sensum trahentium; sed standum est semper antiquiori, & illi, quæ veritatis locum sibi obtinuit antequam super illa re, de qua agit reuelatio, aliqua controuersia oriretur. In hac enim nulla hominum factura suspicari potest. Sic Delrius *lib. 4. disquisitionum magicarum cap. 1. quæst. 3. sect. 5. in fine.*

SI-

SIGNVM QVARTVM.

1 QVartum signum est conformitas ad Sacram Scripturam, & Sanctorum doctrinam; cum enim reuelatio conformis reperitur Diuinis Scripturis, & Sanctorum sententijs, & exemplis, arguitur esse reuelatio Spiritus Dei. Si autem dissonat, & discordat ab eis, suspecta meritò habenda talis est. Vndè Riccardus (suspecta est mihi omnis veritas, quã non confirmat Scripturarum auctoritas.) *Iob.* 33. Semel loquitur Deus, & secundo idipsum non repetit. quod est dicere secundum Gregorium (Deus in singulorum cordibus priuatis vocibus non respondet; sed tale eloquium construit, per quod cunctorum quæstionibus satisfaciat. In scripturæ quippè eius eloquio, causas nostras singulas, si requirimus, inueniemus.) Ex qua auctoritate colligitur, quod cum in Sacra Scriptura dederit Deus quidquid ad humanam salutem est necessarium, & conueniens; non iterum, idem repetit priuatis reuelationibus. Et si aliquandò hoc ad animarum salutem facit; debent tales reuelationes conformari Diuinæ Scripturæ, & sententijs, & exemplis Sanctorum, qui Spiritu Dei inspirante, loquuti sunt. Nàm si discreparẽt, necessariò arguerentur de mendacio; cum dissonent à veritate reuelata.

2 Doctrina ex Turrecremata adducta, est conformis doctrinæ Gersonis, qui de hoc quarto signo loquens

quens sic dicit. (Est namquè sacra Scriptura locus, vèl officina, vbi cuneus regiæ monetæ spiritualis reconditur, quia si in aliquo, vèl minimo puncto denarius discrepet in sua figuratione, & superscriptione ab hoc cuneo Regis, absquè vlla dubitatione falsus est. Attamen tanta est nonnunquam similitudo denarij falsi ad verum, vt vix nisi à doctissimis possit falsitas deprehendi; quia inter tot veritatis lineas ad fraudem positas, non statim vnus falsitatis punctus semet aperit. Visi sunt hæretici, qui magnos catholicæ doctrinæ compingebant libros, vt solam hæresim inter tot veritates latenter insererent, & cautiori, efficacioriquè fraude publicarent. Hæc res indicat ex quarta necessitate, quod talis quælibet moneta reuelationum insolitarum, debet à Theologis, priusquam admittatur, examinari, quorum præcipuè interest inter veram, & falsam religionem, moresquè concernens discernere. Palàm est insuper, quàm perniciosa sit scripturæ sacræ reiectio, & ad Antichristi susceptioné præparatio certissima.) Sic Gerson.

3 Firmum stat Dei verbum, nèc vlla auctoritate creata potest infringi. Et quod semel loquutus est stabit in æternum, testante Christo: Cœlum, & terra trãsibunt, verba autem mea non transibunt. *Mar. cap.* 13. *ver.* 30. Quapropter Apostolus *ad Galatas cap.* 1. *ver.* 8. Sed licèt nos, aùt Angelus de Cœlo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Ipse enim reuelauit nobis per suos Prophètas,

& quod per Prophetas reuelauit, ipsemet ore suo confirmauit; non est igitur aliquis sub Deo, qui ab istis possit detrahere, vèl eis addere apicem, vèl iota. Si enim ad vocem Angelorum etiā Cœlestium, Scriptura infringi, aùt violari in aliquo posset, mille paterent insidiæ, & decem mille paterentur incursus. Dederat Deus legem Populo per Moysem ministerio Angelorum, iuxta illud. *act. cap. 7. ver.* 53. Qui accepistis Legem in dispositione Angelorum. Nihilominus quandò lex illa Mosaica abroganda fuit, non misit Deus Angelos ad eam abrogandam; sed ipsemet Deus venit in terram; & ore proprio, quod erat abrogandum, deleuit; & quod erat obseruandum, & credendum stabiliuit. Ex quibus omnibus clarè colligitur quanta custodia, & cautela incolumitatem, & integritatem Sacræ Scripturæ conseruare tenemur. Et quod nemini, nèc homini, nèc Angelo, etiam de Cœlo misso, credere debemus in his, quæ Sacræ Scripturæ contradicunt. Nàm nullus præter Deum, qui Sacram Scripturam tradidit, potest eam abrogare, vèl infringere. Et in probatione huius quarti signi deprehensa est falsitas reuelationum illius Theologi Peruensis, de quo exemplum posui *cap. 2. sect.* 1. licèt enim assereret se habere reuelationes ab Angelo; nihilominus, quia Scripturæ Sacræ erant contrariæ, erant falsæ, & diabolicæ.

4 Ac per hoc quandocumquè in aliqua noua, & particulari reuelatione apparet aliquid, quod contra-

dicit,

dicit, vèl repugnat, vèl dissonat huic infallibili regulæ Sacræ Scripturæ; suspectam habere eam debemus; quoadusquè de eius veritate sole clarius pateat. Nàm iuxta Glos. *cap.* 17. *Matt.* (Suspecta est omnis reuelatio, quam non videmus per omnia conuenire cum lege, Prophètis, & Euangelio.)

5 Ex in hoc quarto signo animaduertere debemus, quod quandò in reuelatione asseritur aliquod, quod licèt secundùm regulam generalem Sacræ Scripturæ, & secundùm potentiam Dei ordinariam subsistere non possit; tamen recurrendo ad Dei potentiam absolutam, & ad priuilegia specialia, quæ Deus concedere potest cui vult, & quandò vult, potest saluari, & veritatem habere. In talibus terminis reuelatio est suspecta. Sic docet Cancellarius Paris. *Alphab.* 19. *litt. Z.* his verbis. (Vbi, quæso, animaduertere nequaquam omittamus, quod aliqua sic se habere possunt, vt quãuis non sint palàm, & directè obuiantia, siuè contraria Diuinæ omnipotentiæ, quæ per Scripturam Sacram extollitur, quandò absolutè possunt fieri; sunt nihilominus refellenda tamquàm inania, & fatua, & Diuinæ Sapientiæ incongrua; nèc testimonio veritatis legitimè formata; sed aliundè protracta: quemadmodùm si quis diceret sibi esse reuelatum, quod totus mundus mouebitur cras motu recto, quòd vnus Angelus annihilabitur, & postmodùm recreabitur, non adducendo aliam vtilitatem; quod quilibet Prelatorum debet solus, & nudus incedere, & baiulare crucem materialem

ſuper humeros ſuos, aliàs tota peribit Eccleſia. Talia, inquam, velut delira, & Diuina reuelatione indignæ ſtatim abijcienda ſunt. Nequè enim relucet tantummodò in Diuinis operibus potentia, ſed bonitas, & ſapientia, quam effudit ſuper omnia opera eius. Omnia inquit Pſalmus in ſapientia feciſti.)

6 Ex qua doctrina Gerſonis clarè colligere poteris, ò cariſſime Theophile, in qua exiſtimatione, & quo pretio habendæ ſunt reuelationes illius mulieris, quæ adeò extolluntur. Magna quippe, & ingentia ſunt dona, quæ continent priuilegia nulli adhuc conceſſa; in quibus licèt magnopere reſplendeat Bonitas, & Omnipotentia Dei erga iſtam creaturam; attamen, vt ſaluentur ſua aſſerta, ſemper recurrendum eſt ad omnipotentiam Dei abſolutam; Cum qua ſi non reſplendeat etiam, & ſapientia, exorbitant ab illa regula generali: Omnia in ſapientia feciſti.

SIGNVM QVINTVM.

1 TVrrecremata prò quinto ſigno ponit conditionem perſonæ; At quia de hac conditione perſonæ, cui fit reuelatio dedi integram ſectionem in hoc capitulo tertio, vbi diſtinctè poſui diuerſas conſiderationes, quæ circa perſonam occurrere poſſunt; ideò hìc pono prò quinto ſigno finem reuelationis. Quem quidem finem conſiderare poſſumus, & ex parte Dei reuelantis, & ex parte rei reuelatæ, & ex parte

illius

illius cui fit reuelatio; vt ex hac finis consideratione clarius eius veritas, vèl falsitas discernatur.

2 Hoc signum notat Gerson *Alphab.* 17. *lit. Y.* dicens. (Probatio spirituum considerat, quare fieri dicuntur visiones, præsertim quo fine, ne dùm proximo, ne dùm aperto, sed occulto, & longinquo. Potest itaquè finis prius apparere bonus, & salubris, & deuotus, ad ædificationem aliorum, qui tandem prolabetur in multiplex scandalum, dùm vèl non respondebunt vltima primis, vèl aliud falsum fictumquè deprehendetur in personis fuisse, quod reputabatur sanctitatis, & deuotionis. Docuit hoc ætas nostra de prædicationibus dominorum Ioannis de Varenis, & Ioannis Hus, & similium; & paucis interiectis addit. Cæterum finis attendendus est, quare fit communicatio talium reuelationum alteri personæ, vtrum ad ostentationem, vèl ad necessitatem; vtrum ad dandum, vèl recipiendum consilium, vtrum fiat experto, vèl inexperto talium. Quod si videatur hæc persona quærere tantummodò consilium, ne fallatur, videndum est si paratam se monstret obedire consilio; aliòquin iam de curatione vix spes erit; Quoniam vt dicit Ioannes Climacus: Non iam eget dæmone tentante se, qui factus est sibi Dæmon &c.)

3 Quandò igitur noua reuelatio asseritur, in primis inquirere debemus, quare, & ad quem finem dat Deus hanc reuelationem. Licèt enim Dei Iudicia sint occulta, & viæ ipsius distent à vijs filiorum hominum quan-

tùm

tùm distant Cœli à terra; attamen ex exemplis, quæ in Sacra Scriptura habentur, omnes reuelationes Cœlestes ad aliquem finem fuerunt directæ. Siquidem si Abrahæ, Iacobo, & Iosepho multæ reuelationes factæ fuerunt; ad magnum finem tendebant, sicuti suis locis videri potest. Si Moysi in Rubo Dominus apparuit, & multa ei reuelauit, non inaniter, vèl frustra; ibi enim constituit eum Ducem Populi sui, vt educeret eum de captiuitate Ægyptiorum; & ibi etiam ipsum constituit Deum Pharaonis, vt habetur *Exod. cap. 3. & sequent.* Si iterum, & toties ei apparuit, vt habetur in eodem. *Exod. lib. & alibi*, fecit, & hoc, quia constituit eum Legislatorem in populo; & omnes apparitiones, actiones, & reuelationes ipsi factæ ad opera grandia, àc ingentia facta tendebant. Reuelationes itidem, quæ factæ sunt Prophètis Isaiæ, Ieremiæ, Ezechieli, & alijs ad excellentissimum finem dirigebantur, nempè ad istructionem populi, ad malorum correptionem, animarumquè salutem; ex quibus omnibus maior ipsius Dei gloria resultabat. At in reuelationibus, in quibus nullus apparet finis, nèc etiam à longè; rationabiliter de aliqua illusione dubitari potest. Vulgatum est enim apud omnes sapientes, quod Deus, & natura nihil agũt frustra. Aristot. 2. *de Cælo tex. 50. & 59.* Et per Ezechielẽ Deus ipse dicit: Ego Dominus non frustra loquutus sum. *cap. 6. ver. 10.* Et hic adnotanda est illa Gersonis obseruatio. (Prò hoc valet, quod habemus ex determinatione Doctorum, & Glossæ *Matt. 4.* super

per illo: Si Filius Dei es mitte te deorsum: Miraculum si pia vtilitate, aùt necessitate careat, eò facto suspectũ est, aut reijciendum: sicut fuisset Christum volare per aera, & vt communiter sunt magorum sacrilega præstigia. Fuit nostris temporibus mulier in talibus famata reuelationibus, quam hoc signum, nisi fallor, delirasse conuincit) *Alphab.* 19. *litt. Z.* Igitur in reuelationibus principaliter finis spectandus est, & eò maximè si in ipsis reuelationibus contineantur grãdia, & insolita, ita vt necesse sit ad Dei potentiam absolutam recurrere, vt saluentur. Cum enim Lex ordinata Dei non dispensetur absquè necessitate, vbi nullus apparet finis, nulla per consequens erit necessitas miracula faciendi. Si enim in noua lege Deus rapuit Paulum ad tertium Cœlum; & in illo raptu, iuxtà multorum Doctorum sententiam, Paulus eleuatus fuit ad visionem Diuinæ Essentiæ, non est mirandum; qui enim Doctor Gentium, Prædicator veritatis instituebatur, in tali scola instrui debebat, de cuius doctrina nullus rationabilitèr ambigere posset, Si S. Benedictum, si Dominicum, si Seraphicum meum Patrem Franciscũ, si Theresiam, & alios huiusmodi in lege gratiæ reuelationibus, àc specialibus donis cumulauit, non est mirandum, quia ad opera grandia eos instituebat, àc dirigebat; Futuri enim erant tot Illustrissimarum Religionum Patres, àc Patriarchæ. At in reuelationibus, in quibus nullus apparet finis, qui primo loco debet esse Dei honor, & gloria, & secundo salus animarum,

vt

vt suspectæ, rigoroso examini subijci debent.

4 Debet etiam considerari quo fine monetur ille, qui habet reuelationem ad illam manifestandam, sicut supra dixit Gerson, & iuxta traditam ab eo regulam procedere debemus. Et si aliquandò Deus, ex sua benignitate, gratiam aliquam, seù speciale munus non ad aliorum vtilitatem concedit, sed ad proprium, àc speciale decus illius, qui gratiam accipit, talis gratia absquè speciali Dei monitu propalari non debet; sic passim spiritualis vitæ Preceptores nos docēt, & meus Seraphicus Pater, accepto illo singulari stigmatum priuilegio, ipsum cœlare studuit quantum potuit; & non nisi necessitate compulsus F. Leoni manifestauit, vt videri potest in sua legenda. Quod etiam, & omnes Sancti fecerunt in simili contingentia. Illud Isaiæ repetentes. Secretum meum mihi, secretum meum mihi. *cap. 24. ver. 16.* Et Angelus ad Tobiam ait: Sacramentum Regis abscondere bonum est; opera enim Dei reuelare, & confiteri honorificum est. *Tob. cap.* 12. 7. Occultauit enim se Raphael toto illo tempore, quo sùb alia forma fuit cum Tobia; Postquam autem Dei iussa perfecit, antequàm discederet, Diuina opera reuelauit, adhoc vt omnes discerent benefacere, àc in Domino sperare. Cœterum vbi non adest necessitas, aùt vtilitas aliorum, aùt Dei specialis impulsus, tales reuelationes propalare periculosum est. Timeri namq; potest de vanagloria, vèl iactantia, imò potius de superbia; vt patet consideranti. Quapropter extimescen-

dum

dum est, nè diabolus, qui tamquàm Leo rugiens circuit semper quærens, quem deuoret, transfiguratus in Angelum lucis supradictæ mulieri huiusmodi reuelationes dictauerit, non ad salutem, sed in ruinã animarum.

5 Et tertiò considerari debet finis, quò tendit, vèl tendere potest habita reuelatio. Et hìc non solum considerandus est finis apertus, & manifestus, sed etiam occultus; non solùm proximus, sed etiam longinquus, & remotus, vt ait Gerson. Nàm diabolus cum sit astutissimus, & versutissimus, ita suas technas, & laqueos abscondere solet, vt vix à cautissimis, & oculatissimis videri valeant. Collimat aliquandò ad sinistram, vt imparatam feriat dexteram; & vt ad finem, quem intendit perueniat, mille diuerticulis viam aperit. Et hoc dubitari potest, ò Theophile, in reuelationibus huius mulieris. Nàm vt video, ita concinnè ordinatæ sunt, tali ordine dispositæ, talibus terminis propositæ, vt non facile cognosci possit, vtrum ex Deo sint an non.

6 Si enim ad Dei potentiam absolutam recurramus, non sunt impossibilia, quæ continent: maximè in primo prospectu. Nèc verisimile est, quod simplex muliercula talibus terminis vtatur, àc tali Theologica phrasi loqui sciat, absquè doctore docente. At cum nõ pauca inuoluant, quæ absquè censura transire non possunt, vt in propositionum examine patebit; verisimilius est, quod eas spiritus Sathanæ, qui reuelauit, taliter concinnauerit, earumquè manifestationem, àc

propalationem in detrimentum animarum dictauerit. Mundus enim, qui nouitatum amator est, audiens aliquam in terra reperiri creaturam humanam, quæ à Deo antè, & plusquàm omnes Sanctos prædestinata fuerit; Quod fuerit in vtero matris paulò post animatione sanctificata; Quod rapta ad tertium vsquè Cœlum, Diuinam Essentiam clarius, & perfectius, quàm ipse Paulus viderit; & similia, imò excellentiora, quæ in suis propositionibus continentur; Non est dubium, quòd de ipsa magnum conceptum formare potest; & maximè simplices, & idiotæ; qui ad ipsam cateruatim, àc turmatim recurrentes ipsam audire, videre, àc alloqui cupientes, suis orationibus se commendantes, felix ille existimabitur, qui vèl saltim illius fimbriam tangere posset. Et si talis mulier à dæmone suas reuelationes accepit, quid hinc sequuturum speramus? Tot funesti successus potius deplorandi, quàm recensendi, exemplum nobis præbent circa futura. Atquè, vt alia omittam, referam quod in Regno Siciliæ anno 1635. accidit. Fuit ibi quidam Carolus Taualora ex Vsumarso Calabriæ oppido Laicus professus approbatæ Religionis; Hic deceptorijs dæmonum illusionibus illaqueatus, eò vsquè deuenit, vt hæresiarca euaderet. Siquidem se filium Dei, àc Messiam esse affirmabat; & quod Christus solùm Redemptor, non autem Mesias fuerit. Item se Saluatorem Orbis futurum, quoad efficaciam, fatuè afferebat; eò quod Christus, solùm quoad sufficientiam, fuisset. Omnem statum Ecclesiasticum

ab eo

ab eo renouandum, & reformandum affirmabat; nouas leges, ritus, & ieiunia ediderat, quas leges hæresibus plurimis refertas propria manu, & diuersis characteribus scripserat; sicut etiam suum euangelium, cum narratione propriæ geneologiæ, atquè officium de eo recitandum in hac noua lege conscripserat; scripturas varias ad sua commenta adaptabat, & vbi in Sacris litteris de vero Messia Christo Domino fit mentio, de seipso loqui, & non de Christo autumabat; Miracula plurima, se perpetrasse exhibiturum iactabat. Tot tandem, tantiquè errores ad Tribunal S. Inquisitionis delati fuerunt; Eorum Auctor depræhensus per quinquennium ferè auditus, examinatus, àc monitus nullatenus ad meliorem frugem, & ad veram Fidem Catholicam redire voluit; imò tanta pertinacia, àc procacia suas hæreses defendebat, vt etiam dicere auderet ad illud Tribunal à Deo missum fuisse, vt Dominos Inquisitores ad suam nouam legem amplectendam, & promulgandam perduceret. Erat quidem is sẽsu integro, quoad cerebrum attinet; sed qui tales insanias, & nugas audiret, non nisi mente captum eum esse persuadere vllatenus posset. Multoties itaquè Qualificatores, & Theologi Santissimæ Inquisitionis, sicuti mos est, in Sacro Tribunali vocati cum tali homine disputarunt, vt eum ad veram fidem reducerent; sed ille suis falsis dogmatibus pertinacitèr persistens, Qualificatores, àc Theologos coràm Dominis Inquisitoribus ignorantes vocabat, asserens quod sibi, & non eis Deus

 loqu-

loquutus fuerit. Per quinquenniū perdurauit iste cōflictus, nàm cum ab anno 1635. incæperit, anno tandem 1640. die 9. Septembris, vt pertinax, & obstinatus hæreticus, Panormi in publico spectaculo, àc solemni actu fidei celebrato per Dominos Don Ioannem de Torrezilla, D. Didacum de Transmiera, & D. Consaluum Brauo Curiæ seculari traditus est vltimo supplicio plectendus. Et cum ad supplicium duceretur, pluuiam expectabat de Cœlo, vt ignem extingueret, sicut ei diabolus à principio ipsum decipiens promiserat. Cum tandèm à dæmone se delusum videret, resipuit, veniam petijt, & sua crimina confessus est, laqueo demum suspēsus, flammis inijcitur, & in cineres est redactus. Viuit adhùc in hac Neapolis Ciuitate illius quondam Iuliæ infelix memoria; & quid ex suis assertis reuelationibus euenerit, penè omnibus compertum est. Viuit, & in alijs Ciuitatibus similium mulierculārum, earumquè reuelationum, & visionum euentuum execrabilis fama. Viuit adhùc illius Borri Mediolanensis, & omnibus alijs recentior memoria. Sed vt alia omittam, quis ad lapsum Tertulliani non expauescet? Qualis ingenij, quantæquè doctrinæ fuerit iste Doctor, omnibus sua scripta testantur; deceptus tamen, suam doctrinam multis erroribus fœdauit. Et vndè deceptus? audiamus ipsum. Est hodiè, verba sunt Tertulliani, Est hodiè soror apud nos reuelationum charismata sortita, quas in Ecclesia inter Dominica solemnia per extasim in spiritu patitur, conuersatur

ſatur cum Angelis, aliquandò etiam cum Domino, & videt, & audit Sacramenta, & quorumdam corda dignoſcit, & medicinas deſiderantibus ſubmittit. Iam verò prout Scripturæ leguntur, aùt Pſalmi canuntur, aùt allocutiones proferũtur, aùt petitiones delegãtur; ita indè materiæ viſionibus ſubminiſtrantur. Fortè neſcio quid de anima diſſerueramus, cum ea ſoror in ſpiritu eſſet. Poſt tranſacta ſolemnia, dimiſſa plebe, quo vſu ſolet nobis renunciare, quæ viderit (nàm & diligentiſſimè digeruntur, vt etiam probentur) inter cœtera, inquit, oſtenſa eſt mihi anima corporaliter, & ſpiritus videbatur, ſed non inanis, & vacuæ qualitatis; imò quæ etiam teneri repromitteret, tenera, & lucida, & aerij coloris, & forma per omnia humana. Hæc eſt viſio. Deus teſtis, & Apoſtolus charismatum in Eccleſia futurorum idoneus ſponſor. Huc vſquè infelix Tertullianus *de Anima cap. 9.* qui licèt eruditiſſimus, àc prudentiſſimus videretur, hiſce tamen muliercularum commentis traduci, atquè ſeduci paſſus eſt. Itaquè Baronius de Tertulliani lapſu diſſerens, ita loquitur. (Acceſſit ad faciliorẽ hominis lapſum, quod ipſe licèt durus in diſciplina, in credendo tamen magna erat animi facilitate præditus: adeò vt quæcumquè muliercula ſe aliquid ſecundùm viſum accepiſſe diceret, mox tantam illi præſtaret fidem, vt cum alioqui eruditiſſimus eſſet, omnem illi poſt haberet doctrinarum veritatem. Eſt de ea re patens exemplum ab ipſo deſcriptum in libro de Anima *cap. 9.* quo quidem aper-

tiſsimè

tissimè demonstratur, insanisse planè hominem, dùm arbitrio mulierculæ à cardine dimouetur, non tantùm Christianæ Theologiæ, sed etiam humanæ philosophiæ, vt Animam corpoream, coloratam, antropomorphitamquè crediderit: tantumquè valuisset apud eum phanaticæ fœminæ, quælibet efficta, & affectata relatio, vt omnia prò illa neglexerit Catholica dogmata, atquè scientias. Hæc Baron. de Tertull. miserando lapsu commemorat anno Domini. 201. *num.* 13. Hæc, & alia ex huiuscemodi priuatis, & diabolicis reuelationibus damna passus est diuersis temporibus populus Christianus. Et de his, & similibus malis rationabiliter in hac muliere timere debemus; si ipsam diabolus omnium malorum peritissimus, & ingeniosissimus artifex in suæ malitiæ instrumentum assumpserit. Quamobrem inter cœtera finis, quò tendunt, vèl tendere possunt supradictæ reuelationes solerti diligentia, àc graui maturitate perspiciendus est. Sic Delrius *dicta quæst.* 3. *sect.* 6. *ver.* 1. occurrit. Torre *disput.* 3. citata, Sousa, & Grauina, quos sequitur Albergh. in suo manuali *cap.* 41. *num.* 12. vbi ait: (Obseruandus est primò finis, si reuelationes, & apparitiones absquè necessitate euulgantur, & propagantur, vt si causa non est spiritualis, sed temporalis, & propria, vèl curiositas, leuitas, vanitas, cupiditas, auaritia, ambitio &c.) Hæc Alberghinus *loco citato.*

7 Ista igitur sunt signa, ò amice carissime, quibus veræ à falsis reuelationibus discerni possunt, & in his

tam-

tamquam in lydio lapide cognoscitur aurum alchimiatum, & sophisticum, & aurum probatum, & electum. Reuelatio enim, quæ in istis signis persistit à Deo censeri debet, sed si in vno, vèl in altero eorum deficit, reijce illam, quia à Deo, qui Auctor veritatis est, esse non potest.

8 Illud autem, quod mihi dixisti, quod diuersi diuersimodè sentiunt circa dictas reuelationes, earumq; propositiones, & quod aliqui eas recipiunt, & vt Cœlestes venerantur; alij verò, vt diabolicas detestantur, & suas propositiones, vt hæreticas damnant, non est mirum; quia primo prospectu non omnia considerari possunt; & multoties vnusquisquè loquitur iuxta suum affectum. At non debemus sic de facili in re tanti momenti præcipitare iudicium, vt supra ex Gersone notaui. Nàm sicut periculosum est nouas reuelationes absquè diligenti discusione recipere; sic etiam esset periculosum eas damnare, àc aliqua nota inurere. Maximè vbi agitur de nota hæresis; cuius iudicium ad solam Sanctam Sedem pertinet. Et valdè hic notanda est illa cautela, quam tradit Alphonsus de Castro *lib.* 1. aduersus hæreses *cap.* 1. *vbi ait.* (Caueant ergo hæreticæ prauitatis Inquisitores, ne facilè de hæresi pronuncient. Si hæresis est iam olim damnata, aùt euidentissimis scripturæ testimonijs depræhenditur; & non humano ratiocinio, cui possit obuiari; tùnc executores sunt, vt exequantur id, quod circa hæreticos decreta Pontificum fieri iubent. Si autem res est dubia, an sit hæresis,

hæresis, vèl non; non est eorum munus sententiam ferre, nèc possunt censere de hæresi, cum hoc sit solius Summi Pontificis. Hoc etenim casu illud eis incumbit ex officio, quod nomen eorum prætendit, inquirere scilicèt de assertione prædicata, aùt quomodolibet publicata, qualitèr ab asserente fuerit dicta, quibus verbis, qualitèr ab eo intellecta; qua ratione fuerit motus ad id asserendum; aùt quibus scripturæ testimonijs innitatur. Quibus actis, si euidentissimis testimonijs minimè conuinci potest, sed res manet dubia, & suspicionis labe maculata, consulenda est Sedes Apostolica; nèc ea inconsulta (quantumlibet docti consulantur) licebit quidquam definire. Cum autem Sedis Apostolicæ definitionem receperint, eis incumbet exequi id, quod à Pontifice Summo decretum fuerit.) Sic Castro.

9 Si igitur, iuxta allatam doctrinam, nèc ipsi hæreticæ prauitatis Inquisitores possunt in re dubia definire de hæresi (cum hoc ad Sanctam Sedem, quæ regitur à Spiritu Sancto, pertineat;) quid dicendum de alijs? certè abstinere debent etiam in priuatis colloquijs ab hoc iudicio; non solùm quia ad eos non pertinet, sed etiam, quia tale iudicium dissentiones, iurgia, & scandala parere solet. Qui enim aliquam propositionem aliquo modo suspectam inaduertentèr pronunciat; si se sentiat à priuato quopiam de hæresi notari, de facili insurgit ad sui defensionem; & quia veritas est vna, si velit sustinere, & defendere primam propositionem, quæ à veritate parum forsitàn aberrabat; magis se elongabit

gabit à veritate, & ideò vt iurgia, & scandala abscindantur abstinere debemus ab illo iudicio, quod ad nos non pertinet. Et obseruare quod circa hoc iubent Summi Pontifices.

10 Et hìc etiam aduertendum est, iuxtà Suarez sententiam, quod sicuti perniciosum est aliquam propositionem in fide peccantem, sinè qualificatione relinquere, ita quoquè esset periculosum propositioni qualificationem, vèl censuram tribuere, quam non mœretur. Quia nō solùm ipsam infami nota inureret; ex quo scandala, seditiones, & alia detrimenta, & incōmoda, vt iam dictum est, oriri possent; Verum etiam inpugnaretur veritas, quæ in ipsa continetur. Semper enim per censuram contradicitur propositioni censuratæ; & si hæc nullum contineat errorem; imò contineat veritatem; & nihilominus censura, quam non meretur, ei tribuitur, impugnatur profectò veritas, quam in se habet. Vndè censura indueret qualitatem illam, quam propositioni censuratæ tribueret. Ita Suarez *disput.* 19. *de fide sect.* 2. *num.* 21. quem sequuntur Castrus Palaus *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 3. *pun.* 1. *num.* 9. & Albergh. *loco citato num.* 18.

11 Quapropter, vt ex temetipso dignoscere possis, ò amice carissimè, si aliqua ex reuelationibus à te mihi narratis censuram mœretur; opportunè sequentem sectionem adijcio.

De Gradibus damnabilium Propositionum.

SECTIO IV.

1 MVlti autem, àc varij sunt gradus propositionum Catholicarum, vt ait Cano de locis Theologicis *lib.* 12. *cap.* 7. circa quos gradus non solùm ipse Cano, verùm etiam Turrecremata *in Summa de Ecclesia lib.* 4. *par.* 2. *cap.* 8. *&* 9. Gerson *Alphab.* 14. Ocham *lib.* 1. *&* 2. *dialogor.* Gabriel *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. Liber dictus Axiomata Christiana *lib.* 2. & præcipuè *art.* 6. *cap.* 11. Castro de punitione hæreticorum *lib.* 1. *cap.* 3. 4. 8. 9. *&* 10. Simanchas de hæreticis *cap.* 25. 26. *&* 27. & Corduba in suo quæstionario *quæst.* 17. §. 1. 2. 3. 4. 5. latè discurrunt. Et ex opposito multi etiam sunt gradus, siuè species propositionum in fide peccantium, & alitèr damnatarum, ait Ricciullus *de Iure personar. lib.* 5. *capit.* 8. *in principio*; & prima est hæresis, seù propositio hæretica. secunda est sapiens hæresim. tertia est erronea. quarta est suspecta de hæresi. quinta est impia. Sexta rigorosa, vèl dura. Septima temeraria. Octaua malèsonans. Nonâ blasphema. Decima infidelis. Vndecima perfida. Duodecima insana, & stulta. Tertiadecima crudelis. Quartadecima scandalosa. Quintadecima periculosa. Sextadecima seditiosa. Decimaseptima schismatica. Decimaoctaua iniuriosa, contumeliosa, irrisoria. Decima-

Decimanona præsumptuosa, & arrogans. Vigesima phantastica. Vigesima prima superstitiosa. Vigesima secunda vana, & scrupulosa. Has omnes latè tractat Corduba *quæst.* 17. *cit.* Alij autem ad pauciorem numerum reducunt. Quia Suarez sic eas enumerat. Quædam propositio dicitur hæretica, alia erronea, alia sapiens hæresim, alia malesonans, alia temeraria, alia scandalosa, alia piarum aurium offensiua; item iniuriosa, blasphema, & si quæ aliæ sunt similes; que enumeratio, ait Suarez, sumpta videtur ex Concilio Constantiensi *sess.* 8. in sententia damnationis articulorum Vuicleph, & *sessione* 15. in sententia damnationis Ioannis Hus. Et confirmari potest ex Bulla Pij Quinti, & Gregorij XIII. contra Michaelem Baium; Nàm ijsdem ferè verbis, quasdam illius Auctoris sententias dicti Pontifices damnauerunt. Atquè ita huiusmodi propositiones distinxerunt, & ex professo explicarunt varij Doctores Theologi, & Canonistæ; vt D. Antoninus, Turrecremata, Albertinus, Simanchas, Castro, Cano, Corduba, Perua, & alij quos refert cum suis locis Suarez *de fide disputat.* 19. *sect.* 2. *num.* 1. Ricciullus Archiepiscopus Consentinus, & in hoc Regno Sancti officij Minister Generalis supremæ, & vniuersalis Sanctissimæ Inquisitionis de Vrbe. Prærogatiua eloquentiæ, Doctrinæ claritate insignis; experientia mihi notus ex causis, & difficultatibus in illo Sacro Tribunali discussis, Vir quidem vndequaquè conspicuus, pauciori numero contentus, eas ad nouem gra-

dus, seù species restringit, & prima est hæretica, secunda sapiens hæresim, tertia erronea, quarta temeraria, quinta schismatica, sexta scandalosa, septima iniuriosa, octaua impia, & nona demùm blasphema. Ricciull. *de Iure person. cap. cit.* Sed quidquid sit de hoc graduum, seù specierum numero, certum est hanc distinctionem positam esse à Doctoribus, ad ostendendam maiorem, vèl minorem prauitatem propositionum in fide peccantium.

2 Et sic propositio hæretica, quæ in primo gradu, seù in prima specie ponitur est illa, quæ apertè est opposita, siuè contraria, siuè contradictoria alicui veritati, de qua certè constat esse de fide, nullo habito respectu ad pertinaciam proferentis. Ita sentiunt Adrianus *in 4. quæst. 1. de confessione.* Ocham *1. par. dialogor. lib. 2. cap. 11.* Couar. *lib. 3. variar. cap. 1.* Torrensis *de Trinitate quæst. 32. art. 4.* Turrecrem. Castrensis, Simanchas, & alij quos refert, & sequitur Suarez *loco cit. num. 3.* At Ricciullus diffusius, & explicatius ait; (quod propositio, quæ dicitur hæretica, est illa, quæ in aliquo aduersatur Catholicæ fidei, idest propositionibus, quæ in respicientibus fidem in veteri, vèl nouo Testamento, vèl diffinitionibus ab Ecclesia in Concilijs, vèl extra firmatis, aut receptæ Sanctorum Patrum sententiæ) & hanc hæreticæ propositionis diffinitionem ex Turrecremata *in summa de Ecclesia lib. 4. cap. 10.* ex Cano *de locis Theolog. lib. 12. cap. 7.* Simanchas *de Catholicis instit. tit. 54. num. 3.* & iterū

in

in *Enchiridion. violatæ Religionis tit.* 24. *num.* 2. Albertinus *de hæretic. quæst.* 6. *num.* 1. *locato in opere Iudic. verbo credibilia num.* 8. *& sequentibus.* Tradit, & sequitur Ricciullus *de Iure personarum lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 1. & assignans rationem adiungit. (Quemadmodùm enim quidquid in prædictis reperitur diffinitum, est vera propositio catholica *cap.* 2. *de sum. Trinit. & fide Catholic.* ita quidquid in rebus fidem tangentibus contra proponitur, vèl asseritur, est propositio hæretica, & damnata.) *dicto cap.* 2. *de Sum. Trinit. Clement.* 1. *eodem tit. l.* 1. 2. *&* 3. *C. eodem tit. de Sum. Trinit. l. Quicumquè C. de hæretic.* Quæ quidem procedunt, siuè propositio proferatur ab hæretico, siuè à non hæretico. Potest enim esse propositio hæretica, & Auctor catholicus, quod contingit quandò in assertione, & in asserente nulla adest pertinacia *C. Dixit Apostolus, & C. Qui in Ecclesia,* 24. *quæst.* 3. *dicto cap.* 2. §. *in nullo de sum. Trinit.* Et sic in specie tradunt Turrecremata *dicto lib.* 4. *par.* 2. *cap.* 3. Alphonsus de Castro *de iusta hæretic. punit. lib.* 1. *cap.* 1. Simanchas *in enchirid. tit.* 24. *num.* 3. *& de catholic. institut. tit.* 54. *num.* 4. Cano *de locis Theolog. lib.* 12. *cap.* 8. quos refert, & sequitur Ricciullus *loco supracitato num.* 3. quibus additur Castrus Palaus *tom.* 1. *tract.* 4. *disput.* 3. *pun.* 1. *num.* 1. & Ioan. Alberghin. *in manual. qualifi. cap.* 12. *num.* 4.

3 Quod etiam procedit quandò asseritur aliqua propositio, quæ contradicit propositioni, quæ in Sacra Scriptu-

Scriptura apertè habetur, licèt hæc Scripturæ propositio non pertineat ad fidem; vt si aliquis assereret Tobiam non habuisse canem; Aaronē non habuisse barbam, & huiusmodi. Tales namquè propositiones, & si ad fidem non pertineant; tamèn si cum pertinacia asserantur, hæreticæ sunt, vt cum Ricciullo, Albertino, & Carena tradit Alberghinus *loco cit. num.* 7. Et ratio est, ait Ricciullus, (quia licèt ad fidem parum referat Tobiam habuisse canem, vèl Aaronem barbam, tamen negari non potest, quod is, qui scit hoc esse, vti certum in Scriptura narratum, eò ipso quod negat, errat in fide.) Ita docet D. Augustinus *in lib. de morib. Eccles.* Etenim cum vnus, & idem Deus sit vtriusquè testamenti Auctor. *C. Episcopus* §. *quærendā etiam ab eo*, 23. *dist. Concil. Trid. sess.* 4. Idem est dicere in Sacra Scriptura posse contineri mendacium, àc esset asserere, Deum posse esse mendacem; quod esse errorem contra vtriusquè legis auctoritatem, probatur *ex Psal.* 144. *ver.* 13. Fidelis Deus in omnibus verbis suis. *Et Deut. cap.* 7. Deus fortis, & fidelis. Et *Lucæ cap.* 16. *ver.* 17. Facilius est Cœlum, & terram præterire, quàm de Lege vnum apicem cadere. Et alijs Sacræ Scripturæ locis hoc probant Cano de locis Theologicis *lib.* 2. *cap.* 1. 2. 3. *et* 4. & Bellarm. *in Controuer. de Verbo Dei cap.* 1. *et* 2. cum sequen. Et quāuis assertio sit de re leui, Est attamèn valdè perniciosa, quia tollit fidem Sacræ Scripturæ. Sicut enim instrumentum in parte falsum, redditur suspectum quo-

ad

ad omnes eius partes *l. in fine ff. de fide instrumentorum.* Et testis in vno articulo falsus, redditur suspectus quoad alios *C. pura 3. quæst. 9.* Ita si admitteremus in Scriptura posse dari mendacium, quamuis iocosum, tota redderetur suspecta. D. Augustinus ad Hieronym. *Epist. 9. relatus in C. si ad scripturas, 9. distin.*

4 In secundo gradu à Corduba, & Ricciullo ponitur propositio sapiens hæresim; licèt Suarez, & Alberghinus ponant eam in tertio gradu; & erroneam ponant in secundo; sed quidquid sit de hoc ordine, Propositio sapiens hæresim est illa, quæ non per euidentem consequentiam, sed per consequentias probabilissimas, & moraliter certas, obiecto fidei contradicit; Sic Lorca 2. 2. *dispu.* 40. *num:* 10. Coninchius *de fide disput.* 18. *num.* 131. Suarez *de fide disp.* 19. *sect.* 2. *num.* 17. Alberghinus *loco citato num.* 8. Quod quia multiplicitèr accidere potest, multiplicitèr etiam declaratur, & exemplificatur à Corduba *quæst.* 17. *cit.* §. 8. & inter alia exempla ponit, quod ista propositio: B. Gregorius non fuit Papa, sapit hæresim; Quia per euidentes consequentias, & moralitèr certas deducitur, quod oppositum sapit fidem: Omnis enim canonicè electus in Papam, est Papa; B. Gregorius fuit Canonicè electus, ergo B. Gregorius fuit Papa. Maior huius argumenti est de fide, sic decretata à Martino V. in Concilio Constantiensi; & consequentia, quæ ex tali argumento deducitur, sapit fidem. Ergo propositio opposita sapit hæresim. Affert etiam exemplum de

propo-

propositione asserente, quod in hac hostia, quæ eleuatur à Sacerdote celebrante, non est Christus, talis enim propositio sapit hæresim. Quia attrahit saporem hæresis ab illa propositione hæretica: In hostia ritè consecrata non est Christus. Vndè explicatius ait Bariola (quod propositio sapiens hæresim est illa, ex qua cum notorio vero, quod negari non potest, sequitur hæresis.) *in floribus directorij tit. de varijs propositionum gradibus.* §. *quid propositio hæresim sapiens*, exempli gratia: Si quis diceret: omnis homo existens Romæ est in peccato mortali: talis propositio est sapiens hæresim; Ex hac namquè propositione, iuncta alia notiore vera, quæ est ista: Infantes Romæ existentes sunt homines; sequitur hæresis. Nimirùm, quod infantes nouiter baptizati sunt in peccato mortali. Et ex hac propositione hæretica attrahit saporem illa propositio: Omnes homines, qui sunt Romæ, sunt in peccato mortali; & dicitur propositio sapiens hæresim.

5 In tertio gradu ponitur propositio erronea, & est illa, quæ contradicit obiecto fidei, sed mediatè; quia non negat obiectum, quod est in se reuelatum; sed negat obiectum, quod est reuelatum in sua causa; vt si quis, verbi gratia, negaret Christum esse risibilem. Ita ex communiori sensu Doctorum ait Castrus Palaus *loco citato num.* 1. Hæc enim propositio, Christus est risibilis, reuelata est in illa propositione, Christus est homo; quia omnis homo est risibilis. Vèl vt ait Ricciullus. (Propositio erronea est illa, quæ est contra veritatem

ritatem aliquam, adhùc ab Ecclesia non definitam, vèl contra veritatem non omnibus manifestam, vèl à proferente ignoratam.) Sic etiam eam ex Simanch. & Albert. diffinit præfatus Ricciullus *loco cit. num.* 10. Et de ea dat exemplum Suarez in propositione, quæ antè Concilium Tridentinum assereret, quod Beata Virgo aliquandò peccauit venialiter: Hæc enim propositio ante præfatum Concil. erat erronea tantùm; Quia licèt propositio contraria, semper fuerit catholica; attamèn quia non dùm erat definita de fide, erat tùnc tantùm erronea. Ita Suarez *dicta disput.* 19. *de fide sect.* 2. *num.* 13.

6 In quarto gradu ponitur propositio malesonans, & est illa, quæ vt æquiuoca duplicem sensum habere potest; & in proprio aliquo sensu potest esse hæretica; & in aliquo pariter proprio potest esse catholica. (Talis namquè propositio, ait Suarez *loco cit. num.* 18. absolutè, & sinè distinctione, vèl declaratione prolata, meritò dicitur malesonans. Qui quidem malus sonus aliquandò prouenit ab extrinseco, quandò scilicèt non venit à propositione nudè sumpta, sed etiam ex circũstantijs personæ, loci, aùt temporis: vt hæc propositio; fides iustificat, absolutè prolata olim non male sonabat; Nùnc aùtem, ortis hæresibus, male sonat; & peius sonat, si proferetur à persona de hæresi suspecta.) Ita suarez *loco cit.* quem sequitur Alberghinus *loco cit. num.* 10. cum Ludouico à Paramo *de origine. S. Inquisit. lib.* 3. *quæst.* 3. *num.* 107.

7 In quinto gradu ponitur propositio piarum aurium offensiua à Suarez, ad quam reducitur propositio scandalosa per Ricciullum, & Alberghinum *locis citatis*; imò Ricciullus in hoc gradu ponit etiam propositionem male sonantem *loco cit. num.* 14. Et de hac propositione scandalosa, piarum aurium offensiua, & male sonante, dicit Ricciullus, (quod est illa, quæ legentibus, vèl audientibus ruinæ, siuè peccati causam, seù facilitatem ad peccandum afferre potest; etiam si errorem in fide non contineat. Veluti si quis enumeraret incommoda, quæ ex ieiunio patimur, mala, quæ inde nasci possunt; vèl si quis enumeraret cõmoda, quæ ex vsurarijs pactis in mercatura reportari possent circa diuitiarum augmentum; Hæc enim, & similia siuè falsa sint, siuè vera, ex quo homines alliciunt, & ad peccatum redeunt promptiores; meritò dicuntur scandalosa, piarum aurium offensiua, & male sonantia.) Iansen. *in concordiam Euangelic. cap.* 71. Simanch. Albertin; & Turrecremata, quos refert, & sequitur Ricciullus *loco citato*.

8 In sexto gradu sequitur propositio temeraria, est autem temeritas, vt dicit D. Thomas 2. 2. *quæst.* 53. *art.* 3. *ad* 2. præcipitatio quædam faciendi aliquid sinè iudicio, & regula rationis. Vndè propositio temeraria generalitèr dicitur illa, quæ sinè rationis regula profertur; & sùb regula rationis, etiam auctoritas compræhendenda est, cum de plerisquè rebus ratio ipsa dictat, multum ex auctoritate pendere. Itaquè propositio

tio temeraria est illa, quæ in rebus ad fidem, vèl bonos mores pertinentibus aliquid asserit, tamquam certum, quod nó potest efficacitèr probari ratione, vèl auctoritate. Vt si quis assereret, & contenderet, quod mundus finietur in tali anno, vèl in tali sæculo. Quia licèt hoc possit esse; tamen quia nulla certa ratione, vèl auctoritate probari potest, temerè asseritur, & propositio est temeraria; tùm quia assumitur prò certo, quod est dubium, Turrecrem. *in dicto cap.* 11. Albertin. *in dicta quæst. 6. num. 7.* Tùm etiam, quia temerarium satis est, rem valdè dubiam, & incertam sua velle determinatione definire argumen. *l. 3. C. de summa Trinit. & fide Catholi.* Et addit Ricciullus *in citato cap. 8. num. 12.* (Quod excusaretur ille, qui, tamquam de re dubia, in similibus suam proferret sententiam, eamq; rationibus modestè comprobaret) vt adnotauit Simāchas *dicto titulo* 54. *num.* 12.

9 In septimo gradu ponitur propositio schismatica, & seditiosa; & est illa, quæ inducit schisma, vèl diuisionem in Ecclesia V. G. si quis assereret posse eodē tempore esse duos Pontifices legitimè electos; quæ quidem propositio esset etiam hæretica, cum aduersetur articulo fidei: Vnam Sanctam Catholicam Ecclesiam; *extrauag. Vnam Sanctam de maior. et obedientia.* Vèl si quis assereret, quod Episcopus non est simplici Sacerdote superior; vèl quod malo Prælato non est obediendum; Istæ, & similes, quæ diuisiones, schismata, & seditiones parere possunt, dicuntur schismaticæ,

 & sedi-

& seditiosæ, vt ex Alphonso de Castro, Albert, & Simanch. tradit Alberghinus *loco citato numero* 13.

10 In octauo ponitur iniuriosa, & est, quæ detrahit alicui fidelium statui, vèl personæ insigni; vt sunt maledicta, quæ proferuntur contra statum Religiosorum. Et tales sunt multæ assertiones Vuicleph, & Ioannis Hus, Damnatæ in Concilio Constantiensi *sessione* 8. *et* 15. Albertin. *loco citato num.* 9. Simanch. *loc. cit. nume.* 18. Ricciullus *num.* 15. & Alberghinus *nu.* 15.

11 Nono ponitur, propositio blasphema; & est illa, per quam Deo, vèl Sanctis eius irrogatur iniuria; Quod propriè contingit, vèl cum illi tribuitur, quod ei non conuenit, vèl cum remouetur ab eo, quod illi spectat; vèl cum datur creaturæ, quod proprium est Dei. Nàm primo casu offenditur Dei misericordia; secundo læditur iustitia; & tertio Maiestas. Albertinus *loco citato num.* 13. *et sequen.* Ricciullus *loco cit. num.* 17. Alberghinus *loco cit. num.* 16.

12 Et hos quidem suprapositos gradus ponunt communitèr Doctores, qui de qualificandis propositionibus tractant. Sed quia supra multos alios ex Corduba recensuimus, & hos etiam ad exhuberantiam placet annectere, & sunt sequentes.

13 Propositio impia, duplicitèr accipitur, nempè positiuè, & priuatiuè; Positiuè, est illa quæ non est probabilis, & simul notabilitèr detrahit pietati fidei, & deuotioni fidelium. Vt asserere, quod Beata Virgo in hac vita non fuerit eleuata, per speciale priuilegium, ad cla-

ad claram visionem Diuinæ Essentiæ. Hoc enim piè creditur à fidelibus, vt tradit Vasquez *in 1. par. D. Thom. disputat. 56. cap. 2. circa finem.* Et idem dicendum, si aliquis assereret pauperes non esse subueniendos, mortuos non esse sepeliendos, prò animabus in Purgatorio existentibus non esse orandum; & similia pietati aduersantia, Ricciullus *num.* 16. & Alberghinus *num.* 14. Sæpè etiam propositio impia positiuè dicitur illa, quæ est infidelis, vèl blasphema, vèl etiam hæretica. Illa autem propositio, quæ cum sit probabilis, contrariatur tamen piæ credulitati fidelium, vèl illam negat; non tamen notabilitèr derogat pietati fidei, aùt deuotioni, non dicitur impia positiuè, sed non pia priuatiuè. Corduba *dicta quæst.* 17. §. 11.

14 Rigorosa, vèl dura propositio est illa, quæ aliquid difficile, & durum asserit sinè motiuo sufficienti, aùt non satis probabilitèr: vt si quis assereret, quod pueri sinè baptismo decedentes, pœna sensus torqueantur. Vèl quod diebus festis tenemus in statu gratiæ nos reponere; & huiusmodi rigorosæ, vèl duræ assertiones, quæ non ab omnibus Doctoribus improbantur. Corduba *loco citato* §. 12.

15 Infidelis propositio est illa, quæ paganorum infidelitatem enunciat, vèl sonat: vt asserere, quod sunt plures Dij; Quod Deus hæc inferiora, & terrena non curat; Quod in altera vita erit vsus ciborum, ac mulierum, & huiusmodi infidelium asserta. Corduba *loco citato* §. 16.

16 Per-

16 Perfida propositio est illa, quæ infidelitatem cum Iudaica perfidia coniungit; nàm & ipsi Iudæi perfidi sunt, atquè dicuntur. Vndè asserere, quod Christus non dùm venit, & quod lex vetus obligat, & huiusmodi, dicuntur, & sunt propositiones perfidæ, ita cum Caietano tenet Corduba *loco citato* §. 17.

17 Propositio insana, & stulta est illa, quæ omninò irrationabilis est, & de ratione læsa, aùt deprauata, seù non bene sana procedere videtur; vèl quæ contra manifestam rationem rectam, seù contra communem animi conceptionem continet, quod in rectum sensum vix cadere potest. Vt dicere, quod sexta feria Hebdomadæ Sanctæ non est ploranda Passio Domini nostri Iesu Christi, sed solùm lætandum intus, & foris; & quod opus bonum ex infusa charitate factum, non sit propter Deum, sed ex proprio interesse; quæ cum alijs similibus propositionibus, vt insanæ condemnatæ sūt contra Illuminatos, vt notat Corduba *loco cit.* §. 18.

18 Propositio crudelis est, quæ horrorem generat apud audientes, ex crudelitate, quæ contra rectam affectionem naturalem sonat in materia Theologicâ, vèl morali; vt asserere, quod non debemus curare de Animabus existentibus in purgatorio, sed eas relinquere, vt patiantur secundùm Dei Iustitiam, vt Deus vult. Hæc enim propositio cum similibus, vt crudelis damnata est contra Illuminatos, ait Corduba *loco cit.* §. 19.

19 Propositio periculosa est illa, quæ absolutè, & gene-

generalitèr dicit, licitum esse, àc fieri posse id, quod non nisi vix ab aliquibus, & cum multis circumstantijs, fieri potest; vt dicere, quod sinè ieiunijs, & mortificationibus homo potest esse Perfectus, vèl quod non est curandum contra tentationes pugnare, aùt malas cogitationes repellere. Istæ, & similes propositiones, vt periculosæ, & scandalosæ, & etiam vt temerariæ, & erroneæ condemnatæ sunt contra Illuminatos. Corduba *loco cit.* §. 21.

20 Propositio præsumptuosa, vèl arrogans est illa, quæ sinè sufficienti ratione, vèl probabili, affirmat, aliquem de facto habere, vèl posse habere id, quod communitèr est supra humanas vires, vèl supra legem communem, vt asserere, quod existens in mundo vxoratus, & cum possessionibus, & diuitijs, est aùt esse potest, tàm liber à curis mundi, & à peccatorum occasionibus, & tanta animi quiete Deo seruire potest, sicùt in Religione. Vèl, quod tàlis homo videt cor alterius, tàm clarè, vt manum suam. Istæ, & similes propositiones vt præsumptuosæ, & arrogantes, & alitèr etiam qualificatæ, condemnatæ sunt contra Illuminatos. Item dicere quod ipsi reuelantur multa secreta Diuinitùs, & aliorum cogitationes, quodquè ipsi apparent Animæ purgatorij petentes auxilium. Corduba *loco cit.* §. 25. vbi addit quod propositio præsumptuosa dicitur temeraria; & è conuersò.

21 Propositio phantastica est illa, quæ potiùs per phantasiam, vèl per imaginationem fit, quàm per rationem,

tionem, vèl per auctoritatem, verà, aùt probabilis ostendatur, vt si aliquis asseretet, quod Animæ purgatorij in die animarum, appareant suis benefactoribus particularibus, gratias agentes pro suffragijs, quibus à Purgatorij pœnis sunt liberatæ. Huiusmodi sunt quædam diuinationes, quæ à Chiromanticis, à Kabbalistis, à Geomanticis, Idromanticis, & similibus, absquè vlla ratione, & auctoritate, sed phantasticis quibusdam coniecturis, & signis componuntur. Ita colligitur ex Corduba *loco cit.* §. 26.

22 Propositio superstitiosa est, quæ superstitionē asserit, vèl enunciat; quæ multiplex esse potest, sicut etiam superstitio multiplex est. Idem Corduba *loco cit.* §. 27. qui etiam addit §. 28. Quod sunt aliæ species propositionum; Nàm quædam dicitur vana, quædam scrupulosa, quædam irreuerens, aùt honoris, & dignitatis derogatoria, & huiusmodi secundùm causas, vèl affectus suos; quæ quidem ad prædictas qualitates facilè reduci possunt.

23 Et omnes suprapositas qualificationes, ex Cōcilijs, & vniuersitatibus Doctorum scholasticorum, ex processibus Inquisitorum hæreticæ prauitatis, prædicto modo eas qualificantibus, desumptas esse testatur, idem Corduba *in fine prædictæ quæstionis* 17.

24 Demùm in huiusmodi propositionum qualificatione aduertunt Doctores, quod supradicti gradus, qui propositionibus peccantibus assignantur, non sunt ita ab inuicem distincti, àc separati, vt vni, & eidē

propo-

propositioni conuenire non possit. Imò sæpè contingit, quod eadem propositio sit simul hæretica, erronea, temeraria, blasphema, præsumptuosa &c. Ita Alphonsus de Castro *libro* 1. *de iusta hæreticorum punitione capit.* 3. Corduba dicta *quæst.* 17. §. 28. Simanchas *titulo* 24. *numero* 19. Albertinus *quæst.* 6. *numero* 27. Suarez *dicta disputat.* 19. *de fide. sect.* 2. *numero* 21. vbi exemplum affert de illa propositione in Concilio Basiliens. *sess.* 22. damnata. Christus quotidiè peccat; hæc enim propositio erronea, scandalosa, & piarum aurium offensiua nominatur. Itaquè plures gradus qualificationis vni, & eidem propositioni conuenire possunt; quod etiam confirmat Ricciullus *de Iure personarum libro* 5. *cap.* 8. *in fine*, & Alberghinus *in suo manuali qualificat. cap.* 12. *numero.* 17. vbi exemplum ex Castro desumptum affertur. Vna enim ex pestiferis propositionibus Vuicleph hæc est. Religiosi, viuentes in Religionibus priuatis, non sunt de Religione Christiana. Hæc propositio est simùl hæretica, scandalosa, temeraria, schismatica, & iniuriosa. Hæretica, quia contra vniuersalis Ecclesiæ definitionem sentit. Scandalosa, quia homines ab ingressu Religionum auertit; & Professis, vt vota, quæ Domino vouerunt, non reddant, suadet. Temeraria, quia nulla prorsus ratione, vèl auctoritate fulcitur, imò omnium Sanctorum Virorum turbæ contradicit. Schismatica, quia Ecclesiæ vnitatem scindit, àc diuidit; Cum Religiosos ab illa separet; Ac demùm iniuriosa est, quia omnibus

Religionibus, ac illorum Religionis iniuriam affert.

25 Et hæc de propositionum qualificatione dicta sufficiant prò cognoscenda qualitate propositionum, quæ in assertis reuelationibus continentur; Si forsitan aliqua earum censura sit digna.

Hæ sunt ò, carissimæ Theophile, septem propositiones, seù Reuelationes, quas vt tibi consulerem, mihi tradidisti, Videlicèt;

1 ESSERE STATA PREDESTINATA AVANTI, E PIV DI TVTTI GL'ELETTI, ECCETTO LA BEATA VERGINE.

2 E ASSICVRATA DEL GRAN DONO DELLA PERSEVERANZA, ET IL SIGNORE DICE, COM'E IMPOSSIBILE, CH'ESSO SIGNORE SI PERDA, COSI E IMPOSSIBILE, CHE SI PERDA LA DILETTA.

2 GENERATA (EX ILLICITA COPVLA,) ET SANTIFICATA IN VTERO MATRIS COME S. GIO BATTISTA, POCO DOPPO L'ANIMATIONE.

4 RAPITA NEL CIELO PIV VOLTE, E PER TEMPO NOTABILE, HA VISTA LA DIVINA ESSENZA, NEL MODO COME LA VEDONO I BEATI, E PIV PERFETTAMENTE DI S. PAOLO, O ALTRO SANTO, CHE VIATORE HABBIA HAVVTO QVESTO PRIVILEGIO, ECCETTO LA B. VERGINE.

5 CH'E IMPECCABILE, SENZA HAVER

MAI

MAI PECCATO MORTALMENTE, NE VENIALMENTE, NE OMBRA DI PECCATO.

6 LA SVA GRATIA CONFERITALE E TANTA, CHE DOPPO LA VERGINE NE HA HAVVTO PIV DI TVTTE LE PERSONE, CHE SONO STATE, E SARANNO.

7 CHE IL SIGNORE LE HA DATO TANTO AMORE, QVANTO NE PVO DARE VN DIO.

Hæ autem, an ſint à Deo, an à dæmone ex dictis viſum eſt; & vltro patebit in ſequenti Tractatu.



DE DIVINIS REVELATIONIBVS.

TRACTATVS SECVNDVS

In quo discutiuntur Propositiones in propositis Reuelationibus contentæ.

DISCVSSIO PRIMA.

In qua excutitur prima Reuelationis spica eiusquè Propositio discutitur.

1 PRima Propositio asserit: ESSERE STATA PREDESTINATA AVANTI, E' PIV DI TVTTI GL' ELETTI, ECCETTO LA BEATA VERGINE. Duo continet hæc Propositio, primum est: ESSER STATA PREDESTINATA; & secundum: AVANTI, E PIV DI TVTTI GL'ELETTI, ECCETTO LA BEATA VERGINE. Expendamus primò Primam partem asserti, in quo dicit: ESSER STATA PREDESTINATA. Opus Dei est hoc; ipse namquè Deus est ille, qui, vt ait Apostolus, Prædestinauit nos in adoptione per Iesum Christum, in ipsum, secundum pro-

propositum voluntatis suæ *Ephes. cap.* 1. *ver.* 5. At quis nouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit, vt possit asserere, se esse in numero prædestinatorum? (Quis enim, ait D. Augustinus *lib. de corrept. & grat. cap.* 13. Quis enim ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate viuitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat?) Nec immeritò D. Augustinus hoc arcanum omnibus ignotum esse affirmat; Nàm & ipse Apostolus, qui raptus ad tertium Cœlum, audiuit arcana verba; exclamat: Quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. *Rom. cap.* 11. Et in hac secretorum Dei obscuritate positus Ecclesiast. dixit: Nescit homo, vtrum amore, an odio dignus sit; sed omnia in futurum seruantur incerta *cap.* 9. *versu* 1.

2 Et quam certitudinem sibi homo de sua prædestinatione promittere potest, cum nemo de sua iustitia sit securus? Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato: ait Salom. *Prou. cap.* 20. Vbi notat Beda Venerabilis, quod Salomon non dixit, neminem esse mundum corde, & purum à peccato; quia multi possunt esse mundi, & immaculati per gratiam Dei, de quibus Psalmista: Beati immaculati in via. *psal.* 118. & multi etiam per Dei Gratiam possunt habere cor mundum; & de istis Dominus *Matt. cap.* 5. ait: Beati mundo corde; sed dixit Salomon, quod nemo potest dicere, àc de se asserere, quod habeat cor mundum, & quod sit purus à peccato; quia omnia in

futu-

futurum seruantur incerta. Et quis de sua iustitia potest esse securus. Cum & Ioel Propheta, postquàm ad conuersionem, & ad omnes actus pœnitentiæ nos inuitasset, postquàm Dei misericordiam, benignitatem, & patientiam exagerasset, adhuc tamen reliquit in forsitan nostram salutem. Conuertimini ad me, exclamat S. Propheta, in toto corde vestro, in ieiunio, in fletu, & planctu, & scindite corda vestra, & conuertimini ad Dominum Deum vestrum; quia benignus, & misericors est, & patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia; Quis scit si conuertatur, & ignoscat &c. *Ioel cap.* 2. *ver.* 12. Si igitur post veram conuersionem ad Deum, post tot actus pœnitentiæ, post tàm magnam Diuinæ misericordiæ exagerationem, adhuc sumus in dubio si ipse ignouerit, an non. Quis de sua prædestinatione certus vnquàm esse poterit?

3 Adde, quod libertas nostræ voluntatis, & vertibilitas nostri liberi arbitrij nullam certitudinem super hoc habere nos sinit. Qui enim hodiè stat per Dei gratiam; manè per suam libertatem decidere potest; & qui hodiè per suam fragilitatem in puluere iacet; manè per Dei gratiam surget, & stola iustitiæ induetur. Ad vtrumque enim liber est. Et cum auerterit se iustus à iustitia sua, ait Dominus per Ezechielem, & fecerit iniquitatem, morietur in eis, & in iniustitia sua, quam operatus est, morietur. Et cum auerterit se impius ab impietate sua, quam operatus est; & fecerit iudicium,

& iusti-

& iustitiam, ipse Animam suam viuificabit. *Ezech. cap. 18. ver. 26.* Nèc iustus de sua iustitia, dùm adhùc viuit, præsumere potest, quod semper, & vsquè in finem erit iustus; Nèc impius de sua iniquitate desperare, quod in ipsa moriturus sit; semper enim dùm viuimus inter timorem cadendi, & inter spem resurgendi ambulare debemus, nèc vnquam ab hoc tramite deuiare. Ad quod ipse Dominus nos inuitat, sic per Ezechielem se nobiscum protestans: Etiam si dixero iusto, quod vita viuet, & confisus in iustitia sua fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius obliuioni tradentur; & in iniquitate sua, quam operatus est in ipsa morietur. Si autem dixero impio, morte morieris; & egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritquè iudicium, & iustitiam; & pignus restituerit ille impius, rapinamquè reddiderit, in mandatis vitæ ambulauerit; nèc fecerit quicquàm iniustum, vita viuet, & non morietur. Omnia peccata eius, quæ peccauerit, non imputabuntur ei: Iudicium, & iustitiam fecit, vita viuet. *Ezech. cap. 33. versu 13. & seq.*

4 Dominus est, qui hìc loquitur, & ipse affirmat, quod si ipsemet ore suo loquatur ad iustum, & dicat ei, quod vita viuet, & ipse iustus in sua iustitia confisus, fecerit iniquitatem; alloquutione Diuina non obstante, in iniquitate, quam operatus est morietur. Et è conuerso si ipsemet Deus ore suo dixerit impio: morte morieris; & ipse egerit pœnitentiam de iniquitate sua, nèc fecerit quicquam iniustum &c. non obstante,

quod ipsemet Deus loquutus sit; vita viuet, & non morietur. Vbi clarè ostendit Deus, quod quandiù sumus in hac vita, nemo de sua salute confidere potest, cum vertibilitas liberi arbitrij ad vtrumquè se habeat; & si modò auxilio Dei resurgit; paulò post sua debilitate corruit.

5 Manet igitur in abysso secretorum Dei hoc profundum prædestinationis arcanum obsignatum; & eos, qui de se aliquid præsumunt circa prædestinationem, meritò cum anathematizatis ab Ecclesia connumerare debemus. Martinus namquè Bucerus, Petrus Martyr, Ioannes Caluinus, & Kemnitius, vt tradit Bellarminus, fuerunt in hac hæresi, quod quisquè fidelis de sua prædestinatione debet esse securus; & qui de sua salute hæsitationem habet, fidelis non est apud ipsos. Sic enim ait Caluinus *in lib. 3. instit. cap. 2. §. 16.* Verè fidelis non est, nisi, qui solida persuasione Deum sibi propitium persuasus, de eius benignitate omnia sibi pollicetur, nisi qui Diuinæ erga se beneuolentiæ promissionibus fretus, indubitatam salutis expectationem præsumit. Ita Caluinus relatus à Bellarmino *lib. 3. de iustific. cap. 12. tom. 4. controuer.* Et contra præfatos hæreticos statuit, & decreuit Sacrosanctum Concilium Tridentinum *sess. 6. cap. 12.* His verbis: (Nemo quoque quãdiù in hac mortalitate viuitur, de Arcano Diuinæ prædestinationis mysterio, vsquè adeò præsumere debet, vt certò statuat, se omninò esse in numero prædestinatorum; quasi verum esset, quod iustifica-

tus, aùt ampliùs peccare non poſſit, aùt ſi peccauerit, certam ſibi reſipiſcentiam promittere debeat: Nàm niſi ex ſpeciali reuelatione ſcire non poteſt, quod Deus ſibi elegerit.) Et *can.* 15. *in eadem ſeſſ.* Anathematizat eos, qui in hoc errant: (Si quis dixerit hominem renatum, & iuſtificatum teneri ex fide ad credendum, ſe certò eſſe in numero prædeſtinatorum, anathema ſit.) Quo anathematis mucrone Caluini, eiuſq; ſequaciuũ hæreſis ſuprapoſita confoſſa fuit. Cum igitur præfata mulier in prima parte ſuæ propoſitionis aſſerat: ESSER STATA PREDESTINATA; niſi ſuum dictum aliquo fulcimento ſuſtentet, corruere certè poſſet in hæreſim Buceri, Caluini, àc ſimilium.

6 Sed adhùc eius pronunciatum perſiſtit abſquè labe, & hæreſis nota, attenta reuelatione. Ipſa namquè aſſerit hoc per reuelationem habere; & Concilium Tridentinum *loco citato.* eximit à cenſura id, quod ſcitur per reuelationem, dicens. Nàm niſi ex ſpeciali reuelatione ſciri non poteſt, quod Deus ſibi elegerit. Sed præfata mulier aſſerit, quod habet ex Reuelatione, ergo non errat.

7 Eſto, quod ipſa talem reuelationem habuerit; Poteſt namquè Deus hoc facere, & de facto cum multis hoc egit; Abrahæ enim fuit reuelata ſua prædeſtinatio. *Gen. cap.* 15. Noli timere Abraham: Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis; Moyſi etiam fuit reuelata. *Exodi cap.* 33. Inueniſti gratiam coràm me: Ego oſtendam tibi omne bonum; Heliæ

paritèr

pariter Prophetæ fuit reuelatum, quod esset tollendus de medio, & collocandus in loco beatiori, vt patet 4. *Reg. cap.* 20. De Beatissima autem Virgine Maria Domina nostra, nulli dubium est, quin fuerit etiam ei reuelata sua prædestinatio, cui dictum est ab Angelo: Aue gratia plena;& inuenisti gratiam apud Deum. Apostolis etiam fuit idem reuelatum, nam *Lucæ cap.* 10. dicitur illis à Christo: Gaudete autem,quia nomina vestra scripta sunt in Cœlo; & etiam S. Paulo, vt patet *Rom.cap.*8. Certus sum enim, quia nequè mors, neque vita poterit nos separare à charitate Christi. Et 2. *Timot. cap.* 4. Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus, in illa die iustus Iudex. Alijs etiam Sanctis fuit reuelata sua prædestinatio, vt constat dè Seraphico Patriarcha Francisco;sed,quia de supradictis solùm loquitur Sacra Scriptura,de ipsis cõtenti sumus,ad ostendendum, quod hoc Deus aliquãdò reuelauit. Esto igitur, vt aiebam, quod ista mulier per reuelationem habuerit se esse prædestinatam; Certum est, quod qui reuelauit primam partem propositionis, reuelauit & secundam. Examinemus igitur postremam partem sui asserti, vt hinc qualitas totius propositionis eluceat.

8 ESSER STATA PREDESTINATA AVANTI, E PIV DI TVTTI GL'ELETTI, ECCETTO LA BEATA VERGINE; Hæc est secunda pars: AVANTI, E PIV DI TVTTI GL'ELETTI. Magna, & admiranda dignitas huius creaturæ, vt omnibus

bus præferatur electis, vna nēpè Dei Genitrice excepta. Sed quia paucis, imò tātùm duobus verbulis magna, & maxima inuoluit, ppēdamus singillatim sua verba.

9 Et primò illud aduerbium, seù illam propositionem: AVANTI. quod significat prioritatem; Quæ quidem prioritas, iuxtà Theologorum phrasim, consistit in quibusdam signis rationis, quæ assignantur in ordine prædestinationis; & sic explicantur: In primo signo fuit prædestinatus Christus, qui est Caput, & Primogenitus omnium prædestinatorum; vt communitèr omnes Theologi docent; & multis auctoritatibus, & rationibus probat Petrus Trigosus *par. 1. quæst. 18. art. 6. dub. 4. conclus. 1.* Secundum locum inter omnes prædestinatos tenet B. Virgo Maria, ipsius Iesu Christi Mater; quod idem Trigosus *loco citato in 2. conclusione* affirmat, & probat ratione, & auctoritate S. Bernardini Senensis *serm. 51.* vbi ait: (Tu autem antè omnem creaturam in mente Dei prædestinata fuisti.) Quæ verba S. Bernardinus Ex D. Anselmo desumpsit. Et alij Sancti, & Doctores hoc idem asserunt; cum nèc rationi, nèc pietati fidei repugnet; imò, & rationi, & pietate fidei maximè consonum sit. Post Beatam Virginem autem immediatè sunt Apostoli, vt asserit D. Thomas infra citandus: ait namquè. (Manifestè enim patet ex verbis istis, quod Apostoli habent gratiam maiorem, quam aliqui alij Sancti post Christum, & Virginem Matrem.) Et in hoc signo ponit Catherinus eximiè prædestinatos, vt Apostolos, &

alios

alios insignis Sanctitatis homines *lib.* 1. *de prædest. Dei cap. vltimo;* & *lib.* 3. *cap.* 1. *et* 2. relatus à Vasquez *in primam partē D. Thomæ disput.* 90. *cap.* 1. *num.* 3.

10 Sed quidquid sit de illo ordine, quem Catherinus posuit in prædestinatione, certum est quod Christus est caput corporis Ecclesiæ; sic enim ait Apostolus: Ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est Principium, Primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum gerens. *Coloss. cap.* 1. *ver.* 18. Caput igitur corporis Ecclesiæ, Christus est; membra autem huius corporis mystici, non indistinctè, & confusè, sed ordinatè disponi debent; & ita ea disposuit Paulus. 1. *Corint. cap.* 12. *ver.* 27. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro; & quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia; primùm Apostolos, secundò Prophètas; tertiò Doctores, deindè Virtutes &c. En quomodò membra quæ coalescunt in mysticum Christi corpus, ordinatè disposita sunt, & vnumquodquè suum sortitur locum; & primum locum obtinent Apostoli, secundum Prophètæ, tertium Doctores &c. Idem ostendunt, & probant illa eiusdem Pauli verba ad Ephesios: Estis ciues Sanctorum, & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophètarum, ipso summo angulari lapide Christo, Iesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in Tēplum Sanctum in Domino, in quo vos coædificamini in habitaculū Dei, in Spiritu Sancto *Ephes. cap.* 2. *ver.* 20. & *seq.* & *cap.* 4. *ver.* 11. Replicat: Et ipse dedit

dit

dit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophêtas, alios verè Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Ex quibus D. Pauli auctoritatibus clarè colligitur ordo, quem tenent electi in corpore mystico Saluatoris.

11 Si igitur prædestinato capite huius corporis mystici, prædestinata sunt, & cætera membra, rectus ordô dispositionis expostulat, vt membra, sicuti ordinata sunt in corporis constitutione, ita etiam sint ordinata & in prædestinatione; nulla enim ratio dictat, quod prius ordine prædestinetur illud membrum, quod magis distat à capite, quam illud, quod magis capiti appropinquat; Sed membra, quæ magis, capiti appropinquant, sunt Apostoli, Prophètæ, Euangelistæ, Doctores, &c. Sicut enumerat Apostolus; Ergo post Christum, & eius Virginem Matrem; isti qui magis capiti appropinquant fuerunt primi in ordine prædestinationis: Similem rationem, per quandam analogicam inductionem affert Ambrosius Catherinus *lib. 3. de prædestinatione Dei cap. 1.*

12 Simile argumentum desumitur ex illa alia auctoritate Pauli superius allata, in qua Ecclesiam fidelium Templo comparat; Ibi enim firmato summo angulari lapide, qui est Christus Iesus, & iactis fundamentis; quæ sunt Apostoli, & Prophètæ; super hæc fundamenta construens Ecclesiæ Spiritualis fabricam,

alios

alios lapides disponit, dicens: In quo vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu Sancto; Iuxtà illud D. Petri: Et ipsi tamquàm lapides viui superædificamini Domus spiritualis, Sacerdotium Sanctum, 1. *Petri cap.* 2. *ver.* 5. In prædestinatione igitur spiritualis huius fabricæ rectus ordo requirit, vt primò eligatur summus lapis angularis, in quo omnis ædificatio construitur, & crescit; de hinc fundamenta, quæ molis pondus debent sustinere; & postremò suus cuiquè lapidi locus destinatur; Sed fundamenta huius mystici Templi sunt Apostoli, & Prophètæ, vt docet Paulus; ergo ipsi post Christum, & eius Virginem Matrē fuerunt electi, & prædestinati à Deo. Et nullus alius antè ipsos. Et prò hac ratione stat Catherinus, qui considerans verba illa Pauli 2. *Timot. cap.* 2. *vers.* 19. sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculū hoc; cognouit Dominus, qui sunt eius &c. Sic ait: (Firmum, inquit, fundamentum Dei stat. Quod est ergò fundamentum, quod stat, nisi Christus, & qui illi proximi Patriarchæ, Prophètæ, Apostoli, super quibus ædificantur, & cæteri? Sicut de illis testatur: Superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophètarum, Hoc ergò est fundamentum, quod stat, isti primi sùb Christo, hi electi in illo antè constitutionem mundi.) Hæc Catherinus *lib.* 3. *de prædestinat. cap.* 1.

13 Hinc colligitur, quod illa particula posita in asserta reuelatione, ostendens istam mulierem prædestina-

ſtinatam antè omnes electos, excepta Beata Virgine, non poteſt ſinè cenſura tranſire; cum repugnet auctoritati Sacræ Scripturæ.

14 At quia non ſolùm antè, ſed pluſquàm omnes Electos ſe prædeſtinatam aſſerit, dicens: ESSER STATA PREDESTINATA AVANTI, E PIV DI TVTTI GL'ELETTI Expendamus, & iſtam particulam, idest, E PIV. Hic terminus, E PIV, denotat quemdam exceſſum ſupra omnes alios poſitos in comparatione; Et cum in comparatione ſint omnes Electi ex vna parte, inter quos Electos ſunt Apoſtoli, Prophètæ, Euangeliſtæ, Doctores, Patriarchæ, & omnes alij tàm Veteris, quàm Noui Teſtamenti; Et ex altera parte ſit ipſa ſola, quæ iuxtà ſuum aſſertum fuit prædeſtinata, PIV DI TVTTI GL'ELETTI, clarè liquet exceſſus, quem ipſa habet ſuper Apoſtolos, Prophètas, Euangeliſtas, Patriarchas, & omnes alios Electos. Et hic exceſſus, vèl ſe tenet ex parte Dei prædeſtinantis, vèl ex parte prædeſtinationis, vèl ex parte termini prædeſtinationis, nempè gloriæ, ad quã ſe aſſerit prædeſtinatam.

15 Si ille exceſſus ſe tenet ex parte Diuinæ voluntatis, facit hunc ſenſum, quod Deus plus, ſeù magis voluit ipſam, quam omnes alios Electos tàm veteris, quàm Noui Teſtamenti; ex quo deducitur, quod plus, & magis voluit ipſam, quàm Apoſtolos, Prophètas, & reliquos, qui myſticum Chriſti Corpus conſtituunt; ergo magis ipſam, quàm myſticum Chriſti Corpus;

ergo

ergo magis ipsam, quàm Ecclesiam, quæ ex omnibus Electis constituitur; ergo magis ipsam, quàm Ioannē Baptistam, qui cum sit Præcursor Christi, & vox Verbi, habet relationem ad ipsum, sicut Præcursor ad Principem, & sicut vox ad verbum; ergo magis voluit ipsam, quàm Abraham, & Dauid, de quorum semine natus est Christus; magis ipsam, quàm Ioseph, quàm Ioachim, & Annam, hì Parentes, ille Sponsus Matris Christi. Et quis tàm insanæ mentis reperiri potest, qui audeat asserere, quod tot, & tàm præclaræ Sanctitatis viri, qui ad tàm excelsum ministerium à Deo sunt electi, vt scilicèt Christo deseruirent, vèl vt Progenitores, vèl vt Pater, licèt Putatiuus, vèl vt Precursor, vèl vt Ministri, huic mulierculæ à Deo in prædestinatione sint posthabiti?

16 Audiamus quid de Præcursore dicit Veritas ipsa. Maior inter natos mulierum Prophèta Ioanne Baptista nemo est, *Lucæ cap. 7. ver. 28*. Et irrefragabile est hoc testimonium. Hic est ille, de quo Angelus ad Zachariam Patrem eius dixit: Erit magnus coràm Domino; & Spiritu Sancto replebitur, adhùc in vtero Matris suæ; & multos Filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum, & ipse præcedet illum in spiritu, & virtute Eliæ. *Lucæ cap. 1. ver. 15. et sequ.* Hic est ille, de quo prædixerant Isaias, & Malachias Prophètæ, Imò Dominus per ipsos; vt Marcus testatur: Ecce ego mitto Angelum meum antè faciem tuā, qui præparabit viam tuam antè te. *Mar. cap. 1. ver.*

2. Et quis huic Ioanni tot, tantisquè Spiritus Sancti præconijs celebrato, se audebit comparare, imò, & præferre?

17 Et quid de Apostolis dicam? (Audiamus Paulum: Elegit nos in Christo, ait ipse, antè mundi constitutionem, vt essemus Sancti, & Immaculati in conspectu eius in charitate. *Ephes. cap.* 1. *ver.* 4. vbi illa particula: Antè mundi constitutionem, ostendit quandam ordinis præeminentiam; sicut illa verba Christi apud Ioannem *cap.* 17. *ver.* 24. Quia dilexisti me antè constitutionem mundi. Audiamus quid de ipsis prædixerit Spiritus Sanctus per os Dauid: Prò Patribus tuis nati sunt tibi Filij, constitues eos Principes super omnem terram. *Psal.* 44. *uer.* 17. De Apostolis hìc loquitur Dauid, ait D. Chrisostomus *hom. in Psal.* 44. De Apostolis paritèr loquitur *in Psal.* 18. Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum; vbi Cœli vocantur Apostoli; quia sicut Cœli suo rotatu totum perlustrant orbem; ita & ipsi totum orbem peragrantes eorum Doctrina illustrarunt; iuxtà illud, quod subiungit: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum *ibid. uer.* 5. De Apostolis loquitur idem Psalmista vbi ait: Nimis honorificati sunt amici tui Deus; nimis confortatus est principatus eorum *Psal.* 138. *uer.* 17. Omnes istas auctoritates, vltrà communem sensum totius Ecclesiæ, quæ de Apostolis eas intelligit, plures Sancti Doctores de Apostolis prædictas esse affirmãt,

sic

sic etiam illa verba: Fundamenta eius in montibus Sanctis *in Psal.* 86. De Apostolis prædicta esse intelligit D. Augustinus *in expositione in Psal.* 86. & meritò Fundamenta Ecclesiæ vocantur Apostoli, & Prophetæ, iuxtà illum Pauli contextum supra adiunctum: superædificati super fundamētum Apostolorum, & Prophetarum *Ephes. cap.* 2. *uer.* 20. quia eorum auctoritas portat infirmitatem nostram, ait Augustinus, & hic notandum est; quod fundamenta Ecclesiæ posita sunt in montibus sanctis; quia Apostoli, qui sunt fundamenta Ecclesiæ, super alios Sanctos, qui montibus Sanctis comparantur, sunt eleuati; Et ad tantam sanctitatem sunt euecti, tamquè copiosum gratiæ, & gloriæ munus sunt assequuti, quod D. Thomas, temerarium, & quasi erroneum putat alios Sanctos illis comparare; sic enim ait Angelicus, Exponens illa verba Pauli ad Ephes. *cap.* 1. *uer.* 1. Secūdùm diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis. Idest explicat D. Thomas. (Idest abundantius fuit, quàm in alijs. Ex quo apparet temeritas illorum, vt non dicam error, qui aliquos Sanctos præsumunt comparare Apostolis in gratia, & gloria; manifestè enim patet ex verbis istis, quod Apostoli habent gratiam maiorē, quàm aliqui alij Sancti post Christum, & Virginem Matrem.) Hæc D. Thomas; & infrà hoc confirmat ex Apostolo *ad Rom. cap.* 8. dicente: Nos ipsi primitias spiritus habentes; cum Glosa, quæ addit: (Tempore prius, & cæteris abundantius.) Vndè iterum conclu-

dit S. Doctor: (Temerarium est ergo aliquem Sanctum Apostolis comparare.)

18 Si igitur temerarium est Sanctum aliquem cum Apostolis comparare, quid dicendum est de hac muliere, quæ non solum se comparat, verùm etiam anteponit in prædestinatione omnibus electis, sola Beata Virgine excepta? apertè enim hoc asserit, dùm dicit: ESSERE STATA PREDESTINATA AVANTI, E' PIV DI TVTTI GL'ELETTI, ECCETTO LA BEATA VERGINE; vbi illa particula, E PIV, quam nunc explicamus, sonat in primo sensu, quod Deus plus, & magis voluit ipsam, quàm alios omnes electos, quamuis excellentissimæ Sanctitatis. Et quis hoc vnquàm intelligere, vèl capere potest?

19 Certum est, quod Apostoli electi fuerunt à Deo ad magnum, imò ad maximũ opus: Sic enim ait Paulus scribens ad Ephesios: Elegit nos in ipso, idest in Christo, antè mundi constitutionem, vt essemus Sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate, qui prædestinauit nos in adoptionẽ filiorum, per Iesum Christum, in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ: in laudem gloriæ gratiæ, in qua gratificauit nos in dilecto Filio suo. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius remissionem peccatorum secundùm diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis in omni sapientia, & prudentia, vt notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ, secundùm bene-

beneplacitum eius, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in Cœlis, & quæ in terra sunt in ipso. In quo etiam nos sorte vocati sumus, Prædestinati secundùm propositum eius, qui operatur omnia, secundùm consilium voluntatis suæ. Hæc Paulus *ad Ephes. cap. 1. versu 4. & sequentibus.*

20 En ex testimonio Pauli, ad quod electi, & prædestinati sunt Apostoli; vt scilicet notum faceret illis Sacramentum voluntatis suæ in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in Cœlis, & quæ in terra sunt in ipso &c. Si igitur Apostoli electi fuerunt antè mundi constitutionem ad opus tàm grande, vt est instauratio omniū in Christo, quæ sunt in Cœlis, & in terra; quomodo intelligi potest, quod Deus magis voluit prædestinatam hanc mulierem, quàm Apostolos, qui fuerunt electi; vt ait Suarez, ad generandum Christum in mentibus fidelium, & ad procreationem Filiorum Dei. *In 3. par. D. Thom. quæst. 29. art. 1. & 2. disput. 8. sect. 1.* Quomodo intelligi potest, quod Deus magis voluit hanc solam mulierculam, quàm omnes electos; & præsertim Apostolos, per quos fides Christi omnibus erat prædicanda ad instaurationem tàm Militantis, quàm Triumphantis Ecclesiæ?

21 Non est Discipulus super Magistrum, ait Christus, *Matt. cap. 10. ver. 24.* Sufficit discipulo, si sit sicut Magister eius; Si igitur Apostoli magistri fuerunt

totius orbis; Itaquod de omnibus dici potest, quod de Petro, & Paulo dixit S. Leo: (Isti sunt per quos tibi Euangelium Christi Roma resplenduit, & quæ eras magistra erroris, facta es discipula veritatis.) *Serm. 1. in Natali Apostol. Petri, et Pauli.* Sufficere debet huic mulieri, si verè discipula Apostolorum est, & veritatis, vt sit ad maiùs, sicut magistri, & se continere intra terminos æquiparantiæ, seù æquipollentiæ; At quia ipsa se extollit supra magistros, contra Christi Doctrinam; Non veritatis, sed mendacij, imò auctoris mendacij discipulam se ostendere videtur. Et hoc in primo sensu ostēdit illa particula, E PIV DI TVTTI GL'ELETTI; Quatenùs scilicèt excessus, quem significat, se tenet ex parte Dei prædestinantis.

22 Si autem talis excessus se tenet ex parte prædestinationis ipsius scilicèt actus, quo prædestinatam se asserit; & potest facere hunc alium sensum; Nimirùm, quod Deus maiori certitudine, & infallibilitate voluit ipsam prædestinatam, quàm omnes alios Electos, sola Virgine Beatissima excepta. Et si in tali sensu loquatur, videtur, quod eius propositio est in illa opinione Ambrosij Catherini, qui posuit tres ordines prædestinatorum; & primo ponit aliquos, quos ipse vocat eximiè prædestinatos; & de istis dicit, quod infallibilitèr saluabuntur; in secundo ordine ponit illos, qui non certò, & infallibilitèr sunt prædestinati; sed possunt ex arbitrij libertate, & cùm auxilijs sufficientibus, & saluari, & damnari; & demùm in tertio gradu ponit illos,

qui certò sunt reprobati. Ita ipse asserit *in lib. 3. de prædestin. Dei cap.* 1. & fusè; sed perperam nititur suam singularem opinionem probare.

23 In hac igitur opinione Catherini sistens prædicta mulier, ponit se in primo ordine; scilicèt in numero eximiè prædestinatorum; & non solùm se ponit in numero, sed etiam in capite omnium dicens, quod Deus voluit magis ipsam, idest maiori infallibilitate, & certitudine ipsam prædestinauit, quàm omnes alios eximiè prædestinatos, & etiam antè istos. Hoc enim sonant illa duo verba: AVANTI, E PIV, Vndè necesse erit asserere, dari quemdam gradum specialem maioris certitudinis, & infallibilitatis in Dei prædestinatione prò ista muliere; & per consequens debemus admittere alium ordinem prædestinatorum, vltra tres illos, quos posuit Catherinus, ad hoc, vt istius mulieris assertio verificetur. Nàm si maiori certitudine, & infallibilitate, quàm omnes alij eximiè prædestinati, ipsa prædestinata est, & antè illos; certè non est in numero, & ordine ipsorum; sed ordinem superiorem cōstituit. Vndè iterùm, & de nouo redimus ad inconuenientia superiùs impugnata. Nempè, quod ipsa excellit Apostolos, supergreditur Patriarchas, antecellit Prophètas, eminet vniuersis; quod vt temerarium, & quasi erroneum exploditur à D. Thoma, vt supra dictum est.

24 Vèl demùm excessus, quem significat illa particula, E PIV, se tenet ex parte finis, nempè gloriæ, ad

quam

quam se asserit prædestinatam. Et in hoc significatu, sua propositio facit hunc sensum: scilicet, quod Deus prædestinauit ipsam ad maiorem, ad vberiorem, & copiosiorem gloriam, quàm omnes alios electos, excepta B. Virgine; idest ad primum gloriæ gradum, qui immediatè sequitur post gloriam Beatæ Virginis. Hoc enim, in hoc tertio sensu, sonant illa verba: ESSER STATA PREDESTINATA AVANTI, E PIV DI TVTTI &c. nimirùm Deus voluit ipsam magis, & plus gloriosam in Cœlis, quàm omnes alios electos, B. Virgine excepta. Et per consequens primus gloriæ gradus, qui immediatè sequitur ad gloriam Beatæ Virginis, præparatus est huic mulieri.

25 Et si vera est sua reuelatio, non possum inuenire locum in Cœlo, in quo ipsa sessura sit; nulla enim Hierarchia, nullus Chorus eam capere potest. An fortè ipsam collocabimus inter Virgines? non, quia plusquàm ipsas ad gloriam est prædestinata. An fortè inter Martyres? non, quia plusquam ipsos ad gloriam est prædestinata. An fortè inter Prophètas, & Patriarchas? non, quia plusquam ipsos prædestinata. An fortè inter Apostolos? nèc etiam, quia ad vberiorem gloriam ipsa prædestinata est. Necesse erit igitur nouam prò ipsa sola addere Hierarchiam in Paradiso, vt saluetur eius assertum, quod si hoc repugnat auctoritati Ecclesiæ, àc communi Sanctorum consensui, sequitur, quod assertio huius mulierculæ claudicat, & suspicari potest, quod à dæmone sit reuelata.

26 Non

26 Non me latet illa doctrina, non nullorum auctorum, quod Ecclesiæ ministeria recipiunt distinctionem à fine, ad quem sunt ordinata; & cum omnia ad tres ordines reducantur, quorum primus est ordo vnionis hypostaticæ, secundus est ordo gratiæ, & tertius ordo naturæ; Ita inter se tales ordines disponuntur, quod infimum, quod reperitur in ordine hypostatico, excedit supremum in ordine gratiæ; & infimum gratiæ excedit supremum in ordine naturæ; iuxtà illud axioma communiter in scholis receptum: Infimum supremi, est supremum infimi: Et vt ait D. Dionysius Areopagita: (Infimum supremi attingit supremum infimi.)

27 Ad ministrandum in ministerijs, quæ spectant ad ordinem gratiæ, fuerunt electi, & prædestinati Apostoli, iuxtà illud: Qui, & idoneos nos fecit ministros Noui Testamenti, non littera, sed spiritu. 2. *Corint. cap. 3. ver. 6.* & alibi: sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei 1. *Corint. cap. 4. ver. 1.*

28 Ad ministrandum autem in mysterijs, quæ spectant ad ordinem hypostaticum electi, & prædestinati fuere Beatissima Virgo Mater Iesu Maria, & eius Sanctissimus, & Castissimus Sponsus Ioseph. Hi solummodò habuerunt tàm præclarum officium, & ad tàm excelsum ministerium euecti fuerunt, vt Christo deseruirent, ipsum alerent, & custodirent. Et cum hæc ministeria respiciant ordinem hypostaticum, infert, & ra-

tionabiliter Suarez, quod S. Ioseph, vt minister ordinis superioris, sit etiam superior in sanctitate, & gloria, & Apostolis, & omnibus alijs electis, post Christum, & Beatissimã Virginem. Quia licèt Ioseph sit vltimus minister in hoc ordine hypostatico; attamen, quia infimum supremi, est supremum infimi, stat Ioseph super omnes, qui sunt ministri in ordine gratiæ; cum ordo gratiæ postponatur ordine hypostatico.) Hæc sunt verba Suarez. (Nihilominùs tamẽ non existimo improbabile munus, seù ministerium Sancti Ioseph, quatenùs quodammodò est altioris ordinis, posse dici perfectius. Intelligo enim, quædam esse ministeria præcisè pertinentia ad ordinem gratiæ gratum facientis; & in hoc ordine intelligo Apostolos habuisse supremum dignitatis fastigium; & indiguisse fortaßè plurimum gratiæ, præsertim gratis datæ, & sapientiæ donis, quàm reliquos. Alia verò sunt ministeria, quæ attingunt ordinem vnionis hypostaticæ, qui ex suo genere perfectior est; vt de dignitate Matris Dei supradiximus, & in hoc ordine intelligo constitutum esse ministerium S. Ioseph, & esse veluti in infimo gradu illius; & ex hac parte excedere reliqua; tamquàm in superiori ordine existens. Vndè D. Thomas supra attentè dixit, Apostolos esse maiores officio Noui Testamenti: Officium autem Ioseph non pertinuit ad Nouum Testamentum, neque propriè ad vetus, sed ad vtriusquè auctorem, & lapidem angularem, qui fecit vtraquè vnum.) Ita Suarez *in 3. par. D. Thomæ quæst.*

29. art.

29. art. 1. et 2. disput. 8. sect. 1. in fine.

29 Et *in sect.* 2. hæc quæ sequuntur ad honorem ipsius Ioseph adiungit. (Aliqui enim pia fortasse deuotione moti, nimiùm asseuerantèr Sanctum Ioseph supra omnes Apostolos, & Angelorum Choros constituunt, vt videlicèt eo ordine, quo à *Matt. cap.* 1. nominantur Iesus, Maria, Ioseph, eodem in Cœlesti gloria sedeant, & perfectione Beatitudinis fruantur; quia officio, & dignitate, & amore fuerunt coniunctissimi. Sicut enim humanitas Christi eò abundantiorem gratiam obtinuit, quò propinquior fuit Verbo, & statim B. Virgo, quæ proxima fuit Filio; ita existimatur S. Ioseph, quasi tertium locum in abundantia gratiæ obtinuisse, quia post Virginem propinquissimè attigit Christum, familiariusquè tractauit, & singularem coniunctionem cum ipso habuit.) Hæc Suarez *loco citato.* In qua sententia est etiam Ioannes de Carthagena *tom.* 1. *lib.* 4. *hom.* 5. *et* 8. & rationibus, & auctoritatibus eam firmat.

30 Attamen, quia non desunt Doctores, qui quadam timiditate retenti, non audent Sanctum Ioseph cum Apostolis comparare, moti præsertim illa D. Thomæ expositione super illa verba *Ephes. cap.* 1. secundùm diuitias gratiæ eius &c. vbi dicit, (quod temerarium est aliquem Sanctum cum Apostolis comparare) vt supra retulimus. Idcirco ad tollendum omnem timorem adiungit idem Suarez *in eadem sect.* 2. (In hac igitur comparatione non existimo esse teme-

 rarium,

rarium, nequè improbabile, sed pium potius, & verisimile, si quis fortasse opinetur, Sanctum hunc reliquos omnes in gratia, àc beatitudie antecellere; Quia ex Scriptura nihil est, quod repugnet; nequè in Patribus aliquid reperio. Et si quæ sunt generales loquutiones, quibus Apostolos præferre videatur, intelligi possunt, facere comparationem regularitèr cum alijs Sanctis, & non excludere speciale aliquod priuilegium; & præsertim loqui de posterioribus Sanctis, non verò de ijs omnibus, qui cum Christo vixerunt, & ipsis Apostolis contemporanei fuerunt &c.) Et quibusdam interiectis, adiungit, & concludit. (Nihilominùs tamen cordati, àc prudentis hominis esse existimo, nihil temerè, aùt nimiùm assecuerantèr affirmare; quia reuera vbi deest Scripturæ auctoritas, aùt Ecclesiæ traditio, nulla potest esse sufficiens certitudo in re, præsertim ex Diuina electione, àc prædestinatione pendente, cuius consilia inscrutabilia sunt, & abditissima mysteria.) Ita in hac dubitatione concludit Suarez *sect. 2. citata*.

31 Si igitur S. Ioseph, qui fuit tot donorum priuilegijs cumulatus, ad tàm sublime priuilegium euectus, vt Matrem, & Filium Dei aleret, nutriret, custodiret, protegeret; Quia Filio Dei nomen imposuit, sicut dixit ei Angelus. Et vocabis nomen eius Iesum *Matt. cap. 1.* Qui toties Filium Dei vlnis proprijs portauit; Qui multoties per singulos dies ab eodem Filio Dei Pater appellabatur; & cuius imperio idem

Filius

Filius Dei se subdidit, dicente Luca: & erat subditus illis *cap.* 2. Si inquam Sanctus tàm priuilegiatus, tàm præclarus, tàm sublimis, àc tanta sanctitate præditus, vt solus inter omnes Filios Adæ ad hoc ministerium eligeretur à Deo, adhùc sùb lite manet, nùm Apostolis præferri debeat, an non; sed solum probabile, & verisimile existimatur, & non obstantibus tot probabilitatibus, & tot congruentijs, quæ pro parte affirmatiua militant; quia tamen nullum habemus ex Sacra Scriptura testimonium, non possumus adhùc certò asserere, quod ipse in gratia, & gloria Apostolos præcedat; & tamen talis assertio nèc Sacræ Scripturæ, nèc Sāctis Patribus repugnaret, vt benè notat Suarez, quid dicendum erit de assertione huius mulieris, quæ ipsam super omnes Dei Electos, sola Beatissima Virgine excepta, eleuat, & exaltat? ex Deo igitur potest esse talis reuelatio?

32. Videamus si hæc asserta reuelatio habeat illas conditiones, quas necessariò debent habere Cœlestes reuelationes, vt in signis, ex Turrecremata, & ex alijs desumptis in principio notauimus; vt sciamus, an sit à Deo.

33. Prima conditio est, vt reuelatio à grauibus, expertis, sapientibus, àc spiritualibus viris approbetur. Et quis sanæ mentis audiens, quod simplex muliercula sit à Deo prædestinata AVANTI, E PIV DI TVTTI GL'ELETTI, sola Beata Virgine excepta, non exhorrescit? Et si inter Electos numerantur etiam Angeli,

Angeli, magis crescit horror, quia ipsa super Apostolos, super omnes Angelos, super Cherubim, atquè Seraphim se extollit, & vniuersali propositione omnes Electos calcat. nullus certò sanæ mentis talem propositionem audire poterit sinè nausea, & sinè horrore.

34 Secunda conditio est, quod reuelatio Diuina efficit hominem humilem, flexibilem, disciplinatum; vt sit conformis sapientiæ, quæ de Cœlo est; vt sit fomentum virtutum, & mentem ad virtutes, & non ad superbiam, vanagloriam, ad præsumptionem, & similia excitet. Et ad quos effectus excitari potest hæc mulier per supradictam reuelationem? Equidèm si verè spiritum Dei habeat, humiliabit se sùb potenti manu Dei, & cum timore, àc tremore suam salutem operabitur; Et celando Diuinam gratiam, indignam se existimabit illa gloria, ad quam non sunt condignæ passiones huius temporis. At cum ipsa non abscondat, imò propalet secretum Regis; Quis non videt, quod vaneglorıæ, àc iactãtiæ, ex tali reuelatione, occasionem desumit? quis non videt, quod non sapientia Cœlesti, sed terrena, quæ carnalis est, in hac reuelatione se gerit? & quis tàm obesæ mentis est, quod non suspicetur talem reuelationem non à Deo, sed à dæmone processisse?

35 Tertia conditio est, vt in tertio signo habetur, quod reuelatio per totum contineat veritatem, sinè admixtione alicuius falsitatis. At propositio, quam hæc mulier asserit sibi reuelatam; Et si in principio appareat

pareat vera; quia potest Deus ipsam ab æterno prædestinare, & potest etiam hanc prædestinationem ipsi in tempore reuelare, sicut fecit cum alijs, vt supra notatum est; Attamen considerata, & enodata tota propositione, quoad omnes partes visum est, quod inuoluit multas falsitates, nimirùm, quod ipsa prædestinata sit AVANTI, E PIV DI TVTTI GL'ELETTI, ECCETTO LA BEATA VERGINE; quod vt ex directo oppositum Sacræ Scripturæ explosum est. Itaquè licèt hæc propositio. E STATA PREDESTINATA, possit esse vera, per falsitatem adiuncti, ipsa quoquè redditur falsa, vèl saltem suspecta de falso, quia sicut instrumentum in vna parte falsum, redditur suspectum quoad omnes eius partes *l. in fine ff. de fide instrumen.* Et testis in vno articulo falsus, redditur suspectus quoad alios. *C. Pura. 3. quæst. 9.* Sic asserta reuelatio, cum in posteriori parte diuersas includat falsitates, tota de falsitate redditur suspecta; Et per consequens non est à Deo, qui inspirator, & magister est veritatis; sed à dæmone, qui pater est mendacij, processisse videtur.

36 Quarta conditio desúmitur ex conformitate ad Sacras Scripturas, àc Sanctorum Doctrinam. Si enim Sacræ Scripturæ conformis reperitur reuelatio, vtiquè ex Deo est; Si autem Scripturis dissonat, àc Sanctis Patribus; Certè non est à Deo, sed à dæmone; vt in quarto signo supra ostensum est. Quam autem conformitatem, & consonantiam habeat hæc asserta reuelatio

cum

cum Sacra Scriptura, ex his, quæ dicta sunt vnusquisq; videre potest; dissonat enim ab ipsa toto Cœlo; àc ei apertè contradicit.

37 Quinta conditio, quæ desumitur ex probitate personæ, cum hæc mihi sit ignota, eam transeo sùb silentio. Verùm cùm sit mulier, facilitèr decipi potest, vt in quinto signo monstratum est.

38 Demùm reuelatio dignoscitur ex consideratione finis, ad quem tendit, vèl tendere potest. Non enim Deus frustra loquitur, vt ex Ezechiel. *cap. 6.* supra notaui; nèc enim frustra operatur, vt docet D. Thom. *lib. 1. de Cœlo tex. 31. & lib. 2. tex. 59.* Finis autem, ad quem directæ sunt huius mulieris reuelationes, adhùc ignoratur. Hoc solummodò notum est, quod ipsa se asserit prædestinatam antè omnes, & super omnes Dei Electos, Beata Virgine excepta; Et per consequens prædestinata est antè, & super Ioannem Baptistam; antè, & super omnes Apostolos, qui fuerunt ministri Christi in Nouo Testamento, & in his quæ pertinent ad gratiam; antè, & super Ioseph verum Sponsum Genitricis Dei, qui sicut in terra in eadem Domo cum Virgine Maria habitauit, ita nunc in Cœlo in eodem solio gloriæ simul cum ipsa sedet in anima, & in corpore, vn dicit S. Bernardinus Senensis *ser. de S. Ioseph. tom. 3. pag. 463. litt. D.* (Sicut illa, sunt eius verba, sicut illa Sancta Familia, scilicèt Christus, Virgo, & Ioseph in laboriosa vita, & amorosa gratia simùl vixerunt in terris; sic in amorosa gloria nùnc, &

cor-

corpore, & anima regnant in Cœlis.) Et Cartagena, postquàm ad honorē Sancti Ioseph multa eruditè cōtexuit, subiungit (Ex his omnibus infero, magis verè, vt opinor, quàm audactèr, excepta Beata Virgine, D. Iosephum, sicut sanctitate in Ecclesia militante, ita, & gloria in triumphanti omnes Sanctos præcellere. Sicut enim Sacri hi Coniuges dignitate, & paterno munere erga Christum, & mutuo etiam amore inter se fuerunt coniunctissimi, dùm vitam mortalem agerent, ita ad æternam fœlicitatem translati, beatitudine, & gloria propinquissimos esse decebat.) Vnde Cancellarius Parisiensis *sermone de Natiuitate Virginis*, tàm piè, quàm prudentèr dixit: (Quantus existimandus est Iustus Ioseph in gloria, & in Cælis, qui talis, àc tantus inuentus est in miseria, & in terris? profectò cum dicat Christus: vbi sum ego, illic, & minister meus erit *Ioan.* 12. *ver.* 46. ille proximior videtur collocandus in Cælis, qui in ministerio fuit vicinior, obsequentior, atquè fidelior post Mariam inuentus in terris.) & eodem sermone *Consid.* 3. sic Cecinit.

Fælix illa dies, toto celeberrima mundo.
Sacra docens læta, qua scandit ad æthera Virgo
Mater, & Angelicos Ciues supereuolat omnes
Huic tibi Virgo, Ioseph, Iesus, & tua Sponsa
Propinquum (credere fas) statuunt solium.

Et subiungit idemmet Cartagena ibidem (Equidem cum Christus Dominus dixerit, qui recipit Prophètam in nomine Prophètæ mercedem Prophètæ acci-

cum Sacra Scriptura, ex his, quæ dicta sunt vnusquisq; videre potest; dissonat enim ab ipsa toto Cœlo; àc ei apertè contradicit.

37 Quinta conditio, quæ desumitur ex probitate personæ, cum hæc mihi sit ignota, eam transeo sùb silentio. Verùm cùm sit mulier, facilitèr decipi potest, vt in quinto signo monstratum est.

38 Demùm reuelatio dignoscitur ex consideratione finis, ad quem tendit, vèl tendere potest. Non enim Deus frustra loquitur, vt ex Ezechiel. *cap. 6.* supra notaui; nèc enim frustra operatur, vt docet D. Thom. *lib. 1. de Cælo tex. 31. & lib. 2. tex. 59.* Finis autem, ad quem directæ sunt huius mulieris reuelationes, adhùc ignoratur. Hoc solummodò notum est, quod ipsa se asserit prædestinatam antè omnes, & super omnes Dei Electos, Beata Virgine excepta; Et per consequens prædestinata est antè, & super Ioannem Baptistam; antè, & super omnes Apostolos, qui fuerunt ministri Christi in Nouo Testamento, & in his quæ pertinent ad gratiam; antè, & super Ioseph verum Sponsum Genitricis Dei, qui sicut in terra in eadem Domo cum Virgine Maria habitauit, ita nunc in Cœlo in eodem solio gloriæ simul cum ipsa sedet in anima, & in corpore, vn dicit S. Bernardinus Senensis *ser. de S. Ioseph. tom. 3. pag. 463. litt. D.* (Sicut illa, sunt eius verba, sicut illa Sancta Familia, scilicèt Christus, Virgo, & Ioseph in laboriosa vita, & amorosa gratia simùl vixerunt in terris; sic in amorosa gloria nùnc, &

cor-

corpore, & anima regnant in Cœlis.) Et Cartagena, postquàm ad honorē Sancti Ioseph multa eruditè cōtexuit, subiungit (Ex his omnibus infero, magis verè, vt opinor, quàm audactèr, excepta Beata Virgine, D. Iosephum, sicut sanctitate in Ecclesia militante, ita, & gloria in triumphanti omnes Sanctos præcellere. Sicut enim Sacri hi Coniuges dignitate, & paterno munere erga Christum, & mutuo etiam amore inter se fuerunt coniunctissimi, dùm vitam mortalem agerent, ita ad æternam fœlicitatem translati, beatitudine, & gloria propinquissimos esse decebat.) Vnde Cancellarius Parisiensis *sermone de Natiuitate Virginis*, tàm piè, quàm prudentèr dixit: (Quantus existimandus est Iustus Ioseph in gloria, & in Cælis, qui talis, àc tantus inuentus est in miseria, & in terris? profectò cum dicat Christus: vbi sum ego, illic, & minister meus erit *Ioan. 12. ver. 46*, ille proximior videtur collocandus in Cælis, qui in ministerio fuit vicinior, obsequentior, atquè fidelior post Mariam inuentus in terris.) & eodem sermone *Consid. 3.* sic Cecinit.

Fœlix illa dies, toto celeberrima mundo.
Sacra docens læta, qua scandit ad æthera Virgo
Mater, & Angelicos Ciues supereuolat omnes
Huic tibi Virgo, Ioseph, Iesus, & tua Sponsa
Propinquum (credere fas) statuunt solium.

Et subiungit idemmet Cartagena ibidem (Equidem cum Christus Dominus dixerit, qui recipit Prophètam in nomine Prophètæ mercedem Prophètæ acci-

cum Sacra Scriptura, ex his, quæ dicta sunt vnusquisq; videre potest; dissonat enim ab ipsa toto Cœlo; àc ei apertè contradicit.

37 Quinta conditio, quæ desumitur ex probitate personæ, cum hæc mihi sit ignota, eam transeo sùb silentio. Verùm cùm sit mulier, facilitèr decipi potest, vt in quinto signo monstratum est.

38 Demùm reuelatio dignoscitur ex consideratione finis, ad quem tendit, vèl tendere potest. Non enim Deus frustra loquitur, vt ex Ezechiel. *cap. 6.* suprà notaui; nèc enim frustra operatur, vt docet D. Thom. *lib. 1. de Cœlo tex. 31. & lib. 2. tex. 59.* Finis autem, ad quem directæ sunt huius mulieris reuelationes, adhùc ignoratur. Hoc solummodò notum est, quod ipsa se asserit prædestinatam antè omnes, & super omnes Dei Electos, Beata Virgine excepta; Et per consequens prædestinata est antè, & super Ioannem Baptistam; antè, & super omnes Apostolos, qui fuerunt ministri Christi in Nouo Testamento, & in his quæ pertinent ad gratiam; antè, & super Ioseph verum Sponsum Genitricis Dei, qui sicut in terra in eadem Domo cum Virgine Maria habitauit, ita nunc in Cœlo in eodem solio gloriæ simul cum ipsa sedet in anima, & in corpore, vn dicit S. Bernardinus Senensis *ser. de S. Ioseph. tom. 3. pag. 463. litt. D.* (Sicut illa, sunt eius verba, sicut illa Sancta Familia, scilicèt Christus, Virgo, & Ioseph in laboriosa vita, & amorosa gratia simùl vixerunt in terris; sic in amorosa gloria nùnc, &

cor-

corpore, & anima regnant in Cœlis.) Et Cartagena, postquàm ad honorē Sancti Ioseph multa eruditè cōtexuit, subiungit (Ex his omnibus infero, magis verè, vt opinor, quàm audactèr, excepta Beata Virgine, D. Iosephum, sicut sanctitate in Ecclesia militante, ita, & gloria in triumphanti omnes Sanctos præcellere. Sicut enim Sacri hi Coniuges dignitate, & paterno munere erga Christum, & mutuo etiam amore inter se fuerunt coniunctissimi, dùm vitam mortalem agerent, ita ad æternam fœlicitatem translati, beatitudine, & gloria propinquissimos esse decebat.) Vnde Cancellarius Parisiensis *sermone de Natiuitate Virginis*, tàm piè, quàm prudentèr dixit: (Quantus existimandus est Iustus Ioseph in gloria, & in Cælis, qui talis, àc tantus inuentus est in miseria, & in terris? profectò cum dicat Christus: vbi sum ego, illic, & minister meus erit *Ioan.* 12. *ver.* 46, ille proximior videtur collocandus in Cælis, qui in ministerio fuit vicinior, obsequentior, atquè fidelior post Mariam inuentus in terris.) & eodem sermone *Consid.* 3. sic Cecinit.

Fælix illa dies, toto celeberrima mundo.
Sacra docens læta, qua scandit ad æthera Virgo
Mater, & Angelicos Ciues supereuolat omnes
Huic tibi Virgo, Ioseph, Iesus, & tua Sponsa
Propinquum (credere fas) statuunt solium.

Et subiungit idemmet Cartagena ibidem (Equidem cum Christus Dominus dixerit, qui recipit Prophètam in nomine Prophètæ mercedem Prophètæ acci-

piet *Matt. cap.* 10. Certè Ioseph qui Christum Dominum supremum omnium Prophetarum millies in domum suam suscepit, non potuit non eius premium omnium Sanctorum esse supremum.) Hæc Cartagena *libro sexto humilia* 8. *de Eccellentia Sponsi Diui Ioseph. pag.* 299. Vndè arguere possumus, quod Deus ipsam ordinauit, ac prædestinauit ad aliquem excellentissimum finem, & ad aliquod ministerium, quod excedit ministerium Apostolorum, ministerium Ioannis Baptistæ; & ministerium Ioseph. Sic enim Deus hæc inferiora disponit, quod illos, quos eligit ad excellens aliquod opus, tali gratia præparat, & disponit, tantis charismatibus munit, ac roborat, quod opus illud perficere possint; Sic docet D. Thomas *in* 3. *par. quæst.* 27. *art.* 4. *in corpore*, vbi ait: (Quod illos, quos Deus ad aliquid eligit, ita præparat, ac disponit, vt ad id, ad quod eliguntur, inueniantur idonei, secundum illud 2. *Corint. cap.* 3. Idoneos nos fecit ministros Noui Testamenti &c.) & *art.* 5. *eiusdem quæst.* 27. *in responsione ad primum* idem replicat dicens: (Ad primum ergo dicendum; quod vnicuiquè à Deo datur gratia secundùm hoc, ad quod eligitur &c.) Quod confirmatur à S. Bernardino Senensi *tom.* 3. *tract. de B. Virg. serm.* 10. *art.* 2. *cap.* 1. vbi ait. (Regula firma est in Sacra Theologia, quod quandocunq; Deus per gratiam aliquem eligit ad aliquem statum, omnia bona illi dispenset, ac largiatur, quæ illi statui necessaria sunt, & illum copiosè decorant.) Hæc Bernardinus.

39 Et hoc ita firmum est, quod etiam apud homines nefas sit dubitare, an Princeps, Indignum ad aliquod munus eligerit. *l. 2. C. de crim. sacri.* vbi dicitur; (Sacrilegij instar esse, dubitare, an is dignus sit, quem elegerit Imperator.) Ideoquè Deus ad tantam gratiam prædestinauit Mariam, vt officium Maternitatis, ad quod eligebatur, idoneè explere posset; Ideò Apostoli ad tantam gratiam sunt prædestinati, vt ministerium idoneè exercerent, ad quod eligebantur, vt dixit Apostolus 2. *Corint. cap. 3.* Idoneos nos fecit ministros Noui Testamenti; & Ioseph, & Ioannes Baptista, quia, & ipsi ad opera grandia sunt electi, prædestinati quoquè fuerunt ad tantam gratiam, quod opera illa idoneè peragere possent. Si igitur, & Apostoli, & Ioannes Baptista, & Ioseph prædestinati fuerunt ad tantam gratiam, vt sua ministeria cum idoneitate perficere possent; Ed quodnam opus, ad quod ministerium electa est hæc mulier, quæ asserit se prædestinatam, antè, & plusquàm omnes Dei electos; Idest ad vberiorem, & copiosiorem gratiam, quam omnes electos, sola Virgine excepta?

40 Si de Ioanne Baptista, qui officium Præcursoris exercere, Qui Filium Dei Baptizare, eiquè viam parare debebat; Si de hoc, qui tot Sanctorum præconijs exaltatur, & ipsius Verbi æterni canonizatione cœteris anteponitur illis verbis: **Inter natos mulierum maior Ioanne Baptista nemo est;** adhùc dubitatur, nùm Apostolis sit præferendus, quid de hac muliere dicendum,

quæ se omnibus anteponit? Audiamus D. Ambrosium, quid sentiat de Ioanne: (Præcellit cunctis, ait Ambrosius, eminet vniuersis, antecedit Prophètas, supergreditur Patriarchas, & quisquis de muliere est, inferior est Ioanne) *serm. 64*. Audiamus D. Thomam de eodem Ioanne loquentem. Exponens Angelicus illa verba Ioannis: Cuius non sum dignus corrigeam calceamenti soluere. *Matt. cap. 3*. Hoc facit quæsitum: (Numquid ergo maiores Apostoli Ioanne? Ad quod respondet cum hac distinctione: Nō merito, sed officio Noui Testamenti.) Et hoc D. Thomas desumpsit ex S. Anselmo, qui *super 3. Matt.* asserit de Ioanne: Officio ministerij fuisse minorem Apostolis; maius enim ministerium non fuit, quàm Apostolatus; adiungit tamen: (In Cœlo non esse minorem Ioannem, quā Apostolos, imò esse illis maiorem.) Quod confirmatur à Chrisost. *hom. 38. in cap. 11. Matt.* & ab August. *serm. 21. de Sanctis, qui est secundus de Natiuitate.* Ioannes Chrisost. enim in illa *hom. 38.* multa congerit in honorem S. Ioannis Baptistæ. Et August. *ser. 21. cit.* dicit: (Magnus igitur Ioannes, cuius magnitudini etiam Saluator testimonium perhibet, dicens: Non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista. Præcellit cœteros, eminet vniuersis, Antecellit Prophètas, supergreditur Patriarchas; & quis de muliere natus est, inferior est Ioanne.) Et alia dicit August. *ser. cit. tom. 10. & ser. sequenti* dicit: (Euangelista ergo virtutes Patris, Matrisquè describit, vt generantium meritis digni-

dignitas germinis nosceretur, & probaretur maior homine, qui ortu suo excedebat leges natiuitatis humanæ. Sed si processurus est, iam nascatur Ioannes, quia instat Natiuitas Christi; Surgat nobis Lucifer, quia iubar veri Solis erumpit; & vociferetur Præco, quia adest Iudex. Et quia processurus est Deus; Angelus præcedat. Verùm quia, quod supra hominem est, homo referre non sufficit, virtutem nascentis Angeli, Angelus iam loquatur.) Plura de Ioanne congerit Aug: sed hìc sistit meus calamus, cum ad Præcursoris excellentiam enarrandam Præco inuitetur Angelicus.

41 At cum tot tantaquè præconia Sanctorum Patrum Ioannem extollant, adhùc tamen dubitatur nùm Apostolis præferatur in Cœlis? & ratio dubitandi est, quia ministerium Apostolorum antecellit officium Ioannis. Et hæc mulier, cuius officium adhùc nescitur, & ad quem finem sit directa, adhùc ignoratur, se cœlitibus infert, & Icario, vèl Simoniaco, vt ita dicam, volatu contendit super omnes ascendere, àc impudenti, ne dicam luciferina superbia, inquit: Super Astra Dei exaltabo solium meum: Hoc enim sonat illa verba: ESSERE STATA PREDESTINATA AVANTI, E PIV DI TVTTI GL'ELETTI, ECCETTO &c. Sicuti in supra habitis succinctè monstratum est.

42 Et nullo habito respectu ad ministeria gratiæ, ad quæ peragenda fuerant Apostoli præordinati, nihilipendens Iosephi dignitatem, qui ad inseruiendum

ver-

verbo humanato in superexcellenti hypostatico ministerio fuerat electus; & etiam super istos se exaltat; Et interim secretum non referat, si ad aliquod ministerium sit destinata, & quale sit hoc ministerium; vt sciatur si tot charismatum dona suo ministerio, suoquè officio conueniant.

43 Imò cum vniuersalitèr ipsa loquatur per illud sincategorema, omne, in sua propositione illis verbis PIV DI TVTTI GL'ELETTI appositum, etiam omnibus Angelis, qui inter electos annumerantur se extollit; & tamen scitur, teste Apostolo, quod omnes Angeli ad excellentissimum ministerium sunt destinati. Nonnè omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. *Hebr. cap.* 1. *ver.* 14. Omnes igitur, qui specialibus donis à Deo sunt insigniti, ad aliquod ministerium sunt electi. De ista muliere tantummodò hoc nouum, & inauditum habemus, quod munera cœlestia in ea superabundant; Et ad nullum alium finem est directa, nisi vt suas reuelationes alijs reuelet, gratiarumquè diuitias cœlitus habitas ostendat, ad quid? forsitan ad vanitatem aucupandam, vèl simile. Cum igitur eius reuelatio in hac prima propositione in nulla probatione persistat, imò in trutina sacræ Scripturæ reperiatur minus habens, ideo non à Deo illapsam, sed à dæmone suggestam, non immeritò iudicare, saluo meliori iudicio, possumus.

44 Et

44 Et licèt, non meum sit aliqua nota eam inurere; attamen non præterire debeo, quod temeritatis nota eam signat S. Thomas supra allegatus, dicens: (Temerarium est, ergo aliquem Sanctum Apostolis comparare) *lect. 3. in cap. 1. epist. ad Ephes.* Sed ista non solùm se comparat, sed etiam præponit Apostolis; ergo sua propositio est supra temeritatis gradum. Carpocratiani, qui ex Carpocrate Hæresiarca processerũt, inter alios errores, hunc tenebant, vt asserit S. Epiphanius *tom. 2. lib. 1. hæresi* 27. quod Apostolis se præferebant; (Alij verò ex ipsis, dicit Epiphanius: Non Iesu, inquiunt, sed Petro, & Andrea, & Paulo, & alijs Apostolis se præstantiores esse ob excellentiam cognitionis, & propter ampliorem peractionem diuersorum transituum.) Hæc Epiphanius. Et idem de istis Carpocratianis dicit S. Ireneus *lib. 2. cap. 26.* In hoc etiam errore fuerunt Begardi, & Beguinæ, vt habetur in Directorio Inquisitorum *par. 2. quæst. 15.* vbi inter huius sectæ errores ponitur hic: (Trigesimus octauus error est, quia dicunt eum, scilicèt Petrum Ioannem, esse ita magnum doctorem, quod ab Apostolis, & Euangelistis citrà, non fuerit aliquis maior eo; & aliqui addunt, quod fuit maior in sanctitate, & doctrina.) Ita Director. *loco citato fol.* 302. Vbi notandum est, quod isti hæretici diuisi in duas sectas, aliqui eorum ponebant Petrum Ioannem infrà Apostolos, & Euangelistas; & alij supra; & in vtraquè positione notatur error,

ror,

ror. Si igitur errabant, qui asserebant, quod ab Apostolis, & Euangelistis citrà, non fuit aliquis maior Petro Ioanne; quantò magis errat ista mulier, quæ non citra, sed vltrà Apostolos, & Euangelistas, omnesquè Dei Electos, sola Beata Virgine excepta, se extollit? Si igitur ista mulier nõ explicat suam propositionem, vt possit stare in sensu catholico, cum Carpocratianis vtiquè, & cum Begardis ab Ecclesia damnatis sentire videtur.



Excu-

Excutitur secunda Reuelationis spica, eiusq; Propositio discutitur.

DISCVSSIO SECVNDA.

1 PRopositio, quæ continetur in secunda reuelatione, prout mihi retulisti, ò charissime Theophile, hæc est. E' ASSICVRATA DEL GRAN DONO DELLA PERSEVERANZA, ET IL SIGNORE DICE, COME E IMPOSSIBILE, CHE ESSO SIGNORE SI PERDA, COSI E' IMPOSSIBILE, CHE SI PERDA LA DILETTA. Ordinatè procedit ista mulier in suis reuelationibus. Equidem cum in præcedenti propositione, asseruerit se prædestinatam antè, & plusquàm omnes electos, vt talis prædestinatio suum infallibilitèr consequatur effectum, necesse est, vt magno dono perseuerantiæ fulciatur. Perseuerantia enim fundamentum est prædestinationis. Duo sunt fundamenta prædestinationis, ait de mente D. Augustini, Card. Bellarminus, fides, & perseuerantia. *lib. 4. de gratia, & libero arbitrio cap. 2. cir. fin.* & nisi hæc duo fundamenta inconcussa persisterint, omnis certò imaginatæ, vèl præsumptæ prædestinationis fabrica ruit; dicente Domino; Qui perseuerauerit vsquè in finem, hic saluus erit. *Matt. cap. 10. ver. 22. et cap. 24. ver. 13.*

2 Vt autem ordinatè in hujus secundæ propositio-

nis discussione procedamus; primò primam,& deindè secundam partem enodabimus.

3 Prima pars his continetur verbis E' ASSICVRATA DEL GRAN DONO DELLA PERSEVERANZA. De hoc magno perseuerantiæ dono, neminem sibi aliquid certò promittere posse, habemus ex Sacro Concilio Tridentino *sess. 6. cap. 13.* vbi decernitur similitèr de perseuerántiæ munere, de quo scriptum est: Qui perseuerauerit vsquè in finem, hic saluus erit; quod quidem aliundè haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est eum, qui stat, statuere, vt perseuerantèr stet, & eum, qui cadit restituere; nemo sibi certi aliquid, absoluta certitudine polliceatur &c. Nemo igitur de hoc perseuerantiæ munere, quantũuis iustus, potest sibi promittere; sed illud à Deo incessantèr postulando, cum timore, & tremore operari debemus nostram salutem; iuxtà D. Pauli sententiam: Cum metu, & tremore salutem vestram operamini. Deus enim est, qui operatur in vobis velle, & perficere prò bona voluntate. *Philip. cap. 2. ver. 12.* (Quantumuis benè operemur, ait Bellarminus, ponderans hæc Apostoli verba, non tamen nobis certò perseuerantiam promittamus, sed cum metu,& tremore, Deo subiecti simus, à cuius manu pendet perseuerantia nostra. Ipse enim est, qui in ijs, qui perseuerant, operatur velle, & perficere prò bona voluntate.) Bellarminus *de gratia, et libero arbitr. lib. 2. cap. 12. tom. 4. controuer.*

4 Et

4 Et cum hoc donum sit à Deo, ab ipso vtiquè illud petimus, & quotidiè petimus illis verbis à Domino nobis traditis in oratione Dominicali: Sanctificetur nomen tuum; fiat voluntas tua, ne nos inducas in tentationem, libera nos à malo *Matt. cap. 6. ver. 10.* (qua oratione non aliud petimus, ait D. Cyprianus *ser. 6.* nisi, vt in eo, quod esse cepimus, perseueremus.) Hæc Cyprian. Et cum hoc donum maneat in abditissima secretorum Dei abysso, ideò sæpè Spiritus Sanctus ad timorem nos excitat. vt *Rom. cap. 11. ver. 20.* Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time, ne fortè tibi non parcat. Et *1. Corint. cap. 10. ver. 12.* Qui se existimat stare, videat ne cadat: Et *Apocal. cap. 3. ver. 11.* Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuã. Et *2. Joan. cap. 1. ver. 8.* Videte ne perdatis, quod operati estis; & in *Psal. 2. ver. 11.* Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quandò irascatur Dominus; & pereatis de via iusta. & alibi hoc idem habetur.

5 Et hoc idem etiam Sancti Patres Testantur. Hieron. enim *lib. 2. aduersus Pelagianos* ait: (Ne beatum dixeris quempiam antè mortem; quamdiù enim viuimus, in certamine sumus; quamdiù in certamine, nulla victoria certa &c.) August. *lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 12.* idem fatetur dicens: (Licèt Sancti de suæ perseuerantiæ præmio certi sint; de ipsa tamen perseuerantia sua reperiuntur incerti. Quis enim hominum se in actione, profectuquè iustitiæ perseueraturum vsquè

in finem sciat, nisi aliqua reuelatione ab illo fiat certus, qui de hac re iusto, latentiquè iudicio, non omnes instruit, sed neminem fallit? Et *lib. de bono perseuerantiæ cap. 13.* ait: (Ad quam vocationẽ pertinere, nullus est homo ab hominibus certa asseueratione dicendus, nisi cum de hoc sæculo exierit. In hac autem vita humana, quæ tentatio est super terram, qui videtur stare, videat ne cadat.) Idem asserit D. Gregor. *lib. 6. in 1. Reg.* dicens: (Quia iudicium Omnipotentis Dei imperscrutabile est, vndè veniat, & quò vadat homo nescit; quia sciri non potest, an quis in gratia, quam recipit, perseuerare in perpetuum debeat.) Idem affirmat, & confirmat S. Prosper *lib. 2. de vocatione gentium cap. vlt.* inquiens: (In remotissimo ab humana cognitione secreto præfinitio huius electionis abscondita est. Et de nullo antè ipsius finem prænunciari potest; quod in electorum gloria sit futurus; vt perseuerantem humilitatem, vtilis metus seruet; & qui stat videat ne cadat.) Hoc idem etiam confitetur S. Bernardus *ser. 1. de Septuagesima* his verbis: (Quis potest dicere, ego de electis sum? Ego de prædestinatis ad vitam? Ego de numero electorum? certitudinem vtriquè non habemus, sed spei fiducia consolatur nos. (Et idem repetit ipsemet Bernard, *in epist. 107.* Et hìc est communis Ecclesiæ, Sanctorum Patrum, atquè Scholasticorum sensus, contra quem nemini licèt asserere.

6. Nèc ista incertitudo sinè profectu est; vult namquè Deus, vt hinc nostræ infirmitatis, & miseriæ magnitu-

gnitudinem agnoscentes, humiliemur sub potenti manu ipsius, & de bono in bonum semper procedentes, ad supremum perfectionis apicem ascendamus. Neque hoc adepto, debemus esse securi; sed cum humilitate dicere, quod ipse Dominus nos docuit *Lucæ cap. 17. ver. 10.* Quod debuimus facere, fecimus, serui inutiles sumus. Quia quantumuis homo sit iustus, nec de sua iustitia præsumere debet, nec de sua virtute, & viribus confidere. Omnibus notum est quanti meriti fuerit Petrus, & quantis præconijs à Domino fuerit commendatus; Notum est etiam quid ipse Petrus Magistro promiserit, dicens: Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo. *Matt. cap. 26. ver. 35.* Attamen ad vnius Ancillæ vocem ter Christum negauit. Erat prædestinatus Petrus; sed quia in hoc casu perseuerantiã non habuit, defecit. Ex quo loco infert Alphons. de Castro *lib. 12. de prædestin.* (quod hæresis est asserere prædestinatos in hac vita degentes non posse peccare; Quia hoc ipso, quod perseuerantia, quæ Dei donum est, illis deest, deficere possunt, & decidunt.)

7 Scio, quod inter pestifera Caluini dogmata est etiam illud, quod tradit *in cap. 5. et 13. Ioan. et in cap. 3. Matt.* in quo pollicetur suis seductis, vnumquemq; fidelem Caluinistam, ita sibi Spiritum Sanctum domesticum, & familiarem habere, vt ab eo priuato colloquio de sua iustitia, ac prædestinatione quisque certior fiat; à qua numquam vllo tempore excidere queat. Et

lib. 3.

lib. 3. *instit. cap.* 2. §. 11. ait (Solos electos, semine incorruptibili, Deus in perpetuum regenerat, vt numquàm dispereat semen vitæ in eorum cordibus insitum.) Et *infra* §. 12. dicit: Interim hoc tenendum est, quàmuis exigua sit, àc debilis in electis fides, quia tamen spiritus Dei certa illis arrha est, àc sigillum suæ adoptionis, numquàm in eorum cordibus deleri posse eius sculpturam.)

8. Sed falsum, & hæreticum esse hoc Caluini dogma ex Sacris Scripturis facillimè conuincitur, Ezechielis enim lingua, sic loquitur Dominus: Cum auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem; morietur in illa *Ezech. cap.* 18. *uer.* 20. Et ore proprio loquens ipse Dominus dixit *Lucæ cap.* 8. *ver.* 19. quod aliqui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Et *in cap.* 24. *uer.* 12. *Matt.* dixit: Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Qui autem perseuerauerit vsquè in finem, hic saluus erit. Ex quo colligitur, non omnes iustos perseuerare, àc per hoc omnes iustos iustitiam deserentes non saluari. Illud enim (refrigescet charitas) extinctionem planè significat charitatis; alioquin non opponeretur, perseuerantiæ vsquè in finem. Sic ait Bellarm. *lib.* 3. *de iustific, cap.* 14. *tom.* 4. *Contr.*

9. Hoc idem ostendit Paulus in pluribus locis, vt in 1. *Corint. cap.* 9. *uer.* 27. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo; ne fortè cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Erat prædestinatus Paulus, attamen

men de sua reprobatione timebat. Et *in epist. ad Galat. cap. 5. uer. 4.* dicit: Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini, à gratia excidistis. Et quomodò Galatæ possent euacuari à Christo, & à gratia excidere, si in Christo, & in gratia verè numquā fuissent? Item 1. *Timot. cap. 1. uer. 19.* dicit: Quidem circa fidem naufragauerunt. Et *in cap. 4. uer. 1. eiusdem epistolæ*: In nouissimis temporibus discedent quidam à fide. Et *cap. 6. uer. 15. ibidem.* Quam quidem appetentes errauerunt à fide &c. Ex quibus, & alijs Sacræ Scripturæ locis clarè conuincitur errasse Caluinum, suosquè sequaces asserentes, quòd iustus à sua iustitia numquā m excidere potest; Cum hoc absquè speciali dono perseuerantiæ haberi non possit.

10 Idem ostendunt plura exempla ex Sacra Scriptura desumpta. Adam, & Eua nostri primi Parentes omnibus gratijs, omnibusquè virtutibus ornati, conditi à Deo fuerunt, quia omnipotens ad imaginem, & similitudinem suam creauit eos; attamen in vnius præcepti obeditione defecerunt. Dauid Iustus erat, & vir secundùm cor Dei. Sic ait de ipso Textus Sacer: Quæsiuit Dominus sibi virum iuxtà cor suum. 1. *Reg. cap. 13. uer. 14.* & *act. cap. 13. uer. 22.* Suscitauit illis Dauid Regem, cui testimonium perhibens, dixit: Inueni Dauid Filium Iesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. Et licèt tanta iustitia præditus esset; defecit tamen, vt notum est. Prædestinati erant nostri primi Parentes, prædestinatus

erat,

erat, & Dauid, & omnes iusti; & tamen aliquandò à iustitia deciderunt. Quia & si perseuerantiæ donum, quo possent stare haberent à Deo, non tamen habebant illud, quo actu starent, vt docent D. August. *in lib. de correptione, et gratia cap.* 12. & *lib. de natura, et gratia cap.* 48. Et D. Thom. 1. *secundæ quæst.* 109. *art.* 10. Nihilominus, quia prædestinati erant, iterum surrexerunt.

11 Saul quoquè Iustus erat, quando vnctus fuit in Regem. Sic enim de illo testatur Scriptura Sacra: Erat ei filius vocabulo Saul, electus, & bonus; & non erat vir de filijs Israel melior illo 1. *Reg. cap.* 9. *uer.* 2. & licèt hic tam iustus esset, decidit tamen, & iustitiam, quam habebat, amisit.

12 Et vt alios casus particulares omittam, referam solùm quid in illa multitudine Discipulorum super quos cecidit Spiritus Sanctus euenit. Erat autem turba hominum simul, ferè centum viginti *act. cap.* 1. *uer.* 16. Et cum omnes essent in eodem loco, cecidit Spiritus Sanctus super illos, & vt dicit Scriptura: Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & ceperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis, ibi *cap.* 2. *uer.* 4. Et de numero istorum, qui Spiritum Sanctum acceperunt multos à fide defecisse refert Lorinus *in* 1. *Ioan. cap.* 2. *uer.* 19. citatquè Salmeronem, qui, teste Ioanne Climaco, inquit, de centum, & viginti primis illis, quos memorat historia Apostolica *actor.* 1. super quos cecidit Spiritur Sanctus in Die Penteco-

stes

stes prodijsse quatuordecim Hæresiarpas. Et licèt postilla Lorini dicat non inuenisse locum, vbi Climacus hoc asserit; Attamen de Nicolao vno de septem Diaconis in ministerium Viduarum electis *act. cap. 6.* non est dubitandum, quod defecerit, cum Nicolaitarum factus sit caput. Quorum Nicolaitarum doctrinam execrantur illa Domini verba *Apoc. cap. 2. ver. 6.* Sed hoc habes, quod odisti doctrinam Nicolaitarum, quam ego odi. Et hos Nicolaitas ex illo Nicolao Diacono descendisse testantur D. Epiphan. *lib. 1. hæres. 25. Tom. 2.* Eusebius *in Ecclesiast. histor. lib. 3. cap. 26.* Et Dorotheus Episcopus Tyri *in sua Synopsi.* Vbi, inter septuaginta Christi Discipulos, numerat etiam Phygellum, Hermogenem, & Demam; & isti tres etiam defecerunt à fide; licèt olim fuerint iusti, & cum alijs Spiritum Sanctum acceperint. Per me tamen reliqua nomina eorum non dùm fuere inuenta.

13 Et quod isti quatuor de illo santissimo cœtu ceciderint, non est valdè mirandum, quia, vltrà quod non omnes æqualitèr hanc Spiritus Sancti plenitudinem acceperunt, vt ait Lorinus *in cap. 2. act. uer. 4.* Nàm si de dono linguarum alijsue donis gratis datis agatur, nihil vetat, quod æqualitèr acceperint; sed de gratia gratum faciente, seu iustificante, quæ concedi solet iuxtà quantitatem, & qualitatem dispositionum in vnoquoque, quàm in Beata Virgine, fuisse maiorem omninò credo; & in non nullis etiam ex illorum numero, quàm in alijs verisimile est. Vltrà, dico, hanc

impletionis inæqualitatem; debemus etiam considerare, núm donum perseuerantiæ omnes æqualitèr habuerint.

14 Aliud est enim habere donum, quo possumus perseuerare, & aliud, quo actu perseueramus; vt docet D August. *loco supra citato*, & cum eo D. Thomas. Primum nemini negatur, quia cum necessarium sit ad salutem, Deus non deficit in necessarijs. Secundum autem donum perseuerantiæ, quo actu perseueremus, non omnibus conceditur, sed illis tantummodò à liberalissimo omnium bonorum largitore donatur, qui benè vtuntur illo primo dono, quod, vt possimus cum eo perseuerare, nobis largitus est. Quam distinctionē Augustini explicat Trigosus sub terminis actus primi, & actus secundi; & perseuerantia in actu primo est illa, qua possumus perseuerare; perseuerantia in actu secundo est illa, qua actu perseueramus; & hanc secundam tribuit omnibus, qui benè vtuntur prima. Ita Trigosus *parte* 1. *quæst.* 18. *art.* 8. *dubit.* 4. Ac per hoc Nicolaus, Fligellus, Hermogenes, & Demas, & si cum alijs habuerint donum, quo possent perseuerare; attamen, quia non benè eo vsi fuerunt, non assequuti sunt secundum, quo actu perseuerarent; & ideò exciderunt à iustitia, & à fide, & hoc est, quod dicit Concil. Trid. *sess.* 6. *cap.* 13. (Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cepit opus bonum, ita perficiet operans velle, & perficere.) Et sinè hoc dono perseuerantiæ in actu secundó, siuè, quo actu perseueramus, nemo

mo in iustitia perseuerat. Et ita determinat Concil. Trid. *sess. 6. can. 22.* (Si quis dixerit iustificatum, vel sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseuerare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.) Et idem habetur in Concilio Arausicano *can. 7. et 10.*

15 Hoc igitur est donum perseuerantiæ, de quo securam esse hanc mulierem præsens propositio asserit illis verbis, E' ASSICVRATA DEL GRAN DONO DELLA PERSEVERANZA, cui enim prædestinatio reuelatur, de hoc dono perseuerantiæ debet esse securus; aliter posse eleuari per superbiam, vel torpere per negligentiam. Sic docet Seraphicus Doctor Bonauentura *in 1. senten. dist. 40. art. 4. ad primum*, vbi ait: (Secundum ordinatissimam dispositionem hoc factum est, vt nulli reueletur, an sit prædestinatus, nisi sit à Deo confirmatus in bono, vt non possit eleuari per superbiam, vel torpere per negligentiam.) Cum igitur huic mulieri reuelata fuerit prædestinatio, ne talis reuelatio de prædestinatione ipsam in superbiam extolleret, vel in torporem deiceret, de perseuerantia per nouam reuelationem redditur secura.

16 Quod autem solus Deus possit hoc perseuerantiæ donum tribuere, nemo ambigere debet. (Aliunde haberi non potest, dicit Concil. Trid. nisi ab eo, qui potens est eum, qui stat, statuere, vt perseueranter stet &c.) Cum enim hoc donum sit in ordine gratiæ, quæ est supra naturam, nemo alius illud largiri potest, nisi Deus, qui largitor est gratiæ, & conditor naturæ.

17 Sed hæc perseuerantia, quàm sibi concessam asserit hæc mulier; idem sonat ac confirmationem in gratia, vt clarè deducitur ex secunda parte suæ propositionis, & ex alijs propositionibus sequentibus. Et hanc confirmationem in gratia, quia Deus potest dare viatoribus, sicùt de facto dedit Beatissimæ Virgini in primo instanti, & Apostolis post aduentum Spiritus Sancti, non repugnat, quod ab ipso detur, & huic mulieri. Non debemus quærere cur isti, & non alteri; ne fortè respondeatur nobis: An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? *Matt. cap. 20. uer. 15.* Et sicut potuit ipsam tàm excellenti dono decorare, sic potuit etiam, & ipsi reuelare, quod dederit. Esto igitur, & supponatur, quod dederit, & reuelauerit. Veniamus ad discussionem secundæ partis reuelationis.

18 ET IL SIGNORE DICE, COM'E IMPOSSIBILE, CH'ESSO SIGNORE SI PERDA, COSI E'IMPOSSIBILE, CHE SI PERDA LA DILETTA. Magnum est hoc assertum; at quia ex reuelatione didicisse affirmat, effugit illud à Sacrosã. Concilio Tridentino promulgatum anathema *in can. 16. sess. 6.* vbi dicitur: (Si quis magnum illud vsquè in finem perseuerantiæ donum se certò habiturum absoluta, & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc speciali reuelatione didicerit, anathema sit.) Supponamus ergo reuelationem, & perpendamus verba reuelatæ propositionis.

19 Et primò ponderemus illas duas particulas relati-

latiuas, siuè illa duo aduerbia similitudinis COME, & COSI, quæ idem sonant, ac, sicut, & ita, vel vt, quemadmodum, & sic; vel vt, quomodo, & ità; vel vt, sicut, & eodem modo, & similibus loquendi modis; & reddunt talem sensum: Sicut se habet illud, exempli gratia, ita se habet, & hoc; relationem enim similitudinis inter relata important.

20 Et si loquamur de aduerbio, sicut, certum est, quod omnimodam similitudinem importat: vt *in l. si quis obrepserit ff. de falsis*; Et *in cap. olim de verbor. significat*; Et *in cap. cum in Ecclesia de præbendis lib. 6.* notant Angelus *consil. 338. incipit Simon num. 3.* Antonius de Butrio *consil. 19. num. 4. verbo Item*. Romanus *consil. 328. num. 6. & sequ.* Tiraquellus *de iure primog. quæst. 40. num. 30.* Decianus; Menoch; & alij relati à Barbosa *de dictionib. vsufrequentiorib. dict. 366. num. 1.* Et ibidem addit *num. 2.* quod idem importat, ac si diceretur, eodem modo; vt notatur *in l. sicut, ff. quod cuiusq; vniers. nom.*

21 Sic etiam illa dictio, Ita, idem importat, ac si dicatur, hoc modo, vt *in l. ædificia ff. de verb. signific.* Honded. *consil. 13 num. 24. uol. 2.* Barbos. *loc. cit. dict. 179. num. 9.* Et huic dictioni correspondet dictio, quemadmodum. Cic. *de Fat.* (Ita certè euenit, quemadmodum fit futurum.) Idem *in Attic. lib. 13. epist. 20.* (Quare facies, vt ita sit in libro; quemadmodum fuit.) Aliquandò autem huic dictioni, Ita, correspondet dictio illa; Quomodo; vt *in lib. Num. cap. 2. uer. 17.* Quo-

17. Quomodo erigetur, ita, & deponetur. Et *Iosue cap. 2. uer. 12.* Nùnc ergo iuráte mihi per Dominum, vt quomodò ego misericordiam feci vobiscum, ita, & vos faciatis cum domo Patris mei. Aliquandò verò huic dictioni; Ita, correspondet dictio, Sicùt. vt *Leuit. cap. 14. uer. 13.* Sicùt enim prò peccato, Ita, & prò delicto ad Sacerdotem pertinebit hostia. Et in hac acceptione, Ita, valet idem, àc valet; Sic; vt *Isai. cap. 55. uer. 9.* Sicut exaltantur Cœli à terra; sic exaltatè sunt viæ meæ à vijs vestris. Et in omnibus modis prædictis semper importat similitudinem inter terminos relatos, vt scilicèt tale sit vnũ relatorũ, quale est alterum.

22 Itaquè supradicta duo aduerbia, COME, & COSI, posita in asserta reuelatione, sic disponunt prædictam propositionem; Sicùt impossibile est perire Dominũ; Ita, vèl sic, impossibile est perire dilectã; Vèl alio modo: Sicùt, vèl Quemadmodũ impossibile est perire Doñm; Ita, vèl eodẽ modo impossibile est perire dilectã: Et alio modo, Sicut vèl quomodò impossibile est perire Dominũ; ita vèl eodẽ modo impossibile est perire dilectã. Et quouis modo disponatur dicta propositio, semper importat omnimodam assimilationem.

23 Quia hæc dictio; Quemadmodum, quatenùs capitur prò, Sicut, similitudinem facti denotat. vt *in l. Pater familias*; & *in l. Quemadmodum ff. de acquirenda possessione* & *in l. Verbum erit ff. de uerb. signific.* & *in l. 3. §. Si quis duobus* vbi *Glos. ff. de alim. legat.* & *in lege Quemadmodum, C. de Agricolis. & Censuis.* Et in diuersis lo-

sis locis notant Iason; Dec; Vlpell; Bertazo; & Cined: relati à Barbosa *loco cit. dict.* 313. *num.* 1.

24 Videamus modò, vtrum impossibilitas pereundi, quæ se tenet ex parte dilectæ, similitudinem habeat cum impossibilitate pereundi, quæ se tenet ex parte Dei, inter hos namquè duos versatur dicta propositio COME E' IMPOSSIBILE, CHE ESSO SIGNORE SI PERDA, COSI E' IMPOSSIBILE, CHE SI PERDA LA DILETTA.

25 Inter alias rationes, quas affert D. Thomas ad probandum, quod Deus sit; est illa, quam desumit ex impossibili, & necessario, & sic ratiocinatur *in* 1. *par. quæst.* 2. *art.* 3. *in corpore* (Tertia via est sumpta ex impossibili, & necessario, quæ talis est: Inuenimus enim in rebus quædam, quæ sunt possibilia esse, & non esse; Cùm quædam inueniantur generari, & corrumpi, & per consequens possibilia esse, & non esse. Impossibile est autem omnia, quæ sunt talia, semper esse; quia quod possibile est non esse, quandoquè non est. Si igitur omnia sunt possibilia non esse, aliquandò nihil fuit in rebus. Sed si hoc est verum, etiam nùnc nihil esset; quia quod non est, non incipit esse, nisi per aliquid, quod est. Si igitur nihil fuit ens, impossibile fuit, quod aliquid inciperet esse, & sic modò nihil esset, quod patet esse falsum. Non ergo omnia entia sunt possibilia: Sed oportet aliquid esse necessarium. Omne autem necessarium, vèl habet causam suæ necessitatis aliundè, vèl non habet; Non est autem pos-

sibile,

sibile, quod procedatur in infinitum in necessarijs, quæ habent causam suæ necessitatis, sicut nec in causis efficientibus, vt probatum est: ergo necesse est ponere aliquid, quod sit per se necessarium, non habens causam necessitatis aliundè, sed quod est causa necessitatis alijs: quod omnes dicunt Deum.). Hæc Diuus Thomas.

26 Ex qua S. Doctoris Doctrina, vltrà id, quod ipse intendit probare, & optimè probat; ego colligo disparitatem inter creaturam, & Creatorem. Quæ disparitas, prò præsenti nostro negotio consistit in hoc, quod Creator est ens necessarium, non aliundè, & à foris, sed intrinsicè, & ex se habens necessitatem; Creatura verò est ens contingens, & si aliquandò, vel in aliquo sit ens necessarium, à Deo habet hanc necessitatem; vndè sua necessitas extrinseca est, per accidens, & secundùm quid. Et cum creatura sit contingens, nèc habeat impossibilitatem ad esse, nèc impossibilitatem ad non esse; quia contingens est illud, quod potest esse, & non esse. Et si aliquandò creaturæ contingat impossibilitas ad non esse, hanc impossibilitatem non habet ex se, sed aliundè, idest à Deo, qui posuit illam in tali impossibilitate; & per consequens talis impossibilitas non est simpliciter necessaria, sed per accidens, & secundùm quid. Creator autem cùm sit ens simpliciter necessarium ex sua intrinseca ratione; sicut ex se necessario est, ita ex se, & intrinsecè impossibile est non esse.

27 Et hoc est, quod docuit D. Hilarius *lib. 1. de Trinit. parum à principio*, dicens: (Non aliud proprium magis Deo, quàm, esse, intelligitur; quia idipsum, quod est, neque desinentis est aliquandò, neque cepti: sed id, quod incorruptæ Beatitudinis potestate perpetuum est, non potuit, aùt poterit aliquandò non esse; quia Diuinum omne, neque obliuioni, neque exordio obnoxium est.)

28 Idem docuit D. Hieron. *epist. 57. ad Damasum*, dicens: (Vna est Dei, & sola natura, quæ verè est; id enim, quod subsistit, non habet aliundè, sed suum est esse. Cœtera, quæ creata sunt, etiam si videntur esse, non sunt, quia aliquandò non fuerunt; & potest rursum non esse, quod non fuit. Deus solus, qui æternus, hoc est, qui exordium non habet, essentiæ nomen verè tenet. Iccircò, & ad Moysen de Rubo loquitur: Ego sum, qui sum; & rursus: Qui est misit me.) Hæc Hieron. & idem verbatim ferè dixit S. Isidor. Hispal. *lib. 7. Etymol. cap. 1.* & ex Doctrina istorum Sanctorum clarè colligitur, quæ nàm sit impossibilitas, quā Deus habet ad non esse; & quantùm distet creatura ab hac impossibilitate ad non esse.

29 Idem docuit D. Augustin. *lib. 5. de Trinit. cap. 2.* his verbis: (Sicut enim ab eo, quod est sapere, dicta est sapientia; & ab eo, quod est scire, dicta est scientia: Ita ab eo, quod est esse, dicta est essentia. Et quis magis est, quàm ille, qui dixit famulo suo Moysi: Ego sum, qui sum; & dices filijs Israel, Qui est misit me ad

vos? sed aliæ, quæ dicuntur essentiæ, siuè substantiæ, capiunt accidentia, quibus in ea fiat, vèl magna, vèl quantumcumquè mutatio. Deo autem aliquid huiusmodi accidere non potest: & ideò sola, & incommutabilis substantia, vèl essentia, quæ Deus est, cui profectò ipsum esse, vndè essentia nominata est, maximè, àc verissimè competit. Quod enim mutatur non seruat ipsum esse; & quod mutari potest, etiam si non mutetur, potest, quod fuerat, non esse. Ac per hoc illud solùm, quod non tantùm non mutatur, verùm etiam mutari omninò non potest, sinè scrupulo occurrit, quod verissimè dicatur esse &c.) Ex quibus Augustini verbis, clarè deducitur differentia, quæ currit inter Creatorem, & creaturam circa præfatam impossibilitatem ad non esse. Creatura enim eò quod mutari potest, etiam si non mutetur, potest tamen non esse, quod est; quia de sua intrinseca ratione cum sit ens contingens, potest esse, & non esse; quam potentiam ad esse, & non esse numquàm omittere potest, cum sit intrinseca enti contingenti, quale est ens creatum. At ens increatum nèc mutatur, nèc mutari potest, quia est ens independens; & sicuti necessariò semper fuit in se perfectissimum, nihil aliundè recipiens; sic semper est, & erit; vndè nèc mutationem accipit, nèc recipere potest; & per consequens habet omnimodam impossibilitatem ad non esse, & ad quamcumquè mutationem.

30 Eandem differentiam inter Creatorem, & creaturam sic disertissimè ostendit D. Gregorius ponderans

rans illa verba *Iob. cap. 23. ver. 13.* Ipse solus est: Super quæ verba sic ratiocinatur præfatus. (Cum in rerum natura, tàm multa sint, cur beati viri voce nùnc dicitur: Ipse enim solus est? sed aliud est esse, aliud principalitèr esse; aliud mutabilitèr, & aliud immutabilitèr esse. Sunt enim hæc omnia, sed principalitèr nõ sunt, quia in semetipsis minimè subsistunt; & nisi gubernantis manu teneantur, esse nequaquàm possunt. Cuncta namquè in illo subsistunt, à quo creata sunt, nèc ea, quæ viuunt, sibi metipsis vitam tribuunt; nequè ea, quæ mouentur; & non viuunt suis nutibus ad motum ducuntur; sed ille cuncta mouet, qui quædam viuificat, quædam verò non viuificata, in extremam essentiam, mirè ordinans, seruat. Cuncta quippè ex nihilo facta sunt, eorumquè essentia, rursùm ad nihilum tenderet, nisi eam Auctor omnium regiminis manu retineret. Omnia itaquè, quæ creata sunt per se nèc subsistere præualent, nèc moueri; sed in tantùm subsistunt, in quantùm, vt esse debeant, acceperunt.) Hæc Gregorius *lib. 16. Moralium cap. 16.*

31 Et non solùm Sancti Patres, qui lumine fidei loquuti sunt, hanc in Deo immutabilitatem, & impossibilitatem ad non esse docuerunt, verùm etiam, & ipsi gentiles eã agnouerunt, & in suis scriptis testatam reliquerunt. Plato enim *Dialogo 3. de Republica propè finem* sic dicit. At verò Deus ipse, & quæ Dei sunt, omni ex parte, quàm optimè se se habent. Hac igitur ratione, minimè formas plures Deus susciperet? Minimè.

mè. Numquid autem se in se verteret, mutaretquè Deus? Manifestum hoc est, si quidem mutaretur. Vtrum igitùr in melius, & pulchrius, vèl in peius, & turpius? Necessè est in peius, si modo mutatur: non enim indignum pulchritudinis, & virtutis esse Deum dicimus. Rectè nimiùm loqueris. Verum cum ita se habeant, credis ne tu sua spontè aliquem siuè Deum, siuè hominem deteriorem se facere? Imposibile certè istud. Imposibile igitùr Deum mutare se velle:sed vt videtur, pulcherrimus, optimusquè cum sit Deorum quisquè, quod fieri potest, omnes sua in forma sempiterna, & simplici perseuerant. Necessarium esse omninò hoc arbitror.) Hæc Plato,& quidem rectè concludit,quod ex naturali voluntatis in bonum propensione, àc innato suæ perfectionis desiderio, impossibile est, vt Deus se mutare, perfetissimumquè statum, in quo per se constitutus est,omittere velit.

32 Eandem necessitatem essendi cognouit in Deo Iamblicus *de mysterijs cap.* 1 1. *in principio*, dicens: (Necesse est Deos ita se habere, vt sunt, non necessitate extrinsecus illata,sed naturali sibi, optimaq;sibi;ideoq; maxime voluntaria,quam & nollent vnquàm optime proposita alitèr se habere.) Hæc Iamblicus; qui quidē subtilissime loquitur de Dei necessitate; Non enim, extrinsecus ei aduenit ista necessitas,sed est sibi intrinseca, & optima sibi. Nàm cum cognoscat se perfectissimum, & quod perfectior dari non potest; ita est de sua perfectione beatus, quod nollet vnquàm quauis

optione

optione proposita alitèr se habere; àc per hoc sua necessitas, licèt sibi naturalis, ei tamen remanet voluntaria.

33 At non solùm impossibile est Deum non esse, aùt mutari posse; verùm etiam est inintelligibile. Et hoc optimè probat D. Hilarius *lib.* 12. *de Trinit.* Vbi expendens illa verba Dei ad Moysen; Qui est misit me ad vos *Exodi cap.* 3. *ver.* 15. Sic ait. (Nàm secundùm ad Moysen dictum: Misit me ad vos is, qui est, Deo proprium esse id, quod est, non ambigens sensus est: quia id, quod est, non potest intelligi, diciquè non esse: esse enim, & non esse contraria sunt: Nequè hæ diuersæ significationes in vnum, atquè idem coeunt, quia manente alia, altera non erit; ergo vbi esse est, non potest, vèl sensum, vèl sermonem inire non esse, sensui nostro retroacto, semperquè reuocato ad intelligentiam eius, qui est Deo, ad ipsam secundùm quod est Dei, semper anterius est: quia id, quod infinitum Deo est, semper infinitatem sensus nostri recursui subtrahit: vt antè id, quod proprium Deo est, semper esse aliquid aliud intentio retroacta non capiat; quia nihil aliud vltrà ad intelligendum Dei æternitatem procedat, cum Deo semper esse, semper occurrat.) Hæc Hilar. ex cuius verbis deducitur, quod inintelligibile est Deum non esse, vèl posse non esse. Quia cum ipse sit suum esse, & necessarium esse, non potest intellectus capere, & intelligere, quod non sit id, quod necessariò est.

34 Con-

34 Confirmat hanc Doctrinam Hilarij D. Bonauentura;qui tractans hunc articulum: An Diuinum esse sit adeò verum,quod non possit cogitari non esse, pluribus rationibus ostendit, quod Diuinum esse est ita verum, quod cogitari non potest ipsum non esse;& concludit in corpore. (Concedendum est ergo, quod tāta est veritas Diuini esse, quod cum assensu non potest cogitari non esse: nisi propter ignorantiam cogitantis, qui ignorat, quid est,quod per nomen Dei dicitur.) Hæc S. Bonau. *in art. 2. quæst. 2. secundum ordinem dispositum à Trigoso in par. 1. suæ summæ.*

35 Cum igitur tot Sanctorum Patrum, sapientissimorumquè virorum auctoritate clarè constet, quod Deum non esse, aùt mutari posse, non solùm est impossibile, verùm etiam inintelligibile. Et quod creatura quantùmcumquè necessariò existat, remanet semper indifferens ad esse, & non esse,& infinitis mutationibus obnoxia, quonàm modo potest currere,vèl quo pacto potest verificari illa comparatio posita in asserta reuelatione, Nimirum: COME E' IMPOSSIBILE, CHE SI PERDA ESSO SIGNORE, COSI E' IMPOSSIBILE, CHE SI PERDA LA DILETTA. qua ratione, qua formalitate,quo sensu potest verificari hæc propositio? Deus enim cum æternus sit,nèc potuit,nèc poterit aliquandò non esse;quia nequè abolitioni,nequè exordio obnoxius,dixit supra D. Hilarius; At ista asserta dilecta, cum sit creatura, & exordio, & abolitioni obnoxia est, & sicut potuit

non

non esse, sic potest, & poterit non esse; ergo non currit comparatio, & similitudo posita in dicta propositione per illa duo aduerbia COME, & COSI, quæ vt supra dictum est, omnimodam similitudinem important. Vndè quod asseritur, falsum esse conuincitur per doctrinam Hilarij, Hieronymi, & Isidori supra positam.

36 Deinde quod aliqua creatura saluetur, vèl dãnetur, accidens est, quod illi deforis aduenit; talis enim creaturarum natura est, vt per accidentia in diuersa mutentur, vèl mutari possint, vt docet S. Augustinus in auctoritate, quam supra retulimus; At Deo nihil accidere potest, nèc potest mutari, vt docet idem Doctor; ergo falsa est illa propositio comparatiua, seù assimilatiua importata per illa aduerbia COME, E COSI.

37 Præterea quod creaturæ saluentur, vèl non saluentur, viuant, vèl non viuant, pendet ex manu Dei, qui cuncta sustentat, cuncta gubernat, cuncta viuificat, vt docet D. Gregorius in suprapoſita auctoritate; At hic nutus Dei liber est, cum sit opus ad extra; ergo potest annuere, & non annuere; & per consequens creaturæ possunt saluari, & non saluari; viuere, & non viuere; esse, & non esse; quia vt idem Gregorius docet: (Cuncta quippè ex nihilo facta sunt, eorumquè essentia rursum ad nihilum tenderet, nisi eam Auctor omnium regiminis manu teneret.) Deus autẽ cuius esse, & principalitèr esse, vt dicit Gregorius, necessariò est;

& non

&non ad alterius nutum, vt sunt cuncta creata, quæ principalitèr non sunt; ergo immutabilis necessariò est; & pèr consequens non currit comparatio assignata per illa duo aduerbia COME, & COSI. Nàm illud, COME, refertur ad Deum, qui principalitèr, & necessariò est; & illud, COSI, refertur ad creaturam, quæ liberè, & contingentèr est. Idem quoquè probant auctoritates ex Platone, & Iamblico suprà adductæ; cum probent necessariam Dei immutabilitatem.

38 Dicet forsitàn ista mulier, vèl alius prò ipsa, quod ista comparatio est fundata in decreto, quod Deus fecit de illius prædestinatione; Quod decretum cum sit infallibile, & immutabile; benè sequitur, quod sicut impossibile est Deum perire, sic impossibile est perire suum decretum.

39 Benè, sed adhùc allatæ rationes manent in robore suo; quia etiam decretum illud, cum pendeat à Diuina volũtate, & sit opus ad extrà, quia versatur circa creaturas, est liberum, & non necessarium; & per consequens prædestinati non necessariò, sed contingentèr saluantur. Quapropter iterùm redimus, ad id, quod prius. At prò maiori claritate.

40 Dico, quod istæ propositiones: Prædestinatus necessariò saluatur; Prædestinatus non potest damnari; Reprobus necessariò damnatur; Reprobus non potest saluari, intelligi possunt vel in sensu composito, vel in sensu diuiso, vel absolutè.

41 Si accipiantur in sensu composito, prædictæ

pro-

propositiones sunt veræ; Nàm sensus illius propositionis: Prædestinatus necessariò saluatur est, quod nō stant simul, aliquem esse prædestinatum, & non saluari. Sic sensus alterius propositionis, scilicèt prædestinatus nōn potest damnari est, non est possibile, quod hic sit prædestinatus, & damnetur; At in hoc sensu istæ propositiones sunt veræ; ergo & illæ in sensu composito sunt veræ. Et idem iudicium est in illis propositionibus: reprobus necessariò damnatur; reprobus non potest damnari. Quia hic est reprobus, & hic saluatur, sunt incompossibilia de eodem, & in eodem; & per consequens in sensu composito veræ sunt istæ propositiones: reprobus necessariò damnatur: reprobus non potest saluari. Si enim posset stare aliquem esse simul prædestinatum, & non saluari; esse simul reprobum, & non damnari, Diuina prædestinatio non esset certa, sed fallibilis, quod est falsum; ergo prædictæ propositiones in sensu composito sunt veræ.

42 Si autem prædictæ propositiones accipiantur in sensu diuiso, sunt falsæ. Quia sensus illius propositionis: Prædestinatus necessariò saluatur est, quod iste homo, qui prædestinatus est, non liberè saluatur, sed necessitate quadam. Sensus alterius propositionis, nempè prædestinatus non potest damnari est iste, quod hic homo, demonstrato prædestinato, non potest damnari; In quo sensu propositiones istæ non sunt concedendæ, quia sunt falsæ. Nàm quamuis prædestinatio Dei sit certa, efficax, infallibilis, & immutabilis:

tamen quia illius effectus, nempè, iustificatio, meritum, pœnitentia proueniunt ab ipsa prædestinatione per liberum arbitrium hominis, quod est causa contingens, & potest deficere; ideò illi effectus non sunt necessarij, sed contingentes, & per consequens illæ propositiones in sensu diuiso sunt falsæ. Quod etiam probatur per illam regulam Dialecticorū de syllogismis; in quibus ex vna præmissa necessaria, & altera contingente, sequitur conclusio contingens; sed in prædestinatione, ita accidit, quod effectus eius prouenit ex vna præmissa necessaria, scilicèt Deo, & ex altera contingente, nempè libero arbitrio; ergo conclusio debet esse contingens, nimirùm; quod prædestinatus saluabitur. Ergo ista propositio: Prædestinatus necessariò saluatur, est falsa. Et similitèr reliquæ supradictæ propositiones erunt falsæ in sensu diuiso.

43 Si tandèm prædictæ propositiones absolutè sumantur, sunt falsæ. Quia Deus liberè dat gratiam, & gloriam omnibus ab ipso prædestinatis; ergò non necessariò; ergo qui saluatur, non necessariò saluatur, sed liberè; Ergo illa propositio: Prædestinatus necessariò saluatur, absolutè sumpta est falsa. Sicut enim istæ propositiones: album necessariò est album: album non potest esse nigrum, absolutè loquendo, & sinè distinctione, sunt falsæ. Sic etiam illæ propositiones: Prædestinatus necessariò saluatur: Prædestinatus non potest damnari, absolutè loquendo, & sinè distinctione sunt falsæ. Quidquid enim operatur Deus circa nostrā prædesti-

deſtinationem ; & ſalutem liberè, & non neceſſariò operatur; ergo, qui ſaluatur non neceſſariò, ſed liberè ſaluatur ; & quidquid nos operamur circa noſtram prædeſtinationem, & ſalutem, liberè, & non neceſſariò operamur; Ergo qui ſaluatur, non neceſſariò, ſed liberè ſaluatur.

44 Itaquè, ſuppoſito Diuino decreto, quo ſe aſſerit prædeſtinatam iſta mulier, adhùc illa propoſitio, E' IMPOSSIBILE, CHE SI PERDA LA DILETTA, abſolutè ſumpta, & in ſenſu diuiſo loquendo, eſt falſa; quia cum liberè, & non neceſſariò ſaluetur; poteſt perdi, & poteſt ſaluari. Si autem accipiatur in ſenſu compoſito hæc propoſitio: E IMPOSSIBILE, CHE SI PERDA LA DILETTA, his præciſis verbis, eſt vera; quia facit hunc ſenſum: Non eſt poſſibile, quod hæc dilecta ſit prædeſtinata, & vt prædeſtinata perdatur. Sed in hoc ſenſu prædictà propoſitio, E' IMPOSSIBILE, CHE SI PERDA LA DILETTA, nihil ſpeciale ponit in ipſa; quia de quolibet prædeſtinato verificatur. De quolibet namq; prædeſtinato verificatur iſta propoſitio in ſenſu compoſito: Impoſſibile eſt, quòd prædeſtinatus, vt prædeſtinatus, damnetur, & cum hoc ſit omnibus commune, nihil addit huic mulieri, quæ per has reuelationes ſuprà communitatem ſe extollit; & nos modò quærimus illud, quod illam à communitate ſeparat, & in gradu eminentiori conſtituit. Hoc enim eſt, quod ipſa intendit perſuadere in ſuis reuelationibus, nimirùm, quod omnes præcedit, & ſupergreditur.

45 Et ideò, quia hæc propositio, E IMPOSSIBILE, CHE SI PERDA LA DILETTA, habet connexionem cum altera parte, & refertur ad illa verba, quæ præcedunt, nimirùm; COME E' IMPOSSIBILE, CHE ESSO SIGNORE SI PERDA, non debemus illam considerare in illis verbis præcisis, & disiunctiuè, sed collectiuè ipsam considerare debemus cum præcedentibus; quia talis propositio collectiuè sumpta includit assimilationem cum Deo per illa duo aduerbia relatiua COME, & COSI. Et facit hunc sensum: Sicut, vel eo modo, quo impossibile est, quod ipse Deus perdatur; Ita, vel eodem modo impossibile est, quod perdatur dilecta; Sed nullo modo, & in nullo sensu Deus potest perdi; ergo, & dilecta nullo modo, & in nullo sensu potest perdi. Minor huius argumenti est vera, & necessaria; & conclusio est falsa; Sed illatio falsa non infertur ex principio, seu præmissa vera, sed ex falsa; ergo maior, vnde deducitur talis conclusio falsa, est falsa.

46 Deus enim, vt supra probauimus, necessariò est; & necessariò impossibile, imò inintelligibile est, vt perdatur, vel quod possit perdi, vt probant D. Hilarius, & S. Bonauentura supra relati. At quod creatura non perdatur, vel non possit perdi in sensu composito, vt dictum est, contingenter accidit: quia dependet, & à voluntate Dei, quæ circa creaturas libere agit, & à nostro libero arbitrio, quod libere operatur; ergo non potest poni in comparatione cum Deo; & si

pona-

ponatur, falsò ponitur.

47 Imò dato, quod Deus tolleret libertatem à voluntate prædestinati, & coarctaret eius liberum arbitrium: attamen eius prædestinatio adhuc esset contingens; quia Deus liberè aufert libertatem, liberè coarctat liberum arbitrium, liberè vocat, liberè iustificat, liberè gloriam largitur. Et cum liberè hoc agat, potest facere, & non facere. Et licèt liberum arbitrium, sic coarctatum, non possit ad vtrumquè, se verti; attamen hoc contingentèr ipsi accidit; Nàm cum de sua natura sit liberum; si ab eo tollatur sua naturalis libertas, contingentèr hoc ei accidit; & per consequens talis prædestinatio, & ex parte Dei, & ex parte creaturæ contingens est, non necessaria. Et si ex illa coarctatione liberi arbitrij, sequeretur aliqua necessitas; Hæc nõ esset necessitas absoluta, seù necessitas consequentis, quæ opponitur contingentiæ; sed esset necessitas respectiua, seù necessitas consequentiæ, quę non opponitur contingentiæ; vt docet D. Bonauētura *in 1. sent. dist. 38. art. 3. ad Primum.*

48 Quomodocumq; itaq; sumatur prædestinatio, semper stat cum contingentia, & sic tenet tota Schola Theologica, cum magistro sentent. *in primo distinct.* 40. & S. Bonau. *art. 3. & 4. dicta distin.* docet quod prædestinatus contingentèr saluatur. Idem docet S. Thomas *1. par. quæst. 23. art. 6. ad 3.* & de veritate *quæst. 6. art. 3.* & *quod lib. 11. art. 3.* & Ioannes Driedo *lib.*

lib. de concordia liberi arbitrij par. 2. cap. 2. considerat. 3, vbi docet, quod qui est prædestinatus, potest esse reprobatus, & ita potest esse, quod numquàm fuerit prædestinatus; & qui est reprobatus, potest esse prædestinatus, & numquàm fuisse reprobatum; Quod manifestum esse dicit, si consideremus hominem, quamuis prædestinatum, in hac vita peregrinantem, habere voluntatem mutabilem, posseque à fide, & charitate excidere, & malè viuere vsq; ad finem vitæ; ex quibus cõstat, talem hominem posse damnari, & ita posse illum esse reprobatum, & ita posse numquàm fuisse prædestinatum. Hos omnes refert cum suis locis Trigosus *par. 1. quæst. 18. art. 4. dub. 4.* & ipse etiam cum illis sentit, quod prædestinatus potest damnari; & quod reprobatus potest saluari, eo modo, quo supra explicatum est: & per consequens, quod qui saluatur, contingentèr saluatur; & qui damnatur contingentèr damnatur. Et si prædicta mulier prædestinata est, vt ipsa asserit, contingentèr, & non necessariò saluabitur, quia potest non saluari, vt supra probatum est. Vndè ista propositio COME E' IMPOSSIBILE, CH' ESSO SIGNORE SI PERDA, COSI E' IMPOSSIBILE, CHE SI PERDA LA DILETTA, vndiq; reperitur falsa; Et per consequens, non est reuelata à Deo, qui est prima veritas, sed suspicari potest, quod sit reuelata à dæmone, qui est pater mendacij, & magister falsitatis.

49 Probatur etiam falsitas huius propositionis ex

inusi-

inusitato modo loquendi. Non enim reperimus in Scriptura Sacra, quod apud Deum sit aliquid impossibile. Sic enim ait Angelus ad Mariam *Lucæ cap.* 1. *ver.* 37. Non erit Impossibile apud Deum omne verbum; & Christus apud *Matt. cap.* 19. *ver.* 26. Apud homines hoc impossibile est; apud Deum autem omnia possibilia sunt. Et si aliquandò in Scriptura Sacra inuenitur, quod sit aliquid impossibile: hæc impossibilitas intelligitur apud nos, non apud Deum. Sicut illud *Lucæ cap.* 17. *ver.* 1. Imposſibile est, vt non veniant scandala; hæc impossibilitas residet apud nos, non apud Deum. Similitèr illud *Hebræor. cap.* 6. *ver.* 4. Imposſibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum Cœleste, & participes facti sunt Spiritus Sancti; gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesquè sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus reuocari ad pœnitentiam. Hæc, inquam, imposſibilitas moralis apud nos residet, non apud Deum, apud quem omnia posſibilia sunt. Et si alibi reperitur aliquid esse imposſibile nobis; illud, quod nobis est imposſibile, dummodò sit consonans primæ veritati, posſibile est apud Deum; At quod ista mulier perdatur non solum est posſibile apud Deum, sed etiã apud semetipsam, saltem physicè; Vt autem perdatur Deus est imposſibile etiam apud ipsum Deum; ergo falsum est quod ipsa asserit.

50 Rectus loquendi modus in rebus à Diuino decreto pendentibus, est ille, quo vsus est Verbum Incarna-

carnatum *Lucæ cap. 16. ver. 17.* Facilius est Cœlum, & terram præterire, quàm de lege vnum apicem cadere. Certum est quod circa legem posuit Deus suum decretum, quod immutabile est, & nihilominùs non dixit Christus: sicut Impossibile est cadere Deum, sic impossibile est vnum de lege apicem cadere: Sed quia lex est opus ad extra, sumpsit etiam comparationem ab operibus ad extra, & dixit: Facilius est Cœlum, et terram præterire, quàm de lege vnum apicem cadere. Comparatio, namquè, et similitudo ponitur inter res in eadem linea, in eodem ordine positas. Sic etiam Dominus per *Isai. cap. 55. ver. 9.* Sicut exaltantur Cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris, et cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Quia hìc loquitur Deus de suis vijs, & de suis operibus, quatenùs respiciuntur ad extrà; Ideò posuit comparationem, & similitudinem inter eas, & res, quæ sunt ad extrà. Et hìc est rectus loquendi modus, & vsitatus in Sacra Scriptura. At modus loquendi huius mulieris excedit, & egreditur ab isto ordine, & impossibilitatem suæ perditionis, quæ est in ordine rerum, quæ sunt ad extra, trahit ad impossibilitatem, quæ reperitur in Deo in ordine ad intrà; dicendo: COME E' IMPOSSIBILE, CHE ESSO SIGNORE SI PERDA; COSI E' IMPOSSIBILE, CHE SI PERDA LA DILETTA. At cum inter istos duos ordines nulla possit dari comparatio, sequitur, quod propositio, talem comparationem continens, sit falsa; & per cō-

sequens non à Deo, sed à dæmone.

51 Sed vt melius cognoscamus, quod ista mulier à dæmone est decepta, expědamus adhùc eius propositionem, cum sequentibus obseruationibus.

52 Primò, ipsa non explicat à quonam certiorata sit de dono perseuerantiæ; solummodò dicit: E' ASSICVRATA DEL GRAN DONO DELLA PERSEVERANZA; à quo autem habeat hanc certitudinem, in propositione non declaratur.

53 Secundò nèc etiam explicat in quo cum tali dono sit perseueratura: sed solum dicit se de dono perseuerantiæ securam.

54 Tertiò, non dicit, quod ipsi loquatur Deus, sed Dominus; sic enim explicat suum assertum, & his verbis præcisis: ET IL SIGNORE DICE, COME E' IMPOSSIBILE, CHE ESSO SIGNORE SI PERDA, COSI &c. Non igitur affert allocutionem Dei, sed Domini.

55 Quartò, demùm non dicit, quod Dominus loquatur sibi, sed indefinitè pronuncians ait: ET IL SIGNORE DICE; COME E' IMPOSSIBILE &c. Nùm autem hoc dicatur à Domino huic mulieri, an alteri, vèl omnibus, adhùc ignoratur, quia in sua propositione indefinitè loquitur. Et ex istis quatuor particulis benè obseruatis, facilè cognoscetur, quod ista mulier potest esse decepta.

56 Et quoad primam obseruationem attinet, dico, quod cum hæc mulier non explicet à quonam ha-

beat certitudinem de magno dono perseuerantiæ, rationabilitèr dicere possumus, quod si ipsa verè catholicè, & iuxtà consonantiam Sacræ Scripturæ loquatur, habet talem certitudinem à Deo, qui est Auctor veritatis, & Sacræ Scripturæ. Si autem eius assertum contradicit veritati Catholicæ Sacrarum Scripturarum, non à Deo, sed à dæmone hanc habet certitudinem; Sed eius assertum contradicit veritati catholicæ, àc Sacris Scripturis; ergo talem certitudinem non à Deo accepit, sed à dæmone. Maior huius argumenti non indiget probatione, quia Deus suis verbis non contradicit; Si enim contradiceret, nèc veritas Diuina esset firma, nèc verbum Domini maneret in æternũ; quod est contra illud: Verbum autem Domini manet in æternum; *Isai. cap.* 40. *ver.* 8. & *Dauid psal.* 118. & contra illud: Impossibile est mentiri Deum. *Hebr. cap.* 6. *ver.* 18. & ideò dicit Christus. *Matt. cap.* 24. *ver.* 35. et *Mar. cap.* 13. *ver.* 31. Cœlum, et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Minor verò huius argumenti, quod scilicèt assertum huius mulieris contradicit veritati, et Sacris Scripturis, probatur per omnia ea, quæ tacta sunt supra; quibus addo, quod cum comparet, & assimilet hanc mulierem Omnipotenti Deo, contradicit veritati in Scripturis Sacris reuelatæ. Exodi namquè *cap.* 15. *ver.* 11. habetur: Quis similis tui in fortibus Domine? & 3. *Reg. cap.* 7. *ver.* 23. Domine Deus

non

non est similis tui Deus in Cœlo desuper, & super terram deorsum; & *in psal. 34. ver. 10.* Domine quis similis tibi; Sed assertum, quod contradicit Sacræ Scripturæ, non potest prouenire à Deo, vt patet; ergo prouenit à dæmone, qui cum sit pater mendacij contradicit veritati.

57 Idem elicitur ex secunda obseruatione, in qua ponderatur, quòd ipsa non explicat in quo debeat perseuerare, an in bono, vèl in malo. In qua quidèm pòderatione sic discurro: vèl reuelatio prouenit à Deo, vèl à dæmone; si prouenit à Deo, subintelligitur, quod debeat perseuerare in bono: Quia omne bonum desursum est. *Iacobi cap. 1. ver. 17.* Si autem prouenit à dæmone, subintelligitur, quod debeat perseuerare in malo; quia; Qui facit peccatum ex diabolo est. *1. Ioan. cap. 3. ver. 8.* Sed probatum est iam in prima obseruatione; quod eius assertum, vt contrarium Sacræ Scripturæ, non potest esse à Deo; imò potiùs est à diabolo: ergo subintelligitur, quod debeat perseuerare in malo; & quod diabolus hoc magnum donum huic mulieri largitus est, vt perseueret in suo malo famulatu.

58 Et hoc magis confirmatur per id, quod elicitur ex tertia obseruatione, in qua notatum est, quod ipsa non dicit, quod ei loquatur Deus, sed Dominus. ET IL SIGNORE DICE, COME E' IMPOSSIBILE &c. & in hac obseruatione mihi occurrit ille reflexus, quem facit D. Chrisostomus super illa verba

Luciferi. *Isai.cap*. 14. *ver*. 14. Ascendam super altitudinem nubium,similis ero Altissimo. Vbi notat Chrisostom. quod Lucifer non dixit; similis ero Deo;sed dixit simile ero Altissimo,& assignans rationem de hoc modo loquēdi Luciferi,dicit. Quod cum iam Lucifer per suam superbiam, iam corde negauerit Deum,erubuit ore nominare illum, quem in suo corde negauerat. Hæc sunt verba Chrisostomi in *Psal*. 13. (Sustulit, Deo, & posuit, Altissimo ; erubescens eum nominare, quem iam negauerat.) Idem mihi videtur dicendum de hac muliere. Quia forsitàn, decepta à dæmone, Deum in suo corde negauit ; non dicit, quod Deus ipsi loquatur,sed Dominus; erubescens forsitàn illum, Deum, ore nominare, quem iam in suo corde negauit. Et confirmor in hoc sensu, quia cum in omnibus suis assertionibus pluries habuerit occasionem hæc mulier nominandi Deum, numquàm ipsum nominauit; nisi vna vice tantùm; & hoc fuit in septima, & vltima propositione; & hoc obiter fecit ; & forsitàn etiam ex diaboli versutia, ad tollendam præsentem redargutionem.

59 Ex quarta tandèm obseruatione similitèr confirmatur ; quod dæmon est ille, qui loquitur in hac muliere, & non loquitur tantummodò ipsi, sed omnibus suis sequacibus suggerit illam falsam propositionem, quam effutiuit in Cœlo, quandò dixit, similis ero Altissimo. Et ideo non dicit, ET IL SIGNORE LE DICE; sed absquè illa particula demonstratiua, &

ua, & restrictiua, indefinitè loquendo dicit: ET IL SIGNORE DICE, & dicit omnibus plus factis, quàm verbis: COME E' IMPOSSIBILE, CHE ESSO SIGNORE SI PERDA; COSI E' IMPOSSIBILE, CHE SI PERDA LA DILETTA. Et vera est hæc propositio in persona diaboli, quem supponimus hic loquentem; quia resoluitur in istam secundam veritatem: Sicut impossibilis est perditio diaboli, qui de facto iam perijt; sic impossibilis est perditio huius mulieris; quæ nisi resipiscat de facto peribit. Vndè ista propositio intelligi debet per figuram antiphrasim.

60 Demùm considerare possumus illam vltimam particulam in hac propositione positam, nimirùm, LA DILETTA; Idest illa, quæ diligitur, nempè à Deo. Hoc enim nititur ostendere illa particula. Sed quis scit an amore, vèl odio dignus sit? Aùt quis vnquàm in Sacra Scriptura sibi vsurpauit hunc pretiosum titulum dilecti? dices forsitàn, quod hoc sciuit ex reuelatione, et quia ipsi reuelatum fuit, quod erat Dei dilecta, ideò tali titulo se decorat.

61 Esto quod habuerit talem reuelationem; Attamèn reuelationes hanc debent habere conditionē, nimirùm, quod reddant Animam humiliorem, àc mansuetiorem, vt ibi cum Delrio, Torre, Sousa, Grauina, et Alberghino firmatum est. Sed quæ humilitas arguitur in illa, quæ se appellat, atquè iactat Dei dilectam? Verum est, quod Deus diligit genus humanum: Diligamus Deum, ait Ioannes, quoniam ipse prior

dilexit

dilexit nos. 1. *Ioan. cap.* 4. *ver.* 11. Item Christus apud *Ioan. cap.* 3. *ver.* 16. Sic Deus dilexit mundum. At nemo particularitèr scire potest nùm ipse sit in numero dilectorum; Quia vt ait Textus Sacer: Nescit homo vtrum amore, an odio dignus sit; sed omnia in futurum seruantur incerta. *Ecclesi. cap.* 9. *ver.* 1. Et si Deus aliquandò reuelauit alicui suũ erga ipsum amorem: numquàm hic, qui ex reuelatione didicit se diligi à Deo, ausus est se vocare Dei Dilectum; Imò ex tali reuelatione maioris humilitatis occasionem desumpsit.

62 Abraham maximoperè diligebatur à Deo, & Diuini amoris magna, imò maxima habuit argumenta; sed ipse magis se humilians dicebat: loquar ad Dominum, cum sim cinis, & puluis *Gen. cap.* 18. *uer.* 26. Certus erat Ioannes Baptista de dilectione Dei; nihilominùs de se loquens aiebat: Cuius ego non sum dignus, vt soluam corrigiam calceamenti. *Ioan. cap.* 1. *uersu.* 27. Et quis certior de Dei dilectione; quàm fuerat Beata Virgo Mater Dei? At numquàm nomen dilectæ sibi atttibuit; sed solo Ancillæ nomine contenta humilitèr aiebat. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. *Lucæ cap.* 1. *uer.* 38. Et cum ab Elisabet benediceretur, & extolleretur, item respõdit in suo Cantico: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: *Luc. cap.* 1. *uer.* 48. ea namquè est reuelationis Diuinæ vis, & virtus, vt Animam humiliorem, àc mansuetiorem reddat. Quæ autem vanitatem, & superbiam,

perbiam, vèl vanitatis, & superbiæ speciem in animã inserit, non à Deo est, sed à dæmone, qui vanitatis, & superbiæ princeps est.

63 Nèc adducatur, quod Ioannes Euangelista dicat de se, quod diligebatur à Christo; quia iste Discipulus loquitur cum tanta modestia, vt videri potest in suo Euangelio, quod semper hoc exprimit in tertia persona, dicendo: Ille discipulus, quem diligebat Iesus. Sic dicit *cap.* 13. *uer.* 23. *cap.* 19. *ver.* 26. & *cap.* 21. *uer.* 7. & 20. & signabat se tali nomine; Quia signa dilectionis Iesu erga Ioannem erant omnibus nota, nèc poterant aliquo modo celari, vt patet de dormitione ipsius supra pectus Domini; de commendatione Beatæ Virginis Matris, sibi facta à Redemptore in Cruce pendente, & similibus. Vndè non est mirandum, quod hoc sibi vendicauerit, quod diligebatur à Christo. Hac enim phrasi reddit rationem, cur tot, & tanta priuilegia fuerunt ei concessa à Christo Domino? nimirum quia diligebatur ab ipso. Et hoc ad Ecclesiæ instructionem necesse fuit exprimere; vt scilicèt nullam hæsitationem haberet de sublimissima, àc profundissima Doctrina illius, qui fluenta Euangelij de ipso Sacro Dominici pectoris fonte potauit. At qua necessitate ducitur hæc mulier ad vocandam se Dei dilectam? nulla prorsus. Sed vanitate potius, àc inani gloria percita, talem titulum sibi arrogat. Et consequentèr sua reuelatio non est à Deo.

64 Hoc etiam probatur in lapide lydio signorum

ad di-

ad discernendas reuelationes Diuinas à diabolicis. Quorum primum est; quod approbetur ab expertibus, sapientibus, & spiritualibus viris; At hæc propositio, vt visum est, contradicit iudicio Sanctorum Patrum, & sapientum; ergo non est à Deo.

65 Secundum signum est, quod si reuelatio ingerit virtutes, vtpotè mansuetudinem, humilitatem, & similes in animam, talis reuelatio supponitur à Deo, qui Auctor est, & Doctor mansuetudinis, & humilitatis, iuxtà illud: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde *Matt. cap.* 11. *ver.* 29. Sed ista reuelatio non incitat hanc mulierem ad mansuetudinem, & humilitatem, imò potius ad extollentiam, ad arrogantiam, & ad superbiam, vt ex probatis clarè deducitur; ergo dubitari potest, quod talis reuelatio non sit à Deo, sed à dæmone, qui est auctor superbiæ omniumquè vitiorum magister.


66 Tertium signum est; si reuelatio per omnes suas partes continet veritatem, & nullam falsitatem admixtam habet, est vtiquè à Deo, qui Doctor est veritatis; Si autem cum falsitate miscetur, à dæmone profectò est; ipse enim magister est falsitatis. At hæc præsens propositio admixtam habet falsitatem, vt fusè ostensum est in examine secundæ partis; ergo non esse à Deo, sed potius à dæmone suspicatur.

67 Quartum signum est, quod si reuelatio est cõformis Sacræ Scripturæ, Sanctorum Patrum doctrinis, & Sacrorum Conciliorũ determinationibus, est à

Deo;

Deo; Sed hæc reuelatio, eiusque assertum dissonat, imò contradicit, & Sacris Scripturis, & Sanctorum Patrum doctrinis, & Conciliorum determinationibus, vt iam probatum est; ergo non est à Deo, sed à diabolo, qui cum sit pater mendacij, veritatem semper impugnat.

68 Circa quintum signum dico, sicùt dixi in discussione primæ propositionis; & solummodò circa ipsum dico, quod cum nullus appareat finis, quò tendat, vèl tendere possit talis reuelatio: sed solummodò ostendatur in ipsa quædam iactantia fictæ sanctitatis, clarè deducitur posse dubitari, talem reuelationem esse à diabolo, qui hypocrisiam in corde, & in ore hominum concinnat. Et ex his, quæ dicta sunt clarè colligere potes, ò Theophile carissime, in quo pretio haberi debeat hæc secunda reuelatio.



Excutitur tertia Reuelationis spica; eiusquè Propositio discutitur.

DISCVSSIO TERTIA.

1 ASsertum tertiæ Reuelationis hoc est. GENERATA, EX ILLICITA COPVLA, ET SANCTIFICATA IN VTERO MATRIS, COME SAN GIO: BATTISTA, POCO DOPPO L'ANIMATIONE. Postquàm hæc mulier de sua prædestinatione, àc de certitudine suæ æternæ salutis reuelationes protulit, addit, & alias, non nulla, sed prægrandia priuilegia continentes; inter quæ primum est, quod fuerit sanctificata in vtero Matris sicut Ioannes Baptista.

2 Magnum, imò maximum est hoc priuilegium, & à paucitate eorum, qui eo sunt à Domino insigniti, argumentari potest ipsius excellentia. Solùm in Testamento veteri Ieremiam habemus, qui hanc gratiã sit assequutus; & solùm Ioannem Baptistam in Testamento Nouo. De primo habemus testimonium infallibile eiusdemet Dei sanctificantis, qui suum Prophètam ipsum instituere volens, sic eum antè omnia est alloquutus: Priusquàm te formarem in vtero noui te; & antequàm exires de vulua sanctificaui te, & Prophètã in Gentibus dedi te. *Ierem. cap. 1. uer. 5.* Quæ verba expendens Origenes sic ait: (Ieremias hoc præ

cœteris

cœteris decus est assequutus. Abraham Prophèta nũcupatus est, in eo quod dicitur: Prophèta est, et orabit prò te; & non tamen dixit ad eum: Priusquàm te formarem, sed posteà in extremo vitæ tempore Sanctificatus est Abraham.) Ex quo Origenis dicto colligitur, quàm magnum sit hoc priuilegium, & quàm rarum, cum desideretur in magno illo Abraham, qui fuit omnium Patriarcharum Pater, & tamen in eo nõ inuenitur.

3 De secundo, nempè de Ioanne Baptista, habemus illud firmissimum, & irrefragabile attestatum *Lucæ cap. 1. uer 41.* Et factum est, vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit Infans in vtero eius; & repleta est Spiritu Sancto. Et circa hanc Ioannis exultationem, sic discurrit D. Augustinus. (Quamquàm etiam si vsquè adeò est in illo Puero acceleratus vsus rationis, & voluntatis, vt intra viscera Materna iam posset agnoscere, credere, consentire, quod in alijs paruulis ætas expectatur, vt possint, etiam hoc in miraculis habendum, Diuinæ Potentiæ, non ad humanæ trahendum est exemplar naturæ.) Hæc Augustinus *in epist. 57. ad Darda. in med.* Miraculo igitur ista Ioannis præpropera exultatio adscribitur, & verè miraculum singulare, cum de nullo alio in Sacra Scriptura legatur; Vndè S. Cyrillus Hierosolymitanus dicit: (Solus Ioannes in vtero existens exultauit in gaudio; & corporeis oculis nihil videns, spiritu Dominum cognouit.) Hæc Cyrill. *cathech. 3. in med.*

4 Nèc immeritò notatur à S. Augustino, quod miraculosè, & per Diuinam Potentiam hoc factum est in Ioanne; & à S. Cyrillo, quod in solo Ioanne hoc miraculum actum est; Nàm cum lex Diuina alitèr disposuerit; nisi clarum, & euidens testimonium ex Sacra Scriptura habeamus, non debemus credere, quod in dicta lege sit dispensatum.

5 Imò, ex his duobus exemplis à Sacra Scriptura desumptis, arguendo a minori ad maius S. Bernardus, & S. Bonauentura excellentius priuilegium tribuunt Mariæ: de qua Bernardus: (Minus à Ieremia sanctificatam in vtero, aùt non magis à Ioanne Spiritu Sancto repletam credere prohibet pietas Christiana.) Sic Bernard. *ser. 2. de Assumpt. Deiparæ propè finem.* Excellentiori igitur modo, quàm Ieremias, & Ioannes præuenta fuit tali honore Beatissima Virgo. Vndè dicit D. Bonauētura: (Et ex hoc quasi à minori colligitur, hoc B. Virgini fuisse concessum; Quia, sicùt dicit Bernardus: Quod alijs legitur fuisse collatum, non est credendum Virgini fuisse negatum. Maximè cum Sanctitas Virginis excedat Ieremiæ, & Ioannis Puritatem, & Virginitatem.) Sic D. Bonauentura *in 3. dist. 3. par. 1. art. 2. quæst. 3.* Vndè apparet, quod isti Sancti, quasi non auderent aliquid circa hoc de ipsamet Deipara asserere, nisi haberent auctoritatem, & exempla Sacræ Scripturæ. Tanta igitur est huius priuilegij excellentia.

6 Et cum sit hoc tàm singulare decus, & tàm excellens,

cellens,

cellens, non erubescit tamem ista mulier se asserere sanctificatam in vtero; Et quod maius est, paulò post animationem. SANCTIFICATA IN VTERO MATRIS, COME SAN GIO: BATTISTA, POCO DOPPO L'ANIMATIONE.

7 Ille Ioannes de quo veritas ipsa testatur, & dicit: Maior inter natos Mulierum Prophèta Ioanne Baptista nemo est *Lucæ cap. 7. uer.* 28. Ille Ioannes de quo Angelus ad Zachariam Patrem eius dixit: Erit magnus coràm Domino, & Spiritu Sancto replebitur adhùc in vtero Matris suæ, & multos Filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum, & ipse præcedet illum in spiritu, & virtute Eliæ. *Lucæ cap.* 1. *uer.* 15. Ille Ioannes, de quo per Isaiam, & Malachiam prædixit Dominus: Ecce ego mitto Angelum meum antè faciem tuam. Ille, inquam, Ioannes, de quo Ambrosius, & Augustinus vno ore dixerunt: (Præcellit cœteros, eminet vniuersis, antecellit Prophètas, supergreditur Patriarchas, & quisquis de muliere natus est, inferior est Ioanne.) Iste, inquàm, in vtero Matris Sanctificatus est, non paulò post animationem, sed post sex menses transactos, vt colligitur ex *Lucæ cap.* 1. Et ista mulier se iactat sanctificatam in vtero Matris POCO DOPPO L'ANIMATIONE. paulò post, vèl parùm post animationem.

8 Ille Ioannes, de quo scripsit Augustinus: (Videtis Fratres, quemadmodùm Ioannes antè peruenit ad Cœlum, quàm tangeret terram; antè accepit Diui-

num

num Spiritum, quàm humanum; antè suscepit Diuina munera, quàm humana corporis membra; Antè cœpit viuere Deo, quàm sibi; Imò antè vixit ille Domino, quàm Deus viueret illi: Iuxta illud Apostoli; Iam non ego viuo; sed viuit in me Christus.) Augustinus *ser. 22. de Sanctis, qui est tertius de S. Ioanne tom. 10.* Ille Ioannes, de quo scripsit Petrus Chrisologus: (B. Ioannes, qui antè Dei Spiritu meruit intonare, quàm hominis vagiret in fletu: Beatus, qui antè Diuina possidere meruit, quàm sortiretur humana: Beatus, qui antè meruit Cœlum scire, quàm terram: Beatus, qui antequàm videret præsentia, futura meruit nunciare: Beatus, qui antè Deum capere potuit, quàm suo ipse caperetur à corpore.) Chrisol. *ser.* 88. Hic, inquam, tot prœconijs, adhùc in vtero Matris existens, celebratus, sanctificatus fuit sex à sua generatione decursis mensibus. Tunc enim Maria perrexit ad Elisabeth; Et Christus ad Ioannem, quandò à Gabriele audiuit: Et hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis. *Lucæ cap. 1. ver.* 37. Et ista mulier excellentiori prærogatiua decorata, non post sex, vèl quinquè, vèl quatuor menses; non post duos, vèl vnum; sed paulò, vèl parùm post animationẽ. POCO DOPPO L'ANIMATIONE.

9 Sed, vt melius intelligatur huius Diuini muneris præstantia, videamus, quæsò, quid importet illud aduerbium, parùm post, POCO DOPPO. Certum est, quod apud Iuristas Parùm, & Nihil æquiparantur *l.*

quam-

quamuis ff. de condit. & demonstrat. glos. in l. Si pupillus, §. Si ergo, in uerb. ex contrario ff. ad leg. Falcid. cap. coram dilecto, 34. de offic. de leg. Tiraquel. tract. de Iudic. in rebus exiguis uer. 8. & alij quos refert, & sequitur Barbosa de Axiomatibus Iuris Axioma 175. & de dictionibus usufrequent. dictione 246. num. 3. Dictio autem, Post, idem sonat, & valet, àc si dicatur, Confestim, aut incontinenti, vt ait Barbosa *de dictio. usufrequent. dictio. 270. num. 4.* Itaquè illa particula posita in asserta reuelatione, POCO DOPPO, idem sonat, àc, Confestim, vèl Incontinenti, post animationem; quia, vt dictum est, Parùm, & Nihil æquiparantur, & probatur quia, vt dicit Barbosa *num. 4. citato.* Quandò ista dictio, Post, ponitur vbi potest significare, & longùm, & modicum interuallum; Tùnc talis dictio denotat modicum interuallum; Et tantò magis in hac propositione denotat modicum interuallum, quia restringitur per illam aliam dictionem diminutiuam, nempè, Parùm, quod idem valet, àc nihil. Et hoc dictum sit ad ostendendam magnitudinem, & singularitatem priuilegij, de quo se iactat ista mulier.

10 De hac autem sanctificatione in vtero materno viget ille Caluini, & Caluinistarum error, quod omnes filij fidelium in materno vtero, ita à Spiritu Sãcto sanctificantur, vt nèc vllo baptismi lauacro ad salutem obtinendam necessariò indigeant. Quem errorem à Caluino haustũ, sic Theodorus Beza suis discipulis propinat *in confess. fidei puncto 4. art. 48.* dicens.

(Se-

(Secundò, quoad infantes fidelium, singularis quædam esse debet consideratio: Nàm quamuis eam fidē actu non habeant, qualis in adultis reperitur, tamen illius semen, àc germen in seipsis gerunt; cum Deus ex ipso matris vtero illos sanctificauerit, & à filijs infidelium discreuerit &c.) Et de Cœna Domini contra Vuestphalum *cap.* 36. dicit idem Beza (Si cuius prolem contingerit antè mori, quàm offerri baptismo potuerit; minimè tamen dubitamus de eius salute; quoniàm putamus baptismi contemptum, non priuationem esse essentialem.) Idem etiam repetit ipsemet Beza *in sua Creophagia* vbi ait: (Ab vtero eorum sancti sunt fidelium pueri, ex fœderis formula; Sed ea sanctificatio per baptismum obsignatur &c.) Idem etiam suis seductis sequacibus suggessit Caluinus *lib.* 1. *Instit. cap.* 16. §. 6. vbi ita scribit. (Explodendum est eorum Commentum, qui omnes non baptizatos æternæ morti adiudicant &c. & post pauca adiungit: Non dùm baptizatum Dominus, nullum damnasse comperitur.) Et in defensione secunda contra Vuestphalum constantèr affirmat. (Infantes, ex fidelibus parentibus ortos, sanctos esse; atquè etiam antequàm baptizentur, inter Ecclesiæ membra referri.) & alijs etiam in locis hoc repetit Caluinus. Estquè hæc communis Caluinistarum assertio, quam in cathechismo profitentur, vbi formam baptismi tradunt, vt refert Bouetius in *examine* 1. *Lutheranorum, & Caluinistarum de vnione Religionis, Atheismo* 23. *tom.* 2. *controuer.*

11 Alij etiam sequuntur hanc atheisticam doctrinam, vt Zuuinglius, Lutherus, Philippus Melancton, Buccrus, Bullingerus, & alij, qui eam, vt ait idem Bouerius, ab antiquis hæreticis, Caianis, scilicèt, Manichæis, Archonticis, Seleucianis, Messalianis, àc cœteris olim damnatis decerpserunt, & in suis scriptis inseruerunt.

12 At quàm pestifera, quamquè contraria sit catholicæ fidei, satis idem Bouerius, in examine citato, ostendit testimonijs ex Sacra Scriptura, ex Sacris Cōcilijs, & ex Sanctis Patribus desumptis, nèc non, & rationibus.

13 Quinquè enim præcipuè errores intolerabiles, siuè apertas hæreses includit hoc dogma; prima est, quod omnes filij fidelium sanctificentur in vtero matris; secunda, quod pueri sinè baptismo decedētes non sunt damnati, quatenùs ly, damnati, excludit æternam Dei visionem, & mors æterna opponitur æternæ vitæ, siuè æternæ morti addicti; tertia, quod Baptismi contemptus solummodò exitialis est, non autem baptismi priuatio: quarta, quod baptismus obsignat solummodò in pueris illam sanctitatem, quam secum trahunt ab vtero materno; & quinta demùm, quod infantes ex fidelibus parentibus orti, sunt sancti, & quod antequàm baptizentur, inter Ecclesiæ membra referuntur.

14 Prima assertio contradicit veritati Sacræ Scripturæ, quæ pluribus in locis ostendit, quod omnes siuè

ex fidelibus, siuè ex infidelibus nascimur filij iræ; Dauid enim sic in persona omnium confitetur: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea *Psal.* 50. *ver.* 7. Iob quoquè dicit: Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? *cap.* 14. *ver.* 4. vbi legunt septuaginta: (Nemo mundus à sorde, nèc infans cuius est vnius diei vita super terram.) Idem tradit D. Paulus pluribus in locis. *Rom. cap.* 3. *ver.* 23. Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. Et *cap.* 5. *ver.* 12. *eiusdem epist.* Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatũ mors; ita & per omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt. *&* *ver.* 18. Sicut per vnius delictum in omnes homines in condẽnationem; Sic per vnius iustitiã &c. Et 1. *Corint. cap.* 15. *ver.* 22. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur Et 2. *Corint. cap.* 5. *uer.* 14. Si vnus prò omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt. & *ad Ephesios cap.* 2. *uer.* 4. Eramus natura filij iræ, sicùt, & cœteri. Clarè igitur, imò clarissimè apparet in omnibus his Sacræ Scripturæ locis, quod omnes cum originalis peccati macula nascimur.

15 Contradicit etiam Sacris Concilijs; & primò contradicit Concilio Mileuitano, relato à Gratiano *de consecrat. distin.* 4. *C. Placuit.* 2. in quo Concilio sic decretum fuit: (Placuit, vt quicumquè paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, aùt dicit in re-

in remissionem quidèm peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lauacro regenerationis expietur; vndè fit consequens, vt in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur. Anathema sit.)

16 Secundò contradicit Sacro Concilio Tridentino, vbi *in decreto sess.* 5. sic decernitur. (Si quis Adæ præuaricationem sibi soli, & non eius propagini asserit nocuisse, & acceptam à Deo Sanctitatem, & iustitiam, quam perdidit, sibi soli, non nobis etiam eum perdidisse, aùt inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem, & pœnas corporis tantùm in omne genus humanum transfudisse, non autem, & peccatum, quod mors est Animæ. anathema sit.)

17 Nèc immeritò hæc prima Caluinistarum, & Lutheranorum assertio anathematizatur, vt hæretica; est enim contra Sacram Scripturam, & etiam contra communem Sanctorum Patrum consensum. Diuus namquè Ambrosius *lib. 1. de pœnitentia cap. 2.* sic docet: (Omnes homines sùb peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est, dicente Dauid: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.) Et D. Hieronymus *in cap. 47. Ezechielis* dicit: (Mundus in maligno positus est; & à pueritia appositum est cor hominis ad malum, vt ne vnius quidèm diei à natiuitate sua exordio, sinè peccato sit humana conditio: Vndè, & Dauid cōfitetur in Psal. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.) Idem

quoquè docent D. Hilarius *in Psal.* 118. & D. Ioan. Chrisost. *hom. de Adam, & Eua.* Idem docet S. Augustinus *in lib. de fide ad Petrum Diaconum cap.* 26. relatus à Gratiano *de consecr. dist.* 4. *C. Firmissimè tene:* vbi ait: (Firmissimè tene, & nullatenùs dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri, & mulieris concipitur, cũ peccato originali nasci impietati subditum, mortiquè subiectum; & ob hoc natura iræ filium nasci; de qua dicit Apostolus: Eramus enim, & nos natura filij iræ, sicut, & cœteri. *Ephes. cap.* 2.) Origenes etiam *hom.* 12. *in Leuiticum* sic confitetur: (Omnis qui ingreditur hunc mundum, in quadam contaminatione effici dicitur; proptèr quod, & Scriptura dicit: Nemo mundus à sorde, nèc si vnius diei fuerit vita eius.) Sic Origenes. Et hic est communis omnium Sanctorum Patrum, omniumquè Theologorum consensus.

18 Cum igitùr hæc prima assertio Caluinistarum, ac Lutheranorũ ex diametro se opponat Sacræ Scripturæ, Sacris Concilijs, & communi Sanctorum Patrum, àc Sacrorum Theologorum consensui, vt hæretica est explodenda.

19 Nèc dicatur, quod cum Caluinistæ admittant sanctificationem in vtero, quæ quidem est à Deo per merita Christi, non negant contractionem peccati originalis, & per consequens eorum assertum non vt hæreticum, sed vt temerarium, & impudens damnari debet; ipsi enim admissa sanctificatione in vtero, videntur

tur etiam admittere contractionem peccati originalis; quod posteà per sanctificationem deletur.

20 Hoc namquè nihil Caluinistis suffragatur; quia ipsi non admittunt sanctificationem in vtero esse à Deo per merita Christi; Sed dicunt, quod fidelium filij sola fide parentum sanctificantur. Si enim admitterent hanc sanctificationem in vtero esse à Deo; tùnc solius temeritatis, & impudentiæ nota qualificaretur à Corduba *quæst.* 17. §. 13. vbi ait, (quod dicere, quod hìc, vèl ille, priuilegio sanctificationis in vtero matris, à communi lege fidei, vèl Scripturæ Sacræ, est liber à peccato, sicut Ioannes Baptista, temerarium, & impudens est. Quia licèt per hoc priuilegium non tollantur, sed simùl stent leges communes fidei; sinè tamen causa rationabili eas infringere temerarium est) vt etiam ait Cano *de locis Theologic. lib.* 12. *cap.* 11. At quia Caluinistæ dogmatizant hanc eorum sanctificationem in vtero, non à Deo, sed ex fide parentum; ideò eorum assertio, vt hæretica damnatur à Sancta Romana Ecclesia.

21 Asserunt secundò, quod pueri sinè baptismo decedentes non sunt damnati; inferentes hunc secundum à primo errore; Si enim sanctificantur in vtero, vt falsò asserunt, per hanc sanctificationem saluantur, etiam, quod non sint baptizati.

22 Sed hæc assertio primò contradicit primæ veritati; Christus enim sic, cum Nicodemo differens, nos docuit: Nisi quis natus fuerit denuò, non potest

videre

videre Regnum Dei. *Ioan. cap. 3. uer. 3. & 5.* replicat: Amen, amen dico tibi; nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in Regnũ Dei. Et *Mar. cap. 16. uer. 16.* Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit. Item Paulus *ad Titum cap. 3. uer. 5.* Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti. Et Petrus *epist. 1. cap. 3. uer. 21.* Saluos facit baptisma, non carnis depositio sordium. Clarissima sunt, & infallibilia hæc Sacræ Scripturæ testimonia, quibus ex directo opponitur secundum Caluinistarum assertum.

23 Opponitur etiam Sacro Concilio Tridentino, in quo *sess. 7. de Baptismo can. 5.* sic determinatur: (Si quis dixerit baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem, anathema sit.) Idem determinatur in Concilio Mileuitano, supra relato, sùb anathematis pœna. Idem etiam determinant Sacri Canones *in C. Firmissimè tene.* Et *in C. Non potest. de consecrat. distin. 4.*

24 Opponitur etiam communi Sanctorum Patrum, Sacrorumquè Doctorum consensui. Clemens enim Romanus *epist. 4.* facit hoc quæsitum: Quid confert aquæ Baptismus ad cultum Dei? ad quod idémet respondet: (Primò quidèm, quia quod Deo placuit, impletur. Secundò, quia regenerato ex aquis, & Deo renato, fragilitas prioris natiuitatis, quæ vobis per hominem facta est, amputatur; & ita demùm peruenire poteritis ad salutem; Alitèr impossibile est. Sic

enim

enim nobis cum Sacramento verus Prophèta testatus est, dicens. Amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest &c. Et Augustinus *de Anima, & eius origine ad Vinc. lib. 3. cap. 9.* (Noli credere, noli dicere, noli docere infantes antequàm baptizentur, morte præuentos, posse ad originalium indulgentiam peccatorum peruenire, si vis esse Catholicus.) Idem Augustinus *de origine Animæ ad Hieronymum* dicit: (Neque negare fas est nobis eas, quæ sine Christi Sacramento de corpore exierunt, etiam paruulorum animas, non nisi in damnationem trahi.) & *in epist.* 89. (Quod dicunt infantem morte præuentum, non baptizatum, perire non posse, quoniam sine peccato nascitur: Non hoc dicit Apostolus: & arbitror esse melius, vt Apostolo potiùs, quàm istis credamus. Dicit enim ille Doctor Gentium: Per vnū hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.) Clarè, & in terminis hìc loquitur Augustinus contra Caluinum. & *lib. 3. de pecc. mer. cap.* 12. (Nèc paruuli de quibuslibet sanctis, iustisuè procreati, originalis peccati reatu absoluuntur, nisi fuerint in Christo baptizati.) Et idem docet *in lib. de fide ad Petrum cap.* 27. Idem etiam docuit Ambrosius *lib. 2. de uocatione gentium cap.* 8. vbi ait. (Neque credi fas est eos, qui regenerationis non adepti sunt Sacramentum, ad vllum Beatorum pertinere consortium.)

25 Hoc

25 Hoc etiam docet Origenes, qui *hom.* 14. *in Luc.* sic ait: (Quia per baptismi Sacramentum natiuitatis sordes deponuntur; propterea baptizantur, & paruuli; Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire &c.) Hæc Orig. & Tertullianus *lib. de baptismo cap.* 13. (Lex enim tingendi imposita est, & forma præscripta: Ite, inquit, docete nationes, tingentes eas in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Huic legi collata definitio illa. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non intrabit in Regnum Cœlorum; obstrinxit fidem ad baptismi necessitatem.) Hæc Tertull. Et hæc est veritas catholica, quam docet Ecclesia vniuersa, & vniuersus Theologorum cœtus; Quibus auctoritatibus clarissimè, & plenè conuincitur Caluinistarum, & Lutheranorum error.

26 Tertiò asserunt, quod baptismi contemptus exitialis est, non priuatio ipsius baptismi. Et hoc assertum cum sit contrarium omnibus Scripturis, & Auctoritatibus supra adductis in confutatione secundi dicti Caluinistarum, per easdem etiam Scripturas, per eosdem Conciliorum, & Canonum Sanctiones; nèc non per easdem Sãctorum Patrum Auctoritates, facillimè de hæresi conuincitur. Non enim dixit Christus: Qui contempserit baptismum non poterit in Regnum Dei introire: Sed absolutè loquitur, & verbis adeò claris, quod expositione non egent: Nisi, inquit, quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non

potest

poteſt introire in Regnum Dei: Sic etiam *Mar. cap.* 16. Non dixit, qui non contempſerit baptiſmum ſaluus erit, ſed abſolutè, & clariſſimè dicit: Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit. Eodemquè quoquè modo loquuntur aliæ Scripturæ. Sic enim Concilia, & Canones non loquuntur de cõtemptu baptiſmi, ſed de carentia, & priuatione ipſius baptiſmi. Et apertiſſimis verbis, idem docent Sancti Patres, & Doctores ſupra citati; vt videri poteſt, ne idem denuo repetamus.

27. Et ſi dicatur prò Caluiniſtis, quod antè Chriſti Aduentum non erat baptiſmus, & tamèn paruuli, & omnes, qui ſub lege erant abſquè baptiſmo ſaluabantur; & hinc velint inferre, quod baptiſmus non eſt neceſſarius. Friuola prorſus apud Catholicos eſt talis inſtantia. Nàm apud omnes compertum eſt, quod id valebat antiquitus Circumciſio, quod nùnc valet Baptiſmus. Sic docet D. Auguſtinus *ad Valerium lib. 2. de Nuptijs. & concupiſcentia cap.* 11. dicens: (Ex quo inſtituta eſt circumciſio in Populo Dei, quod erat ſignaculum iuſtitiæ fidei, ad ſignificationem purgationis valebat, & paruulis, originalis veteriſquè peccati: Sicut, & baptiſmus ex illo valere cœpit ad innouationem hominis, ex quo eſt inſtitutus) Hæc D. Auguſt. Et S. Gregorius complectens omnia tempora, & omnia remedia data à Deo in purgationem peccati originalis, ſic ait: (Quod autem apud nos valet aqua baptiſmatis, hoc egit apud veteres, vèl prò paruulis

sola fides, vèl prò maioribus virtus sacrificij, vèl prò his, qui de Abrahæ stirpe prodierunt, mysterium circumcisionis.) Gregorius *lib. 4. Moralium cap. 2. relatus in C. quod autem de consecr. dist. 4.* Vndè apparet, quod numquàm defuerunt remedia prò purgatione peccati originalis; Et sicut modò necessarius est baptismus ad peccatorum ablutionem; ita tùnc erant necessaria remedia prò huiusmodi purgatione, Diuinitus collata.

28 Quartum Caluinistarum assertum, quod supra notauimus, est, quod baptismus obsignat solummodò in pueris illam sanctitatem, quam secum trahunt ab vtero materno. In quo asserto tollunt à baptismo omnem efficaciam, quam habet in remissionem peccatorum; Et solùm concedunt, quod sit quoddam signum, quo sigillatur, & monstratur illa sanctitas, quam hauserunt, adhùc in vtero degentes, à parentibus fidelibus.

29 Et hoc etiam assertum contradicit veritati fidei catholicæ, quam nos docuit Christus *Mar cap. 16.* qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit. Vbi clarè videtur, quod baptismus ponitur non tamquàm signum ostensiuum habitæ iam sanctitatis; sed tamquàm Sacramentum necessarium ad salutem. Idem clarius demonstratur illis verbis ad Nicodemum: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non intrabit in Regnum Cœlorum. *Ioan. cap. 3.* & Paulus *ad Titum cap. 3.* Saluos nos fecit per lauacrum regenera-

nerationis, & renouationis Spiritus Sancti. Quibus auctoritatibus clarissimè demonstratur, quod baptismus est Sacramentum conferens salutem; & non signum salutem prius habitam obsignans.

30 Item contradicit veritati Catholicæ in Sacris Concilijs definitæ. Concilium namquè Nicenum 1. *lib. 3. de Sancto Baptismate*, ita docet: (Descendit itaq; qui baptizatur reus peccatorum, & obnoxius seruituti corruptionis, & ascendit liberatus ab hac seruitute, & peccato, factus filius Dei, & hæres eius gratiæ, cohæres autem Christi; indutus ipsum Christum, sicut scriptum est: Quicumquè in Christo baptizati estis; Christum induistis.) Quibus verbis clarissimè docemur, quod per baptismum non obsignatur sanctitas; quæ trahitur ex vtero, sed per ipsum liberamur à peccatis, in quibus concepti sumus in vtero, & quæ nos comitantur ex vtero. Et quod per baptismum non obsignamur tantummodò filij Dei; sed verè, & realiter per baptismum efficimur Filij Dei, hæredes gratiæ ipsius, & cohæredes Christi. Et quod per baptismum non obsignamur tantùm, sed verè induimus ipsum Christum per nouam vitam, ad quam regeneramur per Christum.

31 Concilium item Constantinopolitanum *in symbolo fidei* sic profitetur: (Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum.) Et Concil. Florentinum *in decreto Eugenij* 4. sic decernit: (Baptismi effectus est remissio omnis culpæ originalis, & actualis.)

lis.) Et Conciliū pariter Tridentinum *sess.5.can. 5. in Decreto de peccato originali*: sub anathematis pœna sic decretat. (Si quis per Christi Iesu Domini nostri gratiam, quæ in baptismo confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet: sed illud dicit tantùm radi, aut non amputari: anathema sit. Et in *can. 4. eiusdem Decreti* statuitur. Si quis paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, etiam si fuerint à baptizatis parentibus orti, aut dicit in remissionem quidèm peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro necessè sit expiari ad vitam æternam consequendam. Vndè fit consequens, vt in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur. anathema sit.) Et *sess. 7. de Sacrament. can. 6.* idem confirmatur. Quibus Decretis plenè exploditur illud Caluinisticum figmentum, quod per baptismum tantummodò obsignantur fideles, & quod per ipsum non remittuntur peccata: Nàm baptismus verè datus est in remissionem peccatorum; & per ipsum verè peccata remittuntur.

32 Hoc etiam docent Sancti Patres, & primò S. Clemens Romanus *epist. 4.* inter effectus baptismatis hunc ponit secundo loco, dicens: (Secundò, quia regenerato ex aquis, & Deo renato fragilitas prioris natiuitatis, quæ vobis per hominem facta est, amputatur;

tur; & ita demùm poteritis peruenire ad ſalutem, alitèr impoſſibile eſt &c.) Et D. Gregorius Nyſſenus *oratione de baptiſmo*, dicit: (Baptiſma igitùr peccatorum expiatio eſt, remiſſio delictorum, renouationis, & regenerationis cauſa.) Et S. Auguſtinus *lib. 1. de nuptijs, & concupiſcentia cap.* 20. ait: (Fides Chriſtiana non dubitat eos, qui lauacro regenerationis abluuntur, redimi de poteſtate diaboli; Et eos, qui non dùm tali regeneratione redempti ſunt, etiam paruulos filios redemptorum, sùb eiuſdem diaboli eſſe poteſtate captiuos &c.) Et idem paritèr probant omnes auctoritates ſupra adductæ; omnes namquè concludunt, quod baptiſmus cõfertur in remiſſionem peccatorum; Et quod verè per ipſum peccata remittuntur. Sicut etiam docet Eccleſia Catholica, & vniuerſa Theologorum ſchola. Ex quo communi conſenſu Scripturarum, Conciliorum, Sanctorum Patrum, & Theologorum, cui ſe contradictione opponit hoc quartum Caluiniſtarum aſſertum; conuincitur eſſe hæreticum, & iàm ab Eccleſia damnatum.

33 **Quintus deniquè Caluiniſtarum error, qui ex antecedentibus deducitur, & ſupra notatus fuit, eſt: Quod Infantes ex fidelibus parentibus orti, ſunt ſancti, & quod numerantur inter Eccleſiæ membra antequàm baptizentur.**

34 Et hìc quintus error duo continet; primum; quod infantes, qui à fidelibus naſcuntur, ſunt ſancti, & ſecundum, quod antequàm baptizentur numerantur,

tur,

tur, & aggregantur inter Ecclesiæ membra. Primum iam confutatum est in primo Caluinistarum asserto, in quo asserebant, quod omnes fidelium *filij* sanctificantur in vtero matris; & ideo ad ea, quæ ibi dicta sunt me remitto.

35 Secundum verò, vt contrarium veritati fidei confutatur primò auctoritate Apostoli, qui scribens ad Ephesios, sic loquitur de Ecclesia; Vt illam, scilicèt Ecclesiam, sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo, vt exiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aùt rugam, aùt aliquid huiusmodi, sed vt sit Sancta, & Immaculata. *Ephes. cap. 5. ver. 26. & 27.* Si igitur, vt Ecclesia esset Sancta, & Immaculata mundauit eam lauacro baptismatis; quomodò membra, quæ corpori Ecclesiæ in dies adiunguntur, & aggregantur, sunt mūdi absquè baptismo? Et si filij fidelium absquè baptismo immundi sunt, & peccatores, vt supra in confutatione primi asserti Caluinistarum ostensum est, & antequàm per baptismum purgentur inter Ecclesiæ membra referuntur, quomodò Ecclesia, quæ admittit, & aggregat tot membra immunda erit Sancta, & Immaculata, non habens maculam, nequè rugam? Vnum de duobus hinc necessariò sequitur, vèl quod Ecclesia maculatur per aggregationem immundorum; vèl quod immundi non aggregantur antequàm mundentur. Primum à nemine admittitur, nequè ab ipsis hæreticis; ergo remanet secundum, nimirùm, quod membra mundentur ante-

quàm

quàm aggregentur Ecclesiæ; Sed hæc mundatio non potest fieri nisi per baptismum, vt iàm demonstratum est; ergo necesse est, vt paruuli prius mundentur per baptismum, & posteà aggregentur inter Ecclesiæ membra.

36 Idem Paulus *ad Colossens. cap. 1. ver. 12.* Docens nos gratias agere Deo, dicit: Gratias agentes Deo, & Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum, in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in Regnum filij dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem, & remissionem peccatorum. (Et his verbis insinuat Paulus; ait Alphonsus de Castro, iustificationem peccatoris; quæ est translatio à potestate tenebrarum, in qua nascimur filij iræ, ad Regnum filij dilectionis suæ, & ad statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei. Quæ quidem translatio, post Euangelium promulgatum, sinè lauacro regenerationis, aùt eius voto fieri non potest. Sicut scriptum est *Ioan. cap. 3.* Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.) Sic Castro *lib. 7. aduersus hæreses verbo fides, secunda hæresi circa finem.* Ex qua Pauli auctoritate talis ratio consurgit. Idem est esse in potestate tenebrarum, àc esse in statu infidelitatis, seù in statu peccati; & idem est esse in parte sortis Sanctorum, et in Regno filij dilectionis Dei, àc esse in statu gratiæ inter filios Dei adoptiuos, àc inter Ecclesiæ membra connumerari; Sed ab vno statu ad alium non potest dari transitus,

tus, nisi per lauacrum regenerationis, et baptismatis; ergo nemo existens extra Ecclesiam Dei potest inter eius membra transire absquè baptismate. Minor probatur auctoritate Christi, qui *Ioan. cap.* 3. sùb sacramento affirmat, neminem introire posse in Regnum Dei sinè baptismo: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei. Vbi aduertendum est, quod non dixit:Non potest introire in Regnum Cœlorum, sed in Regnum Dei;Quod quidem Regnum complectitur Ecclesiam Militantem, et Triumphantem, iuxtà S. Gregor. doctrinam *hom.* 12. *in Euang.* vbi dicit: (Sciendum nobis est,quod sæpè in Sacro eloquio Regnum Cœlorum &c.(quod quidem est Regnum Dei iuxtà ipsummet D. Gregorium subiungentem:) Nequè enim in illo Regno Beatitudinis,in quo pax summa est,inueniri scandala poterunt; de quo alio in loco Dominus dicit, Mittet Filius hominis Angelos suos, et colligent de Regno eius omnia scandala.) Cum igitùr non intretur in Regnum Dei, nisi per baptismum;nemo absquè baptismo potest inter membra talis Regni connumerari.

37 Idem docet Concil. Nicen. 1. *lib.* 3. dicens: (Descendit itaquè, qui baptizatur reus peccatorum, & obnoxius seruituti corruptionis; & ascendit liberatus ab hac seruitute, & peccato, Factus filius Dei, & hæres eius gratiæ, cohæres autem Christi, indutus ipsum Christum,sicut scriptum est:Quicumquè in Chri-

sto

sto baptizati estis, Christum induistis.) Ex qua Concilij definitione eligitur, quod sinè baptismo non tollitur nèc peccati reatus, nèc debitum seruitutis; nequè potest aliquis filius Dei, nèc hæres gratiæ eius, nèc Cohæres Christi esse, nèc potest inducre Christum. Et quomodò igitùr, qui non est baptizatus poterit connumerari inter Ecclesiæ membra? numquid putridum inter sana? numquid alligatum inter libera? nũquid filius sathanæ inter filios Dei? Nùm hæres vindictæ inter hæredes gratiæ? Nùm cohæres diaboli cũ cohæredibus Christi? Nùm gestans dæmonis insignia cum his qui Christum induunt? & quæ conuentio Christi ad Belial? ergo falsum est, quod pueri absquè baptismo corpori Ecclesiæ aggregantur.

38 Hoc etiam docent Sacri Canones *in can. Filius Dei §. Paruuli etiam de consecrat. dist.* 4. vbi dicitur: Qui verò non sunt baptizati, inter non credentes iudicantur ex Euangelio Ioannis: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei &c. Si igitùr non baptizati iudicantur inter non credentes; idest inter infideles, quomodò aggregari possunt inter membra Ecclesiæ, cuius corpus compaginatur ex credentibus, & fidelibus?

39 Et *in C. Per aquam distin. ead.* habetur: (Per aquam baptismi transitus est à terrenis ad Cœlestia. Hoc est enim Pascha, idest transitus eius; transitus à peccato ad vitam, à culpa ad gratiam, ab inquinamento ad sanctificationem &c.) Si igitùr per baptis-

mum fit iste trãsitus, quomodò quis segregatus per infidelitatem ab Ecclesia potest ad eius vnionem transire absquè baptismo, & inter eius membra numerari?

40 Hoc idem docent Sancti Patres; & in primis Clemens Romanus *epist.* 4. vbi dicit: (Confugite ad aquas istas, solæ enim sunt, quæ possunt vim futuri ignis extinguere &c.) Si igitùr solæ aquæ baptismatis possunt vim futuri ignis extinguere; consequens est, quod prò illis, qui non baptizantur, scilicèt adultis, nõ extinguitur ille ignis; ergo paruuli, qui à Caluinistis supponuntur sanctificati, & Ecclesiæ aggregati absquè baptismo, obnoxij sunt futuræ Dei priuationi, ad quid ergo ipsis deseruit illa sanctificatio?

41 Et S. Cyrillus Ierosolymit. *catechesi* 3. ait: (Si quis non baptizatur, salutem non habet.) Et S. Gregor. *lib.* 4. *Moral. cap.* 3. dicit: (Quisquis regenerationis vnda non soluitur, reatu primi vinculi ligatus tenetur &c.) Et si est ligatus, quomodò est in libertate filiorum Dei, & inter Ecclesiæ mẽbra numeratus?) Et D. Chrisost. *hom.* 9. *in cap.* 6. *ad Hebr.* ait (Baptismus nihil aliud est, quàm interitus eius, qui baptizatur, & resurrectio illius &c.) Si igitùr non interimitur vetus homo per baptismum, quomodò potest nouus homo inter Ecclesiæ filios resurgere? Nùm idem eodem tempore poterit esse homo nouus, & vetus? Et D. Ambrosius *in* 1. *Corint. cap.* 6. inquit: (In baptismate omnibus peccatis depositis abluitur credens, & iustificatur Domini Nomine, & per Spiritum Dei no-

stri,

stri, Deo filius adoptatur &c.) Si igitùr per baptismum habetur ablutio, iustificatio, & adoptio; quomodo quis sinè baptismo potest annumerari inter Ecclesiæ membra? Nùm sordidus in corpore Immaculato? nùm iniustus in Ecclesia Sancta? nùm seruus diaboli inter filios Dei connumerari debet? Hoc quod docēt Scripturæ, Concilia, Canones, àc Sancti Patres, docet etiā Sancta Mater Ecclesia, & vniuersa Theologorum Schola.

42 Sed quid immoror in confutatione huius quinti asserti, cum ab eisdem hæreticis impugnetur? Theodorus Beza clarè loquitur in *confess. par. 4. cap. 8.* & dicit. (Quod homo per baptismum in Ecclesia incorporatur, & illius membrum efficitur.) Si igitùr per baptismū incorporatur, & efficitur membrum Ecclesiæ; consequens est, quod antè baptismum non erat in corpore Ecclesiæ, nèc illius membrum dici poterat.

43 Nèc sit qui miretur, si aliquandiù in confutatione prædictorum errorum digressi sumus; quia vt docet D. Augustinus *lib. de Doctrina Christiana:* (Valdè bonum est, vt quidquid contradici potest, si occurrit, refutetur: ne ibi occurrat, vbi non erit, qui respondeat: aùt præsenti quidem, & tacenti occurrat, & minus sanatus abscedat.) Sic Augustinus *relatus ab Alphonso de Castro aduersus hæreses lib. 3. Verbo: Beatitudo, hæresi prima.*

44 Confutatis igitùr supradictis Caluini, & Caluinistarum assertis, redeo ad examen propositionis illius

mulieris, quæ quodammodò cum sententia Caluini coincidere videtur; nisi melius eam asserens, se declaret.

45 Ipsa namquè sic de se asserit: GENERATA EX ILLICITA COPVLA, ET SANCTIFICATA IN VTERO MATRIS, COME S. GIO: BATTISTA, POCO DOPPO L'ANIMATIONE. Transeat prò nùnc illa particula, EX ILLICITA COPVLA, de qua postmodùm habebitur sermo, & expendamus alia verba.

46 GENERATA, ET SANCTIFICATA IN VTERO MATRIS &c. à quibus sit genita deducitur, quod fuit, scilicèt ab illis, qui illicitam copulam habuerunt. A quo autem fuerit sanctificata non exprimitur. Vndè de dolo hìc dubitari potest; non enim dicit se sanctificatam à Deo, sed indefinitè loquitur; & talis loquutio potest referri ad Deum, qui verè potest sanctificare; & potest referri ad sensum Caluinisticum, scilicèt, quod ipsa sentit se in vtero esse sanctificatam ex fide parentum; quia scilicèt orta est ex parentibus fidelibus; & præsumitur, quod ita sentit, attento verborum tenore: GENERATA, ET SANCTIFICATA POCO DOPPO L'ANIMATIONE. Licèt enim illa copulatiua, &, non significet in sensu composito, vt scilicet stent simul Generatio, & Sanctificatio; Sed significet in sensu singulari, nimirùm, quod intelligatur prius Generata, & posteà Sanctificata, quod apertè monstratur per verba sequentia POCO

DOP-

DOPPO L'ANIMATIONE. Nihilominùs, quia æqualitèr copulare videtur generationem, cum sanctificatione, cum non declaret à quo; videtur idem intelligere de vno copulatorum, quod intelligit de altero; & si non quoad tempus, vt scilicèt sit simùl generata, & sanctificata; saltèm videtur, quod equalitèr copulant ista duo quoad efficientiam, siuè quoad dependentiam; Nimirùm, quod semine traduce fuit generata à parentibus, & quod ab eisdem parentibus, qui sunt fideles, siuè ex fide ipsorum, eodem semine traduce sanctificationem acceperit.

47 Et hunc sensum facere videntur supradicta verba mulieris, tùm ex vi suppressionis nominis illius, qui verè potest sanctificare; tùm ex vi appositæ copulatiuæ, quæ videtur referre vtrumquè effectum, nempè generationem, & sanctificationem ad vnam eandemquè causam: tùm etiam, ex vi adiuncti in illis verbis, POCO DOPPO L'ANIMATIONE, quæ verba, vt supra monstratum est, idem sonant, ac si dicatur, confestim, vèl, incontinenti. Et si hæc mulier loquitur in tali sensu, apertè monstrat, quod sit in erroribus Caluinistarum, quos supra confutauimus; vt ab omnibus explosos esse monstrauimus. & si ipsa est in prædictis erroribus, vèl præsumitur, quod sit in ipsis, examinari, & probari debet, quid sentiat de fide.

48 Si autem ipsa intendit dicere, quod non ex fide parentum, seù ex fidelium semine traduce, sed à Deo, qui verus sanctificator est animarum, fuit sanctifi-

ctificata; adhùc eius assertum difficultate non caret. Licèt enim Deus hoc possit facere, Et iam fecit cum Ieremia Prophèta, & cum Ioanne Baptista; Attamen, attenta huius priuilegij magnitudine, & attenta dispositione Legis Diuinæ, Non est credendum, vèl concedendum, quod vltrà illos duos, Ioannem nempè, & Ieremiam, sit alteri concessum. Scriptura Sacra testatur, quod Ieremias, & Ioannes fuerunt sanctificati in vtero; Et si non adesset hoc infallibile testimonium, nullus auderet asserere eos in vtero sanctificatos.

49 Magnus, & sanctissimus fuit Abraham; & tamen non habuit sanctificationem in vtero, vt supra notauit Origenes. Sanctissimi, & magni, imò maximi fuerunt Apostoli, vt in discussione primæ propositionis monstratum est, & tamen non fuerunt in vtero sanctificati. Solùm de S. Iosepho Beatissimæ Virginis, & Dei Matris Sponso asseruit Ioannes Gerson, quod fuit sanctificatus in vtero. Sic enim ait *sermone de Natiuitate Virg. Mariæ consideratt 2.* (Sicut enim Maria fuerat in vtero sanctificata, priusquàm nascеretur; Ita de Ioseph virginali viro suo, pia credulitate credi potest, quamuis non omninò similitèr. Potest autem hæc dissimilitudo notari in hóc, quod Ioseph, post originale contractum, sanctificatus est in vtero baptismo flaminis, sicut Ioannes Baptista. Mariam verò ita præuenit gratia sanctificans, vt quamuis lege communi teneretur obnoxia peccato originali; iuxta

causas

causas vniuersales generationis ab Adam traductæ, nihilominùs ipsa Maria; lege priuata, ac priuilegiata sic præuenta est, vt nequaquàm, illud generale contraheret.) Hæc Gerson, quem postea sequuti sunt Iacobus de Valentia Episcopus Christopolitanus *in cantic. Virg.* Echius *serm. de S. Ioseph*, & Ioannes de Cartagena *lib. 4. hom. 3.* Et licèt in S. Ioseph concurrat istorum Doctorum auctoritas, eximia eius sanctitas, & singulare ministerium, ad quod à Deo fuit electus, nempè, vt seruiret Verbo Incarnato in ordine hypostatico, vt monstratum est in discussione primæ propositionis; Attamen monet Suarez, vt cautè loquamur de hoc sanctificationis priuilegio in persona S. Ioseph. (Hæc enim, & similia, ait ipse, quæ sunt præter generales Canones Scripturæ, non sunt sinè conuincenti ratione, & magna auctoritate Ecclesiæ, vèl Sanctorum Patrum approbanda.) Ita Suarez *in 3. par. D. Thom. quæst. 29. art. 1. & 2. disp. 8. sect. 2. circa finem.* Si igitùr in S. Ioseph, qui fuit ad tàm excelsum ministerium destinatus, difficultatē patitur hoc priuilegium sanctificationis in vtero, quid de alijs dicendum? Vtiquè tenendum est cum Corduba, & Cano supra citatis, quod absquè temeritatis, & impudentiæ nota asseri non potest, aliquem esse in vtero materno sanctificatum.

50 Demùm venio ad considerationem illius particulæ, GENERATA EX ILLICITA COPVLA, non enim parui momenti est in casu nostro. Quia licèt

cet verum sit, quod filius non portabit iniquitatem Patris. *Ezech. cap.* 18. *ver.* 20. Attamen peccati filij, seù geniti ex peccato, vt sunt illegitimi, & spurij, non sunt amabiles hominibus, neque Deo, vt per Rolan. tradit Cardin. Tuschus *verbo spurij. conclus.* 415. *num.* 33.

51 Quod nō sint amabiles Deo, patet ex Sacra Sriptura vbi *Sap. cap.* 3. *ver.* 16. habetur: Filij autem adulterorum in consummatione erunt; & ab iniquo thoro semen exterminabitur. Imò *in C. Cænomanensem* §. *Quod autem dist.* 56. habetur, Quod adulterorum filij abominatio sunt Domino. Et ideò tales in lege veteri excludebantur ab ingressu Ecclesiæ: Sic enim præcepit Dominus. *Deutor. cap.* 23. *ver.* 2. Non ingredietur manser, & hoc est de scorto natus, in Ecclesiam Domini vsquè ad decimam generationem. Et *in Osea cap.* 2. *ver.* 4. Filiorum illius non miserebor, quoniam filij fornicationum sunt. Et *in citato cap.* 3. *Sap. ver.* 17. prosequens sermonem de istis adulterinis adiungit: Et si quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & sinè honore erit nouissima senectus illorum; & *ver.* 19. Nationis enim iniquæ, diræ sunt consumationes. Ex quibus locis Sacræ Scripturæ, clarissimè deducitur, quod nati ex illicito concubitu, nō solùm non sunt Deo amabiles; sed sunt etiam, et odibiles.

52 Sunt etiam odibiles hominibus, quod clarè probatur per ea, quæ sancita sunt aduersos illegitimos, bastar-

bastardos, et spurios in lege Canonica, et Ciuili. Ex qua multa colligit Card. Tuschus *verbo spurij concl.* 415. & nos ex multis, quæ ipse congerit, aliqua hic annectimus.

53 Primò dicit, quod spurij, & illegitimè nati sunt infames, & quod natura erubescit tales peperisse; quod probat per Doctores, & Iura *num.* 1. Et quomodò hæc mulier, quæ cõfitetur se natam ab iniquo thoro, iactat se Deo adeò charam, àc in tanta Dei amicitia collocatam, quantùm priuilegia ab ipsa asserta demonstrant; quandò de amicis Dei scriptum est: Nimis honorati sunt amici tui Deus? *Psal.* 138,

54 Secundò probat, quod arcentur ab ordinibus, & beneficijs per Ius Canonicum; & per Ius Ciuile repelluntur ab omni dignitate, & officio publico. *num.* 6. 7. & 16.

55 Tertiò probat, quod repelluntur à testificando, quia cum sint infames, quatenùs in Peccato geniti non sunt testes integri *num.* 5. & 19. Quod testes infames omninò à testificando repellantur, est indubitatum. in vno tantùm casu possunt admitti ad ferendum testimonium, & faciunt aliquam fidem, quandò tractatur de probando crimine læsæ Maiestatis in primo capite, ob atrocitatẽ dicti nefandissimi criminis. Textus est singularis *in l. Famosi ff. ad l. Iuliam Maiestatis.* vbi Glos. *in diuers. famos.* subdit, idest Infames. Quomodò ergo si à Iure tales declarantur in aliorum caussis, vt ait Rolandus à Vall. *Consil.* 87. *num.* 14. *lib.* 3.

mum,fit iste trāsitus, quomodò quis segregatus per infidelitatem ab Ecclesia potest ad eius vnionem transire absquè baptismo, & inter eius membra numerari?

40 Hoc idem docent Sancti Patres, & in primis Clemens Romanus *epist*. 4. vbi dicit: (Confugite ad aquas istas, solæ enim sunt, quæ possunt vim futuri ignis extinguere &c.) Si igitùr solæ aquæ baptismatis possunt vim futuri ignis extinguere; consequens est, quod prò illis, qui non baptizantur, scilicèt adultis, nō extinguitur ille ignis; ergo paruuli, qui à Caluinistis supponuntur sanctificati, & Ecclesiæ aggregati absquè baptismo, obnoxij sunt futuræ Dei priuationi, ad quid ergo ipsis deseruit illa sanctificatio?

41 Et S. Cyrillus Ierosolymit. *catechesi* 3. ait: (Si quis non baptizatur, salutem non habet.) Et S. Gregor. *lib*. 4. *Moral.cap*. 3. dicit: (Quisquis regenerationis vnda non soluitur, reatu primi vinculi ligatus tenetur &c.) Et si est ligatus, quomodò est in libertate filiorum Dei, & inter Ecclesiæ mēbra numeratus?) Et D. Chrisost. *hom*. 9. *in cap*. 6. *ad Hebr*. ait (Baptismus nihil aliud est, quàm interitus eius, qui baptizatur, & resurrectio illius &c.) Si igitùr non interimitur vetus homo per baptismum, quomodò potest nouus homo inter Ecclesiæ filios resurgere? Nùm idem eodem tempore poterit esse homo nouus, & vetus? Et D. Ambrosius *in* 1. *Corint*. *cap*. 6. inquit: (In baptismate omnibus peccatis depositis abluitur credens, & iustificatur Domini Nomine, & per Spiritum Dei no-

stri,

stri, Deo filius adoptatur &c.) Si igitùr per baptismum habetur ablutio, iustificatio, & adoptio; quomodò quis sinè baptismo potest annumerari inter Ecclesiæ membra? Nùm sordidus in corpore Immaculato? nùm iniustus in Ecclesia Sancta? nùm seruus diaboli inter filios Dei connumerari debet? Hoc quod docet Scripturæ, Concilia, Canones, àc Sancti Patres, docet etiã Sancta Mater Ecclesia, & vniuersa Theologorum Schola.

42 Sed quid immoror in confutatione huius quinti asserti, cum ab eisdem hæreticis impugnetur? Theodorus Beza clarè loquitur in *confess. par. 4. cap. 8.* & dicit. (Quod homo per baptismum in Ecclesia incorporatur, & illius membrum efficitur.) Si igitùr per baptismũ incorporatur, & efficitur membrum Ecclesiæ; consequens est, quod antè baptismum non erat in corpore Ecclesiæ, nèc illius membrum dici poterat.

43 Nèc sit qui miretur, si aliquandiù in confutatione prædictorum errorum digressi sumus; quia vt docet D. Augustinus *lib. de Doctrina Christiana:* (Valdè bonum est, vt quidquid contradici potest, si occurrit, refutetur: ne ibi occurrat, vbi non erit, qui respondeat: aùt præsenti quidem, & tacenti occurrat, & minus sanatus abscedat.) Sic Augustinus *relatus ab Alphonso de Castro aduersus hæreses lib. 3. Verbo: Beatitudo, hæresi prima.*

44 Confutatis igitùr supradictis Caluini, & Caluinistarum assertis, redeo ad examen propositionis illius

mulieris, quæ quodammodò cum sententia Caluini coincidere videtur; nisi melius eam asserens, se declaret.

45. Ipsa namquè sic de se asserit: GENERATA EX ILLICITA COPVLA, ET SANCTIFICATA IN VTERO MATRIS, COME S. GIO: BATTISTA, POCO DOPPO L'ANIMATIONE. Transeat prò nunc illa particula, EX ILLICITA COPVLA, de qua postmodùm habebitur sermo, & expendamus alia verba.

46. GENERATA, ET SANCTIFICATA IN VTERO MATRIS &c. à quibus sit genita deducitur, quod fuit, scilicèt ab illis, qui illicitam copulam habuerunt. A quo autem fuerit sanctificata non exprimitur. Vndè de dolo hìc dubitari potest; non enim dicit se sanctificatam à Deo, sed indefinitè loquitur; & talis loquutio potest referri ad Deum, qui verè potest sanctificare; & potest referri ad sensum Caluinisticum, scilicèt, quod ipsa sentit se in vtero esse sanctificatam ex fide parentum; quia scilicèt orta est ex parentibus fidelibus; & præsumitur, quod ita sentit, attento verborum tenore: GENERATA, ET SANCTIFICATA POCO DOPPO L'ANIMATIONE. Licèt enim illa copulatiua, &, non significet in sensu composito, vt scilicet stent simul Generatio, & Sanctificatio; Sed significet in sensu singulari, nimirùm, quod intelligatur prius Generata, & posteà Sanctificata, quod apertè monstratur per verba sequentia POCO

DOP-

DOPPO L'ANIMATIONE. Nihilominùs, quia æqualitèr copulare videtur generationem, cum sanctificatione, cum non declaret à quo; videtur idem intelligere de vno copulatorum, quod intelligit de altero; & si non quoad tempus, vt scilicèt sit simùl generata, & sanctificata; saltèm videtur, quod equalitèr copulant ista duo quoad efficientiam, siuè quoad dependentiam; Nimirùm, quod semine traduce fuit generata à parentibus, & quod ab eisdem parentibus, qui sunt fideles, siuè ex fide ipsorum; eodem semine traduce sanctificationem acceperit.

47 Et hunc sensum facere videntur supradicta verba mulieris, tùm ex vi suppressionis nominis illius, qui verè potest sanctificare; tùm ex vi appositæ copulatiuæ, quæ videtur referre vtrumquè effectum, nempè generationem, & sanctificationem ad vnam, candemquè causam; tùm etiam, ex vi adiuncti in illis verbis, POCO DOPPO L'ANIMATIONE, quæ verba, vt supra monstratum est, idem sonant, àc si dicatur, confestim, vèl, incontinenti. Et si hæc mulier loquitur in tali sensu, apertè monstrat, quod sit in erroribus Caluinistarum, quos supra confutauimus; vt ab omnibus explosos esse monstrauimus. & si ipsa est in prædictis erroribus, vèl præsumitur, quod sit in ipsis, examinari, & probari debet, quid sentiat de fide.

48 Si autem ipsa intendit dicere, quod non ex fide parentum, seù ex fidelium semine traduce, sed à Deo, qui verus sanctificator est animarum, fuit san-

ctifi-

ctificata; adhùc eius assertum difficultate non caret. Licèt enim Deus hoc possit facere, Et iam fecit cum Ieremia Prophèta, & cum Ioanne Baptista; Attamen, attenta huius priuilegij magnitudine, & attenta dispositione Legis Diuinæ, Non est credendum, vèl concedendum, quod vltrà illos duos, Ioannem nempè, & Ieremiam, sit alteri concessum. Scriptura Sacra testatur, quod Ieremias, & Ioannes fuerunt sanctificati in vtero; Et si non adesset hoc infallibile testimonium, nullus auderet asserere eos in vtero sanctificatos.

49 Magnus, & sanctissimus fuit Abraham; & tamen non habuit sanctificationem in vtero, vt supra notauit Origenes. Sanctissimi, & magni, imò maximi fuerunt Apostoli, vt in discussione primæ propositionis monstratum est; & tamen non fuerunt in vtero sanctificati. Solùm de S. Iosepho Beatissimæ Virginis, & Dei Matris Sponso asseruit Ioannes Gerson, quod fuit sanctificatus in vtero. Sic enim ait *sermone de Natiuitate Virg. Mariæ considerat. 2.* (Sicut enim Maria fuerat in vtero sanctificata, priusquàm nasceretur; Ita de Ioseph virginali viro suo, pia credulitate credi potest, quamuis non omninò similitèr. Potest autem hæc dissimilitudo notari in hoc, quod Ioseph, post originale contractum, sanctificatus est in vtero baptismo flaminis, sicut Ioannes Baptista. Mariam verò ita præuenit gratia sanctificans, vt quamuis lege communi teneretur obnoxia peccato originali; iuxta

causas

causas vniuersales generationis ab Adam traductæ, nihilominùs ipsa Maria, lege priuata, ac priuilegiata sic præuenta est, vt nequaquàm, illud generale contraheret.) Hæc Gerson, quem posteà sequuti sunt Iacobus de Valentia Episcopus Christopolitanus *in cantic. Virg.* Echius *serm. de S. Ioseph*, & Ioannes de Cartagena *lib. 4. hom. 3.* Et licèt in S. Ioseph concurrat istorum Doctorum auctoritas, eximia eius sanctitas, & singulare ministerium, ad quod à Deo fuit electus, nempè, vt seruiret Verbo Incarnato in ordine hypostatico, vt monstratum est in discussione primæ propositionis; Attamen monet Suarez, vt cautè loquamur de hoc sanctificationis priuilegio in persona S. Ioseph. (Hæc enim, & similia, ait ipse, quæ sunt præter generales Canones Scripturæ, non sunt sinè conuincenti ratione, & magna auctoritate Ecclesiæ, vel Sanctorum Patrum approbanda.) Ita Suarez *in 3. par. D. Thom. quæst. 29. art. 1. & 2. disp. 8. sect. 2. circa finem.* Si igitùr in S. Ioseph, qui fuit ad tàm excelsum ministerium destinatus, difficultatē patitur hoc priuilegium sanctificationis in vtero, quid de alijs dicendum? Vtiquè tenendum est cum Corduba, & Cano supra citatis, quod absquè temeritatis, & impudentiæ nota asseri non potest, aliquem esse in vtero materno sanctificatum.

50 Demùm venio ad considerationem illius particulæ, GENERATA EX ILLICITA COPVLA, non enim parui momenti est in casu nostro. Quia licèt

cèt

bastardos, et spurios in lege Canonica, et Ciuili. Ex qua multa colligit Card. Tuschus *verbo spurij conclus.* 415. & nos ex multis, quæ ipse congerit, aliqua hìc annectimus.

53 Primò dicit, quod spurij, & illegitimè nati sunt infames, & quod natura erubescit tales peperisse; quod probat per Doctores, & Iura *num.* 1. Et quomodò hæc mulier, quæ cõfitetur se natam ab iniquo thoro, iactat se Deo adeò charam, àc in tanta Dei amicitia collocatam, quantùm priuilegia ab ipsa asserta demonstrant; quandò de amicis Dei scriptum est: Nimis honorati sunt amici tui Deus? *Psal.* 138,

54 Secundò probat, quod arceantur ab ordinibus, & beneficijs per Ius Canonicum; & per Ius Ciuile repelluntur ab omni dignitate, & officio publico. *num.* 6. 7. & 16.

55 Tertiò probat, quod repelluntur à testificando, quia cum sint infames, quatenùs in Peccato geniti non sunt testes integri *num.* 5. & 19. Quod testes infames omninò à testificando repellantur, est indubitatum. in vno tantùm casu possunt admitti ad ferendum testimonium, & faciunt aliquam fidem, quandò tractatur de probando crimine læsæ Maiestatis in primo capite, ob atrocitatẽ dicti nefandissimi criminis. Textus est singularis *in l. Famosi ff. ad l. Iuliam Maiestatis.* vbi Glos. *in diuers. famos.* subdit, idest Infames. Quomodò ergo si à Iure tales declarantur in aliorum caussis, vt ait Rolandus à Vall. *Consil.* 87. *num.* 14. *lib.* 3.

& *consil*.74. *num* 34. *lib*. 1.citatus à Cardinali Tuscho *Tom*. 7. *conclus*. 415: De se ipsa hæc mulier asserere poterit esse prædestinatam (excepta Beata Virgine) antè omnes alios Sanctos? vtiquè ei non credendum, non solùm quia testis in causa propria nullā fidē facit sed (quod magis fortius est) etiam quod non sit causa propria, sed in ea aliquod commodum sentire potest, adhùc testificando, nullam fidem faciet. Testes sunt verè singulares *in l. Nullus ff. de testibus l. omnes C. eodem titulo de testibus*. Alexander *in cons*. 45. *num*. 11. *lib*. 2, optime Baldus *in l. Dictantibus C. de Testamentis*. Mascardus *de Probationibus conclusione* 1363. *num*. 1. *&* 2. latè Dominus Consiliarius Staybanus *in resolutione* 98. *num*. 107. 108. *&* 109. *centuria* 1. Prætcrquàm quod si spurius, homo, non potest esse Notarius ad Banchum Iuris, & Processus ab ipso facti sunt nulli, vt notat Mars. Sing. 283. *Nouissimum in fin*. citatus ab eodem Tusco *conclus*. 415. *num*. 41: & tantùm testificatur aliorum dicta; à fortiori, qua ratione huic mulieri credendum erit, in nullo officio, & Dignitate constituta, & de se ipsa loquatur? certè nulla ei adhibenda est fides. Insuper idem Cardinalis probat, quod spurij, non sunt stabiles in fide, cum Rolando à Vall. *consil*. 74. *num*. 31. *& sequent*. *lib*. 1. Et licèt ipse videatur sentire de obseruatione fidei naturalis debitæ proprio Principi, cur de Fidei Catholicæ titubatione non poterit etiam in hac muliere dubitari, cum eius Reuelationes Diabolicæ valdè suspicentur?

56 Quartò probat, quod repelluntur ab officio Procuratoris coram Principe *num.* 16. & multa alia ibi congerit Tuschus. Ex quibus manifestè apparet in qua existimatione sunt illegitimi, & spurij in Iure ciuili, & canonico.

57 Nèc immeritò illegitimi, & spurij talitèr repelluntur in lege Diuina, & humana; Imò plures redduntur rationes de tali expulsione; & prima est illa, quam affert Glossa *in C. si is. de filijs presbiterorum in 6. ver. defectu.* Scilicèt proptèr incontinentiam paternam, quæ timetur in filio; iuxta illud: Sæpè solet filius similis esse Patri. *6. quæst.* 1. *C. sunt plurimi* §. *verùm.* Et vt ait Lorinus *in cap.* 4. *lib. Sapien. ver.* 6. (Parentes imitantur; & immodicus feruor libidinis, quo concepti sunt, reddit non raro salaces præferuidos, acutos, vafros, & ad uitia procliues.)

58 Secunda ratio est, quia filij illegitimi, & spurij testes sunt incontinentiæ paternæ. *Glos. in C. Proposuisti. dist.* 82. vbi dicitur. (Filius est argumentum ambulans super terrã de incontinẽtia Patris.) Et 28. *dist. C. Priusquam.* Et *Sap. cap.* 4. *ver.* 6. dicitur de ipsis: Testes sunt nequitiæ aduersus parentes in interrogatione sua: vbi Lorinus (Filij autem interrogantur, quorum filij sunt? cui si quæstioni verum respondeant, produnt necessariò iniquitatem parentum.)

59 Tertia est ob detestationem paterni criminis, quod punitur in filio, vt per id puniatur, & Pater *Glos. in dic. Cod. si is, de filijs presbiterorum. in* 6.

 Qua-

Quapropter filius, qui natus fuerat Dauid ex adulterio, immatura morte sublatus est. Sic enim dixit ad eum Nathan: Quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi morte morietur 2. *Reg. cap.* 12. *ver.* 14. Sicuti de facto mortuus est. Et licet Dauid orasset, & ieiunasset, & iacuisset super terram septem diebus prò salute istius filij, qui conceptus fuerat ex adulterio; non tamen obtinuit, quin moreretur; volens Dominus, quod in morte talis filij puniretur peccatum Patris.

60 Quarta repelluntur isti illegitimi, & spurij, & à Deo, & ab hominibus, ne fortè propter eorum profectum, vèl in naturalibus, vèl in moralibus parentes de ipsis glorientur, & per consequens de peccato lætentur; & sint illis tales filij, quasi trophæum commissæ iniquitatis. Vndè & alij incitentur, vèl incitari possint ad malum. Ideò Lorinus sic monet parentes illegitimorum: (Remouere spurios cautè deberent, si sapiunt, à se, qui non castè illos susceperunt, nèc in oculis proprijs, aliorũquè viuum quasi trophæum impudicitiæ gerere, perindè àc glorientur in rebus pessimis.) Ita Lorin. *in cap.* 4. *Sap. ver.* 6.

61 Cum igitùr isti illegitimi, & spurij sint abominabiles Deo, & hominibus odibiles propter adductas, & alias rationes, quomodò ista mulier iactat se tàm Deo charam, & quod ab ipso præuenta sit ab vtero materno tot charismatum donis? Quis ex hominibus

audiens

audiens talem mulierem tot, tantisquè gratijs à Deo refertam, ét decoratam, ipsam non venerabitur, et in summo honore habebit? Et si hoc ita se habet; Quomodò verum erit illud, quod supra ex Sap. *cap. 3. ver. 17*, retulimus: Et siquidèm longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, et sinè honore erit nouissima senectus illorum?

62 Referunt Tiraquellus *de nobilit. cap. 15. num. 32.* Lorinus *in cap. 4. Sap. ver. 6.* Caramuel, et alij, quod cum quædam mulier ex prohibito complexu habuisset illos tres magnos viros, nempè Gratianum, qui fuit Decretorum collector; Petrum Lombardum, qui sententiarum Librum Scholæ Theologorum dedit; Et Petrum Comestorem, qui Auctor Ecclesiasticæ historiæ nuncupatur, de commisso crimine pœnitère non poterat, cum ex ipso tot in Ecclesia Dei lumina prodijssent. Quod cum confessario retulisset, volens iste ipsius saluti consulere, respondit ei: Pœniteat te, quod pœnitère potes. Difficilitèr enim possumus contristari, & pœnitere de illo facinore, ex quo per accidens præclarum quidpiam insurrexit. Et quonàm pacto parentes istius mulieris de commisso crimine pœniterent, si scirent ex illorum illicito semine, tàm præclaram plantulam ortam esse?

63 Attamèn ne ex facto istorum trium virorum argumentum sumant incontinentes, quod ex vetito concubitu possit aliquandò filius bonus, virtuosus, & honoratus oriri, legant D. Antonini historiam, siuè

Chro-

Chronicam 3. *par. tit.* 18. *cap.* 6. & inuenient, quod illi tres magni viri, nempè Gratianus, Petrus Lombardus, & Petrus Comestor non fuerunt fratres; imò fabulam istam vulgo sparsam putat. Idem confirmat Bellarminus *de scriptoribus Ecclesiast.* vbi agit de Petro Lombardo; & probat ex eo, quod Gratianus fuit Etruscus ex Clusio Ciuitate; Petrus Lombardus ex Nouaria; & Petrus Camestor Gallus ex Treris. & Cardinalis Baronius *tom.* 12. *anno* 1164. *fol.* 326. *litt. D.* loquendo de Petro Lombardo Episcopo Parisiensi sic ait. (Qui dicunt eius Germanum fuisse Petrum Comestorem; nèc non Gratianum, puto errasse: Siquidem Petrus ipse Lombardus, Patria fuit Nouariensis, Gratianus Tuscus, & Comestor Trecensi, fuere. Ac per hoc firma remanet Sententia Sapientis: quod filij illegitimi in nihilum computabuntur, & sinè honore erit nouissima senectus illorum. *Sapien. cap.* 3. *ver.* 17.

64 D. Augustinus, antequàm fidem catholicam amplecteretur, habuit ex illicito concubitu filiũ Adeodatum; quem S. Pater posteà in Dei timore, àc eiusdem disciplina erudiens, conabatur virtutum coloribus in ipso reformare deformia Patris; & licèt sùb tanti magistri disciplina dubitari non posset de discipuli profectu; Deus tamen talem filium illicitè natum morte præueniens, & parentis, & filij dedecus vnico abstulit ictu; ne de talis germinis progressu, vèl fine aliquid timoris remaneret in Patre. Citò de terra dicit

S. Au-

S. August. *lib. 9. confess. cap. 6.* (Cito de terra abstulisti vitam eius, & securior eum recordor, non timens quicquam pueritiæ, nèc adolescentiæ, nèc omninò homini illi.) Sciebat Sanctus illud Sacri eloquij dictum, quod filij illegitimi in nihilum computabuntur, & sinè honore erit nouissima senectus illorum. *Sap.* 3. & timebat; at videns puerum Adeodatum è viuis ereptum; ereptum se quoquè agnouit ab omni anxietate, & timore.

65 Ex dictis igitùr colligi potest, nùm verisimile sit, quod mulier ista, quæ de illicita copula se genitam confitetur, fuerit à Deo tot priuilegijs decorata, & ad talem gradum euecta, quod omnes Dei electos superet, excepta solummodò Beata Virgine.

66 Sed esto, quod hæc mulier fuerit à Deo tàm præpropera sanctificatione in matris vtero insignita, vt ipsa asserit, adhùc quæri potest ad quid? Constat enim, quod Deus, & Natura nihil frustra agunt. Arist. 1. *de Cælo tex.* 32. & est axioma communitèr in Scholis receptum. Et 2. *de Cælo tex.* 50. *&* 59. replicat. (Natura nihil otiosum, & sinè causa, vèl absquè ratione operatur.) Et Themystius 1. *de Anima cap.* 13. Nihil à natura sinè vsu aliquo fit. Et iterum dixit Aristotiles *lib.* 1. *de generat. Animalium cap.* 14. (Quodcumque facit natura, vèl vt necessarium sit, vèl omninò melius.) Et hìc aduertendum, quod nomine naturæ non intelligitur à Philosopho aliquid abstractum, sed Deus ipse, qui est omnium rerum conditor, àc totius

naturæ

naturæ Creator. Sic testatur Seneca *lib. 4. de beneficijs cap. 7.* (Quid enim aliud est natura, quàm Deus, & Diuina ratio toti mundo, & partibus eius inserta,) Sic Seneca. Verum est igitùr, quod Deus nihil facit otiosum, nihil sinè fine; sed facit vèl quia necessarium est, vèl vt melius faciat. Et hoc supposito.

67 Iterùm quæro ad quid, vèl ad quem finem tendit sanctificatio huius mulieris in vtero? Si enim Deus sanctificauit Ieremiam Prophètam, non fecit hoc frustra, quia præparabat ipsum ad magnos agones. Sic enim dixit illi Dominus: Constitui te hodiè super Gentes, & super Regna, vt euellas, & destruas, vt disperdas, & dissipes, vt ædifices, & plantes. *Ier. cap. 1. ver. 10.* Vnxit namquè Deus suum Athletam vnctione Spiritus Sancti, adhùc in vtero matris; vt hac vnctione præuentus, àc munitus ad magna opera se accingeret. Vndè de Ieremia possumus dicere, quod de Ioanne Baptista dixit S. Ambrosius: (Vngebatur itaquè, & quasi bonus Athleta exercebatur in vtero matris Prophèta: amplissimo enim virtus eius certamini parabatur.) Hæc Ambros. *lib. 2. in cap. 1. Lucæ.* Quaproptèr dixit illi Dominus: Tu ergo accinge lumbos tuos, & surge, & loquere ad eos omnia, quæ præcipio tibi. Ne formides à facie eorum: nèc enim timere te faciam vultũ eorum: Ego quippe dedi te hodiè in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum super omnem terram, Regibus Iuda, principibus eius, & Sacerdotibus, & Populo terræ. Et bella-

bellabunt aduersum te, & non præualebunt, quia ego tecum sum, ait Dominus, vt liberem te. *Ier. cap. 1. vers. 17. & seq.* En finis quò tendit sanctificatio huius Prophetæ.

68 Ioannes Baptista quoquè fuit sanctificatus in vtero; sed non frustra, nèc otiosè; Erat enim vox verbi, Præcursor Domini, & Lucerna ardens, & lucens. Et in hac lucerna nulla caliginis, seù fumositatis vmbra apparere decebat. In eo, qui viam Domini præcurrebat, nullum offendiculum opponi conueniebat. Et à Voce Verbi omnem diasphoniam, omnemquè dissonantiam auferre expediebat; (Vt vox, quæ Christum sonans, vt verbis Augustini vtar, verbi erat minister, & portitor *ser. 21. de sanctis.* suauitate Cœlesti raperet audientes ad Christi Domini fidem.) En ad quod opus dirigebatur Ioannes; Et vt melius ad hoc disponeretur, mansit cum eo Christus tribus mensibus; quo tempore ait Origenes: (Exercebatur ergo, & quodammodò in athletico per tres menses vngebatur Ioannes, & præparabatur in matris vtero, vt mirabilitèr natus, mirabilius nutriretur.) Sic Orig. *hom. 9. in Lucam.*

69 At hæc mulier ad quodnàm opus præparatur per hanc sanctificationem in vtero? ad quodnàm ministerium ordinatur per tot charismatum donà? Nùm ad prædicandum Dei verbum? Non; quia de mulieribus hanc legem habemus: Mulieres in Ecclesijs taceant: Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia. *1. Corinth. cap. 14. vers. 35.*

70 Nùm, vt instituat aliquam Religionem, & alijs sit Magistra virtutum, vt fuerunt S. Scholastica, S. Clara, S. Catherina Senensis, S. Theresia, & similes? Non, quia, vt supra probatum est, incontinentia parentum rationabilitèr timetur in filijs.

71 Nùm, vt prò alijs oret, & Dei iracūdiam mitiget, ne mundum suis atterat flagellis? Non, quia, vt supra dictum est, Filij adulterorum in consummatione erunt; seù vt alij legunt; Filij adulterorum abominatio sunt Domino. Et de istis lex est *in Deutor. cap. 23. ver. 2.* Non ingredietur manser, hoc est, de scorto natus, in Ecclesiam Domini. Si igitùr filij adulterini arcentur ab Ecclesia Dei, & sunt abominatio antè Dominum, quomodò hæc mulier, quæ talis est, exaudietur prò alijs?

72 Nùm, vt eam honorabilem redderet in mundo, & in sexu fragili gloriam suam ostenderet? Non, quia contradiceret sibi: Ipse enim loquitur *sap. 3.* & dicit, quod filij illegitimi in nihilum computabuntur, & sinè honore erit nouissima senectus illorum. Nationis enim iniquæ diræ sunt consumationes.

73 Ad quod opus igitur est destinata, ad quam dignitatem, ad quod officium, ad quem finem? doceat, vt videatur, si hoc leges illi concedunt. Leges enim, vt suprà probatum est cum Card. Tuscho, Illegitimos, & Spurios excludunt ab ordinibus, à beneficijs, à dignitatibus, ab officijs publicis; non possunt esse Principum, vèl apùd Principes Procuratores, &

multò

multò minùs apùd ipsos legationis officium gerere possunt; ad nullam igitùr dignitatem, ad nullum officium eam leges admittunt.

74 Si quæramus deniquè finem ad quem; iam dixit Philosophus, quod Deus, & natura quandò facit aliquid, vèl facit, quia necessarium est, vèl quia melius est. Vt ista sanctificetur in vtero, non est necessarium; nequè in hac sanctificatione facit aliquid melius; quia nèc meliorem facit eam Ioanne Baptista, nèc meliorem Ieremia; isti enim paritèr in vtero fuerunt sanctificati. Cum igitùr in hac asserta sanctificatione nihil agatur necessarium, nihil agatur melius, sequitur illud inconueniens, quod hoc opus Dei est otiosum, & frustratorium.

75 Sed esto, quod ad aliquod opus nobis, adhùc ignotum, sit destinata à Deo, quis non videt, quod electa est persona, quæ ludibrium, & irrisio erit omni populo? Populi enim, qui hùc, illùcquè commouentur vt aquæ; & si aliquando contingat, vt dignitatem huius mulieris venerentur, mox vt contrarius affectus ipsorum corda commouerit, despicient eam, eiquè sua illegitima natalia obijcient; & erit fabula, & ludibriū Ciuitatis. Si de viris sanctis, qui nullam noxam, nullam notam habent, mundus sic malè loquitur, quid diceret de ista, quæ infamia facti notata, egressa est ab vtero materno?

76 At dicet aliquis: Dominus sic voluit; & nemo consiliarius eius fuit. Voluit, & potuit mulierem hanc

talitèr decorare, ergo decorauit; nèc nobis fas est quærere cur hoc fecerit?

77 Veneror Dei voluntatem, adoro eius Omnipotentiam; sed accedat, qui huius mulieris causam defendendo sic arguit; & audiat, quid sibi respondet S. Anselmus: Volo tecum pacisci, dicebat hic Sanctus cuidam secum disputanti. (Volo tecum pacisci, vt nullum, vèl minimum inconueniens in Deo à nobis accipiatur; & nulla, vèl minima ratio, si maior non repugnat, reijciatur. Et reddens rationem huius pacti, adiungit: Sicùt in Deo, quantumlibèt paruum inconueniens, sequitur impossibilitas; ita quantumlibet paruam rationem, si maiori non vincitur, comitatur necessitas.) Hæc Ansel. *lib.* 1. *Cur Deus homo. cap.* 10.

78 Eodem modo respondeo ad allatum argumentum; nulla ratio reijciatur, si maior non repugnat; & nullum, vèl minimum inconueniens in Deo à nobis accipiatur. Tota ratio, quæ militat prò hac muliere est, quod Deus potest hæc priuilegia conferre; & de facto alijs concessit; ergo non repugnat, quod concesserit etiam huic mulieri. Ad primam partem antecedentis respondeo, quod Deus potest hæc priuilegia conferre, quandò scilicèt non læditur eius dignitas, vèl eius excellentiæ nō derogatur, & concedo; sed si eius excellentiæ derogatur, vèl eius læditur dignitas, nego. Quia vt dicit Magister sententiarum *lib.* 1. *dist.* 42. §. *Si ergo:* (Manifestum est, Deum omnia facere posse, prætèr ea sola, quibus eius dignitas læderetur, eiusquè ex-

cel-

cellentiæ derogaretur.) Ad secundam partem antecedentis respondeo; Et de facto alijs concessit, sine læsione, & derogatione suæ dignitatis, & excellentiæ, concedo; Cum læsione, & derogatione suæ excellentiæ, & dignitatis, & nego; Ergo non repugnat, quod concesserit huic mulieri, nego hanc sequelam; Et ratio negationis est, quia si darentur talia priuilegia, sicùt asseruntur ab hac muliere, sequerentur omnia illa inconuenientia, & absurda, quæ notata sunt, & in discussione huius propositionis, & aliarum; Sed in Deo quantumlibet paruum inconueniens, sequitur impossibilitas, vt dixit D. Anselmus; Ergo admissis inconuenientibus, & absurdis, non potuit illi talia priuilegia concedere; quia derogaret suæ dignitati, & læderet suam excellentiam, si concederet.

79 Si Deus prædestinauit Apostolos super omnes Sanctos, nullum ex hoc sequitur inconueniens: Scripturæ enim, & rationes sic demonstrant; sed quod prædestinauerit hanc mulierem supèr omnes Sanctos, excepta sola Beata Virgine, repugnat, & rationi, & Scripturæ; Et quod repugnat Scripturæ Sacræ admitti non potest, quia hinc sequeretur quod Deus esset mendax; Et impossibile est mentiri Deum. *Hebr. cap. 6. ver.* 18. quæ impossibilitas naturæ diuinæ est contraria; nàm cum summa veritas ipsa sit, mendacium cum ea compati non poterit; & qui fidelis est immutabilis semper, stabilisquè essentialiter experietur, dicente D. Ambrosio *tom. 3. lib. 6. epist. 37. ad Chromati-*

matium pag. mihi 162. (Hoc impoſſibile eius plenitudinis eſt, quæ minuere ſe, & augere non poteſt, non infirmitatis, quod in eo, quod ſe auget, imbecilla eſt) Imò potiùs de mendacio arguenda hæc mulier, in cuius auribus vereor ne vox ſūmi Iudicis, ſicùt & illis in Euangelio dicentibus: Domine Domine, non ne in nomine tuo prophètauimus? &c. *Matt.* 7. reſonet & audientibus: Confitebor illis, quia numquàm noui vos. (Tùnc iurabo illis, legit Chriſoſt. quia nunquàm noui vos) Et benè cum iuramento loquitur Chriſtus, dùm loquitur cùm hominibus, qui diligunt vanitatem, & quærunt mendacium; ſicut ſuſpicari poteſt de hac muliere ſe de tanta prædeſtinatione iactantem. (Iurat autem Chriſtus (ſunt verba Criſoſtomi) non vt ſuam veritatem commendet, ſed vt illorum incredulitatem condēnet; non enim, ſi non iurauerit Chriſtus, mentitur; ſed vt illi amplius confundantur firmiori reſponſo, quoniam, qui mendax eſt neminem putat dicere veritatem.) Hæc Chriſoſtomus *hom.* 19. *in Matt.* Igitùr vèl de mendacio mulier hæc arguenda erit, vèl Deus; quod impoſſibile eſſe ob eius immutabilitatem, ſummamquè veritatem indubitatum, & de fide tenendum.

80 Si Deus dedit Apoſtolis donum perſeuerantiæ, non poſuit eos in impoſſibilitate pereundi; Sed iſta mulier ſe ponit in illa impoſſibilitate in qua reperitur ipſemet Deus; ex quo ſequuntur multa abſurda, & inconuenientia, quæ lædunt dignitatem Diuinam; ergo

non

non potuit illi concedi hoc priuilegium, vt ipsa asserit.

81 Sic paritèr priuilegium sanctificationis in vtero, quia in hac muliere fert secum omnia absurda, & inconuenientia supra notata; videtur quod ei concedi non possit hoc priuilegium. Potest Deus concedere, sed hæc mulier non potest recipere, cum habeat impedimenta, quæ supra tacta sunt.

82 Tandèm notandum est, quod de hoc priuilegio sanctificationis in vtero, sicùt etiam de alijs priuilegijs, quæ hæc mulier asserit sibi à Deo concessa, aliud testimonium non habemus, nisi dictum, & assertũ ipsiusmet mulieris. At cum hæc mulier ob defectum natalium sit infamis infamia facti, repellitur à testificando; & quandò testificatur, eius testimonium non est integrum, vt supra cum Card. Tuscho notatum est.

83 Cum igitùr hæc tertia propositio asseratur reuelata personæ parùm fide digna, non de facili credere debemus, quod fuerit facta talis reuelatio. Concurrunt enim in persona plures exceptiones, & ratione sexus, & ratione infamiæ, & ratione inuerisimilitudinis, quæ in rebus assertis reperitur. Et si ipsa constantèr assereret, ità sibi reuelatum fuisse; probabilius haberē, quod non à Deo, sed à Dæmone ipsam habuit; Mulieres enim facilitèr à diabolo decipiuntur, vt patet in Eua; quæ licèt fuerit expeditissimi, & clarissimi intellectus, & omnibus virtutibus ornata, fuit tamen à serpente seducta.

Nèc

Nèc à viris expertis, & grauibus admitti potest illa reuelatio, quæ non ad virtutem humilitatis, cœterasquè virtutes animum inclinat, sed potiùs ad tumorem, & ad quamdam inflationis superbiam ipsum eleuat; vt est præsens reuelatio de sanctificatione in vtero. Cum enim nullus appareat finis, nèc etiam à longe, ad quem tendit, vèl tendere possit hæc reuelatio, & priuilegium, quod concessum reuelat; vt iàm probatum est; manifestè apparet, quod cum potiùs ad vanitatem, & superbiam animum excitet, quàm ad humilitatem, cœterasquè virtutes, vèl quod talis reuelatio non fuit; vèl si fuit, facta est à dæmone, qui istam mulierem conatus est decipere, vt per eam posteà alios ad præcipitia inducere possit.

85 Deficit etiam hæc reuelatio in quarto signo; quia repugnat Scripturis, & exemplis ab ipsa Scriptura, & à Sanctis Patribus desumptis; discordat etiam à Theologorum sententia. Et cum deficiat etiam in quinto, & ratione personæ, & ratione finis, vt iam monstratum est, Iterùm dico, vèl quod ista reuelatio non fuit, vèl si fuit; fuit diabolica, & in ruinam animarum constructa. Sic ò dilectissime Theophile de hac reuelatione tertia, saluo meliori iudicio, dicendum esse censerem; & mecum etiam sic senties, si omnia diligentèr perpendas.



Excuti-

Excutitur Quarta Reuelationis spica, eiusquè Propositio discutitur.

DISCVSSIO QVARTA.

1 PRopositio, quæ continetur in quarta reuelatione hæc est. RAPITA AL TERZO CIELO PIV VOLTE; E PER TEMPO NOTABILE HA VISTO LA DIVINA ESSENZA, NEL MODO COME LA VEDONO LI BEATI, E PIV PERFETTAMENTE DI SAN PAOLO, O ALTRO SANTO, CHE VIATORE HABBIA HAVVTO QVESTO PRIVILEGIO, ECCETTO LA BEATA VERGINE. Si tot, tantaquè Sacræ Scripturæ testimonia, & tot rationes non me conuincerent, quod ista mulier inuerisimilia asserit, magnum & ego de eius sanctitate conceptum formarem, magnumquè ergà ipsam Diuinæ beneficentiæ excessum argumentarer, cum eam tot, tantisquè beneficijs, àc priuilegijs cœlitus decoratam, cumulatamquè aspiciam.

2 Et quodnam priuilegium, ò dilectissime Theophile, maius isto, quod in hac quarta reuelatione, seù propositione in medium profertur? Si enim ipsum ex parte sui consideremus, post Deum nihil ipso maius considerari potest; Est enim quædam ipsius Dei gloriosissimi vberrima participatio, qua nimirùm seme-

tipsum in se ipso Omnipotens Deus suæ creaturæ exhibet fruendum. Si ipsum consideremus ex parte Dei concedentis, nullum aliud vèl bonitatis signum, vèl benificentiæ indicium, vèl charitatis argumentum deprehendi potest, quod ampliori, sed nè etiam æquali gloria fulgeat; Cum in hoc, vt in vltimum finem, & summum omnium complementum, vniuersa beneficia creaturæ rationali Diuinitùs collata ferantur. Si verò ex parte hominis suscipientis illud inspiciamus, nihil certè optabilius, nihil eo amabilius esse potest; in ipso enim summa eius fœlicitas, summique boni comprehensio collocata est. Et si demùm ex parte eorum, quæ indè sequuntur perpendatur, maximoperè huius beneficij excellentia resplendet; Homo enim ex perspicua ipsius Dei visione feruentiori Diuinæ charitatis incendio exardescit, & inflammatur. Vndè *in lib. 1. soliloquior. cap.* 7. Sic loquitur D. Augustinus. (Cum anima Deum videre, hoc est Deum intelligere contigerit, charitati non solùm nihil detrahitur, sed additur etiam plurimum; Nàm & illam singularem, veramquè pulchritudinem cùm viderit, plùs amabit.)

3 Hùc igitùr tendunt humani cordis desideria illis Prophetæ vocibus expressa; Ostende faciem tuam, & salui erimus *Psal.* 79. hùc tendebat Moyses, cùm simplici, & amicabili confidentia Deum sic deprecabatur: Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, vt videam te. *Exod. cap.* 33. *vers.* 13. Hùc paritèr Angelorum vota feruntur iuxtà illud 1. *Petri*

cap. 1. ver. 13. In quem desiderant Angeli prospicere. Nèc immeritò; in ista namquè Dei visione omnia creaturæ rationalis desideria complentur, àc terminantur.

4 Scio fuisse quorumdam Armenorum hæresim, contendentium, quod Beati Diuinam Essentiam non vident; sed claritatem quandam illius Essentiæ, in qua Beatitudinem esse asserebant. Quã hæresim posteà suscitauit Petrus Abailardus natione Gallus dicens, Deum non videri per Essentiam à Beatis; & eumdem errorem posteà sequutus est Arnaldus Brixiēsis, à quo Arnaldo opinatur Castro *lib. 3. aduersus hæreses verb. Beatitudo, hæresi* 1. descendisse Arnaldistas hæreticos, qui singulis annis Romæ in Cœna Domini excommunicantur, & *in cap. excommunicamus extra de hæreticis*. Contra dictum Petrum Abailardum insurrexit D. Bernardus, vt ipsemet refert *in epist.* 190. & vt ipsum ad veram fidem reuocaret è suo monasterio profectus, ad Ciuitatem Remensem venit, vt cum ipso coràm omnibus disputaret. At veritus Abailardus ne à Sancto conuinceretur, nòluit cùm eo congredi. Est enim communis hæreticorum versutia, certamina cum catholicis viris, & benè instructis effugere, ne vincantur.

5 Hic tamen error, attentis Sacris Scripturis, facillimè de hæresi conuincitur; Paulus enim 1. *Corint. cap. 13. ver. 2.* assignans discrimen inter cognitionem viatorum, & comprehensorum, ait: Videmus

nùnc per ſpeculum in ænigmate; tùnc autem facie ad faciem. In Apocalypſi ait D. Ioannes loquens de illa Hieruſalem Cœleſti: Omne maledictum non erit ampliùs; ſed ſedes Dei, & Agni in illa erunt, & ſerui eius ſeruient illi, & videbunt faciem eius. *Apoc. cap.* 22. *ver.* 3. Chriſtus Dominus apertè hoc docuit *Matt. cap.* 18. *ver.* 10. dicens: Videte ne contemnatis vnum ex his puſillis. Dico enim vobis, quia Angeli eorum in Cœlis ſemper vident faciem Patris mei, qui in Cœlis eſt. Quibus locis apertè monſtratur, quod Beati in Cœlo vident Deum, non per quandam claritatem, vt præfati hæretici aſſerũt, ſed faciali viſione ipſo Deo optimo maximo fruuntur.

6 Et ſi prò dictis hæreticis adducatur illud Domini ad Moyſen dictum: Non videbit me homo, & viuet. *Exod. cap.* 33. *uer.* 20. et illud *Iob cap.* 28. *uer.* 21. Abſcondita eſt, ſcilicèt ſapientia, ab oculis omnium viuentium; volucres Cœli quoquè latet. Et illud Pauli *ad Timot. epiſt.* 1. *cap.* 6. *uer.* 6. Qui lucem inhabitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, nèc videre poteſt. Et illud 1. *Ioan. cap.* 4. *uer.* 12. Deum nemo vidit vnquàm. Hæc, & ſimilia loca, ſi quæ ſunt, Non de comprehenſoribus, ſeù Beatis, ſed de viatoribus loquuntur. Sic illud Ioannis: Deum nemo vidit vnquam; vult dicere; quod nemo mortalium in hac vita degens vidit Deum. Sic illud Iob: Sapientia abſcondita eſt ab oculis viuentium, intelligitur, viuentium, ſcilicèt in hac vita mortali.

7 Sic illud Pauli: Qui inhabitat lucē inaccessibilē, quem nullus hominum vidit, sed nequè videre potest, intelligi debet, quod illa lux non est simplicitèr, & omnibus inaccessibilis, sed hominibus tantùm; quod clarè patet in eodem textu allato, vbi immediatè adiunxit, quem nullus hominum vidit. Itaquè inaccessibilis est illa lux, sed homini. Inuisibilis est, sed ab homine, sed ab humana sapientia. Sacra etenim Scriptura omnes, qui secundùm carnem viuunt, homines vocare solet, & humanitatis notam inurere. Vndè 1. *Corint. cap.* 3. *ver.* 3. *ait:* Cum sit inter vos zelus, & cōtentio, non ne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis? & infrà, non nè homines estis? & in eadem epistola proferens illud Isa. testimoniū *cap.* 64. Quod oculus non vidit, nèc auris audiuit, nèc in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum. Posteà ipsemet Paulus subiecit: nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum 1. *Corint. cap.* 2. *ver.* 9. Quibus verbis manifestè se ab homine separauit, eò quod non secundum carnem viuebat. Itaquè verba illa Pauli: Nullus hominum vidit, nequè videre potest, faciunt hunc sensum, Nullus eorum, qui proptèr vitam secundùm carnem, homines appellantur, Deū vidit, sed nequè videre potest: De alijs autem, quod Deum postmodùm clarè videbunt, non potuit Paulus apertius testari, quàm dicens: Videmus nùnc per speculum in ænigmate, tùnc autem facie ad faciem, 1. *Corint. cap.* 13. *ver.* 12. Vndè patet homines aliquā-

dò habituros facialem Dei visionem. Et de Angelis apertissimè Veritas ipsa dixit. *Matt. cap.* 18. *uer.* 10. Angeli eorum sēper vident faciem Patris mei, qui in Cœlis est.

8 Illud autem, quod dixit Deus ad Moysen: Non videbit me homo, & viuet, intelligi debet, quod si homo in hac vita constitutus eleuetur per absolutam Dei potentiam ad facialem Dei visionem, hoc fit, educta prius anima extra vsum, & ministerium sensuum; adeò quod, licèt anima sit intra corpus (quod dubium est, & ipsi Paulo) tamèn à ministerio sensuum, talitèr est separata, quod corpus non viuit vita ipsius. Quod ex illis Pauli verbis 2. *Corint. cap.* 12. *uer.* 2. colligitur: Siuè in corpore, siuè extrà corpus, nescio. Loquitur hìc Paulus de suo raptu, & dicit: Scio hominem in Christo antè annos quatuordecim, (siuè in corpore, siuè extra corpus, nescio: Deus scit) raptum huiusmodi vsquè ad tertium Cœlum. Et iterùm replicat: & scio, huiusmodi hominem (siuè in corpore, siuè extrà corpus, nescio: Deus scit) quoniàm raptus est &c. Talitèr enim in illo raptu ipsius anima abstracta, & educta fuit à ministerio sensuum, quod ipse Paulus dubitèt affirmare; nùm eius anima prò illo tùnc fuerit in corpore, vèl extrà corpus. Quod si eius anima ministerio sensuum tùnc vsa fuisset, sciuisset certò Paulus, se in corpore tùnc fuisse. Et hæc est vita, quæ negatur videntibus Deum, in illis verbis: Non videbit me homo, & viuet; quod est dicere: non viuet sensibus cor-

Gb poreis,

poreis, non viuet his rebus exterioribus; quia tota anima absorpta est in Deum. & sic hunc textum explicat Alphonsus de Castro loco nupèr citato, & est iuxtà mentem D. Thom. *in cap.* 12. *epist.* 2. *ad Corint. lect.* 1.

9 Vel etiam dici potest, quod illa Dei verba significent, nō videbit me homo, & viuet, in hac vita mortali; & si adhùc vitæ mortali ipse viuit, dùm in tali vita viuit, non potest videre faciem meam. Et ita hunc locum interpretatur D. Augustinus *in epist.* 112. dicens (Nemo potest eum in hac vita videre viuens, sicuti est.) Et D. Gregorius *lib.* 18. *moral. cap.* 28. Explicans illa verba Iob: Abscondita est ab oculis omnium viuentium *cap.* 28. Idem sentit, dicens: (Quia quandiù hic mortalitèr viuitur, videri per quasdam imagines Deus potest; sed per ipsam naturæ suæ speciem non potest: vt anima gratia spiritus afflata per figuras quasdam Deum videat, sed ad ipsam vim eius Essentiæ non pertingat.) Hæc Gregorius.

10 Verum est igitùr, quod Deus facie ad faciem videtur à Beatis. At an hæc facialis visio concedatur viatoribus, dissidium est inter Doctores. D. Thomas 1. *par. quæst.* 12. *art.* 11. *in corpore*, ponit hanc conclusionem: (Dicendum, quod ab homine puro Deus videri per essentiam non potest, nisi ab hac vita mortali separetur. Quam conclusionem probat auctoritate, & ratione. Auctoritas est illa *Exodi cap.* 33. *uer.* 20. Non videbit me homo, & viuet; vbi Glosa: (Quandiù

diù hìc mortalitèr viuitur, videri per quasdam imagines Deus potest, sed per ipsam naturæ suæ speciem non potest.) Ratio autem, quam adducit est; Quia modus cognitionis sequitur modum naturæ rei cognoscentis. Anima autem nostra, quandiù in hac vita viuimus, habet esse in materia corporali: Vndè naturalitèr non cognoscit aliqua, nisi quæ habent formam in materia; vèl quæ per huiusmodi cognosci possunt. Manifestum est autem, quod per naturas rerum materialium Diuina Essentia cognosci non potest. Ostensum est enim supra, quod cognitio Dei per quamcumquè similitudinem creatam non est visio Essentiæ ipsius. Vndè impossibile est animæ hominis, secundùm hanc vitam viuentis, essentiam Dei videre.) Hæc D. Thomas, qui hucusquè loquutus est de potentia Dei ordinaria.

11 Loquendo posteà de potentia Dei absoluta, dicit in responsione ad secundum. (Quod sicùt Deus miraculosè aliquid supernaturalitèr in rebus corporeis operatur; ita etiam, & supernaturalitèr, & prætèr communem ordinem mentes aliquorum in hac carne viuentium, sed non sensibus carnis vtensium, vsquè ad visionem suæ essentiæ, eleuauit; vt dicit August. 12. *super Genesim ad literam*, Et *in lib. de uidendo Deum*, de Moyse, qui fuit Magister Iudeorum, & Paulo, qui fuit Magister Gentium.) Concedit igitùr D. Thomas, quod supernaturalitèr, & per potentiam Dei absolutam potest viator eleuari ad claram visionem Diuinæ Essentiæ.

12 Quæ

12 Quæ quidem Angelici sententia communis, & certa est apùd omnes. Et quàmuis Ferrariensis 3. *contragentes cap.* 47. dicat: quod de potentia Dei absoluta non potest viator videre Diuinam Essentiam; Hoc tamèn intelligendum est, vt ipsemet declarat, quod nullus homo in hac vita potest videre Diuinam Essentiam, ita quod eius visio pendeat ab vsu alicuius sensus, & fiat per conuersionem ad phantasma. Quod quidem Ferrariensis putat esse impossibile, etiam de potentia absoluta. In quo iste Doctor à nemine dissentit. Potest igitùr viator, ex communi Theologorum sententia, eleuari per absolutam Dei potentiam, & supernaturalitèr, vt dicit Angelicus, ad claram Dei visionem.

13 Sed licèt de possibili hoc ab omnibus concedatur; de facto autèm magnum dissidium est inter Doctores. Nàm multi contendunt hoc priuilegium de facto non nullis fuisse concessum; & multi ex aduerso negant. Et ex vtraquè parte prò fundamento propriæ sententiæ, afferuntur testimonia ex Sacra Scriptura.

14 Multi in Sacra Scriptura asserunt se vidisse Deum: Sic asserit Iacob *Gen. cap.* 32. *ver.* 30. Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Sic asserit Moyses *Exodi cap.* 33. *ver.* 11. Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicùt solet loqui homo ad amicum suum. Sic asserit *Iob cap.* 42. *ver.* 5. Auditu auris audiui te; nùnc autem ocu-

lus meus videt te. Sic asserit *Isaias cap. 6. ver. 1.* Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum. Sic asserit Micheas *3. Reg. cap. 22. ver. 19.* Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum Cœli assistentem ei à dextris, & à sinistris. Sic asserit *Daniel cap. 7. ver. 9.* Aspiciebam donec Throni positi sunt, & antiquus dierum sedit. Sic asserit *Amos cap. 9. ver. 1.* Vidi Dominum stantem super Altare, & alij etiam in Sacra Scriptura testantur se vidisse Deum.

n. 15 At in istis, & similibus visionibus, in quibus Deus oculis corporeis cernebatur, non videbatur Deus per Essentiam, sed per quasdam similitudines humano sensui accomodatas, vt docet D. Dionysius *de Cœlesti Hierar. cap. 4.* vbi dicit: (Quod si quis illinc etiam per se, sinè vllo medio non nullis Sanctis Deum visum esse contendat: Is discat hoc etiam apertè ex Sacris litteris, id quod in Deo occultum sit, vidisse, aut visurum esse neminem, Deum verò Sanctis visum esse, sed enunciationibus, quæ Deo dignæ sunt, per quasdam Sacras, & eorum, quibus ostenduntur captui accomodatas, visiones. Theologia autem sapientissima visionem illam, quæ in se descriptam, Diuinam, quasi in formatione eorum, quæ nulla forma depingi possunt, similitudinem prodidit, rectè ex eo, quod ad Diuinitatem eos, quibus ostenditur, erigat, Dei visionē nuncupat; propterea quod ea in mentibus eorum, qui videant, quendam Diuini luminis radium infundat, &

aliqua

aliqua rerum Diuinarum doctrina sanctè eos erudiat. Has autē Diuinas visiones clari illi Patres nostri cœlestium virtutum opera didicerunt.) Hæc magnus Areopagita; cuius auctoritate docemur illas visiones fuisse, non de Essentia Dei, sed de quibusdam formis ipsam repræsentantibus, & humano sensui accomodatas.

16 Hoc idem docet D. Chrisostomus, qui & ex varietate visionum arguit, quòd prædicti Prophètæ non videbant Deum faciali visione. Sic enim ait *hom.* 4. (De incomprehēsibili Dei Natura Constat, illa condescensum fuisse omnia, nèc vidisse quempiam illorum sinceram ipsam substantiam, eò quod variè quisquè viderit. Deus enim simplex, & omni concretione abiunctus, nulla forma, aùt figura effigiatus est. At verò illi omnes figuras viderunt varias; quod idem Deus per alium itèm Prophètam insinuans, àc suadens, neminem scilicèt exquisitè ipsam suam vidisse substantiam, inquit *Osee cap.* 12. 10. Ego visiones multiplicaui, & in manibus Prophètarum assimilatus sum. Tùm ex his, quæ Moysi *Exodi* 33. *uer.* 20. denegat: Cum enim ille Deum videre oculorum sensu concupisceret, Deus, nemo videbit faciem meam, & viuet, addidit.) Hæc Chrisost.

17 Et D. August. *lib.* 3. *de Trinit. cap.* 11. clarius, àc plenius, sic eandem sententiam confirmat. (Quapropter substantia, vèl si melius dicatur, essentia Dei, vbi prò modulo nostro ex quantulacumquè particula

intelligimus Patrem,& Filium, & Spiritum Sanctum; quandoquidèm nullo modo mutabilis est, nullo modo potest ipsa per semetipsam esse visibilis. Proindè illa omnia, quæ Patribus visa sunt, cum Deus illis, secundùm suam dispensationem temporibus congrua, præsentaret, per creaturam facta esse, manifestum est. Et si nos latet, quomodò ea ministris Angelis fecerit; Per Angelos tamèn esse facta, non ex nostro sensu dicimus, ne cuiquam videamur plùs sapere, quàm oportet sapere, sed sapiamus ad temperantiam, sicut Deus nobis partitus est mensuram fidei, sed credimus propter quod, & loquimur. Extat enim auctoritas Diuinarum Scripturarum, vndè mens nostra deuiare non debet; ne relicto solidamento Diuini eloquij, per suspicionum suarum abrupta, se præcipitet, vbi nèc sensus corporis regit, nèc perspicua ratio veritatis elucet.)

18. Et, cum plura idem S. Augustinus, in cõfirmationem huius rei ex Scriptura Sacra testimonia retulisset, concludit. (Sed iam satis quantùm existimo prò captu nostro disputatum, & demonstratum est, quod in hoc libro susceperamus ostendere, constititquè, & probabilitate rationis, quantùm homo, vèl potiùs quantùm ego potui, & firmitate auctoritatis, quantùm de Scripturis Sanctis Diuina eloquia patuerunt, quod antiquis Patribus nostris antè Incarnationem Saluatoris, cum Deus apparere dicebatur, voces illæ, àc species corporales per Angelos factæ sunt: siuè ipsis

Io-

loquentibus, vèl agentibus aliquid ex Persona Dei, sicùt etiam Prophètas solere ostendimus: siuè assumẽtibus ex creatura, quod ipsi non essent, vbi Deus figuratè demonstraretur hominibus.) Ex quibus Augustini verbis clarè patet, sicùt etiam ex dictis per Dionysium, & Chrisostomum supradictas apparitiones ministerio Angelorum factas fuisse. Quod confirmant etiam D. Gregorius Magnus *lib. 28. moral. cap. 2.* & D. Gregorius Nazianzenus *orat. 2. de Theolog.*

19 Supradicti igitùr Patriarchæ, & Prophètæ, & similes, qui se Deum vidisse in Sacra Pagina testantur intelligendi sunt, quod viderint ipsum sùb aliqua forma eorum sensui accomodata, & tota Theologorum concertatio supèr hoc puncto reducitur ad Moysen, & Paulum. Iste quia de semetipso testatur, quod raptus ad tertium Cœlum audiuit Arcana verba, quæ non licèt homini loqui; *2. Cor. c. 11. v. 13.* Et ille quia Dominus ipse sic de illo testatur *num. cap. 12. ver. 6.* Audite sermones meos: si quis fuerit intèr vos Prophèta Domini, in visione apparebo ei, vèl per somnium loquar ad illum: At non talis seruus meus Moyses, qui in Domo mea fidelissimus est: Ore enim ad os loquar ei, & palàm, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt &c. ex quibus verbis clarè infertur, quod Moyses, non sicùt alij Prophètæ per species, & figuras, seù per ænigmata vidit; sed palàm, & faciali visione ipsum cognouit.

20 Tali igitùr auctoritate fretus D. Ambros. *lib.*

1. *He-*

1. *Hexamer. cap. 2.* sic dicit de Moyse: (Cui testificatur Scriptura, quia nemo surrexit amplius Propheta in Israel, sicut Moyses, quem sciuit Dominus facie ad faciem, non in visione, neque in somnijs, sed ore ad os cum Deo summo locutus, neque in specie, neque per enigmata, sed clara, atque perspicua præsentiæ Diuinæ cognitione dignatus &c.) Et idem docet *in epist. 2. ad Corinth. cap. 12.*

21 Super eandem auctoritatem innixus D. Augustinus, clarius, & efficacius hanc sententiam stabiliens, sic ait *in epist. 112. cap. 12.* (Et illi fidelissimo antiquo famulo Dei Moysi concessum est, quod petiuit, vt claritatem Dei videret, cui dixerat, si inueni gratiam ante te, ostende mihi temetipsum manifestè &c.) Et paucis interiectis adiungit Augustinus. (Desiderio eius etiam illud, quod petierat fuisse concessum, in libro Numerorum, posteà demonstratum est, vbi Dominus arguit contumaciam sororis ipsius, & dicit: Alijs Prophetis in visione se apparere, & in somno; Moysi autem per speciem, non per ænigmata. Vbi etiam addidit, & clarissimis verbis dixit: Et gloriam Domini vidit.)

22 Et *in lib. 12. in Gen. ad litter. cap. 27.* Idem demonstrat his verbis. (Concupierat, vt in Exodo legimus, videre Deum, non vtique sicut viderat in Monte, nec sicut videbat in Tabernaculo, sed in ea substantia, qua Deus est, nulla assumpta corporali creatura, quæ mortalis carnis sensibus præsentetur: Neque in spiritu

spiritu figuratis similitudinibus corporum; sed per speciem suam, quantùm eam capere creatura rationalis, & intellectualis potest, seuocata ab omni corporis sensu, & ab omni significatiuo ænigmate spiritus, &c.) Et paucis interiectis adiungit: (Nisi tamèn concupitam, & desideratam Dei claritatem Moyses videre meruisset, non in libro Numerorum diceret Deus ad Aaron, & Mariam Fratres eius: Audite verba mea; Si fuerit intèr vos Prophèta Domini, in visione illi cognoscar &c.) Hæc de Moyse dicit Augustinus. Et *in eodem lib.* 12. *super Gen. cap.* 28. idem asserit de Paulo.

23 Eandem quoquè sententiam tuetur S. Basilius *homil.* 1. *in Hexamer. parùm à principio*, vbi dicit: (Vidit Deum; quàntum hominem videre possibile est, imò quantùm nulli datum est, iuxtà ipsum adeò testimonium Dei &c.) Et paulò post adiungit: (Hic itaquè, qui ipsam faciem Dei æqualitèr cum Angelis videre dignus factus est &c.) eandem sententiam defendunt Anselmus, Beda, Hugo de S. Victore, Lyranus, & Burgensis explicantes locum Pauli 2. *Corint. cap.* 12. Abulens. *in Matt. cap.* 5. *quæst.* 47. D. Thomas 2. 2. *quæst.* 175. *art.* 3. *&* 1. *par. quæst.* 12. *art.* 11. *ad* 2. Durandus *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 6. Et fundamenta huius sententiæ sunt illa, quæ suprà adduximus prò Moyse *ex lib. Num. cap.* 12. & prò Paulo *ex* 2. *Corint. cap.* 12.

24 Alij ex opposito dicunt, quod nequè Moyses, nequè Paulus, nequè alius viuens vidit Diuinam Essen-

ſentiam in hoc mortali corpore degens; & hanc ſententiam tuetur D. Dionyſius *de myſtica Theologia lib. cap.* 1. Gregorius Nazianzenus *lib.* 2. *ſuæ Theologiæ in principio.* Gregorius Magnus *lib.* 18. *Moral. cap.* 27. S. Cyrillus *ſuper Ioannem lib.* 1. *cap.* 22. & iſti omnes potiùs loquuntur de Moyſe, quàm de Paulo. Sunt etiam prò hac ſententia D. Hieronymus *in epiſt. ad Damaſum.* Et *lib.* 3. *contra Pelagium propè finem*, *& in cap.* 6. *Iſai.* S. Chriſoſt. *de Moyſe hom.* 14. *&* 2. *Corint. cap.* 12. Theophilatus, & Euthymius *explicans* illud *Ioannis* 1. Deum nemo vidit vnquam. Theodoretus *in Dialogo immutabili.* Magiſter ſententiarum *in* 2. *diſt.* 8. idem videtur ſentire. Caietanus licèt 2. 2. *quæſt.* 175. ſentiat cum D. Thoma; tamèn ſupèr *epiſt. Pauli*, *& Exodi* 38. *& num.* 12. tenet oppoſitum. Vaſquez *in* 1. *par. D. Thom. diſp.* 55. *cap.* 2. *& cap.* 3. 4. *&* 5. nititur probare, quod textus allatus *ex cap.* 33. *Exodi*; *et* 12. *num.* non probat, quod Moyſes clarè viderit Diuinã Eſſentiam. Et illud, quod prò hac ſentẽtia magis vrget, eſt auctoritas Euariſti Papæ; qui ex prima ſua epiſtola Decretali exponens illa verba Pauli 1. *ad Timot.* 6. Lucem inhabitat inacceſſibilem, ait: (Nullus vnquàm Prophètarum vidit Deum in ſua eſſentia, ſed ſolùm in ænigmate, & figura.)

25 Fundamenta huius ſententiæ deſumuntur ex illo *Exodi cap.* 33. Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo, & viuet. & poſteà addit: Poſteriora mea videbis, faciem autem meam videre

non

non poteris. Et ex illo *Ioannis cap. 6. uer.* 46. Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est à Deo, vidit Patrem; & ex illo eiusdem *Ioannis cap. 1. ver.* 17. Deum nemo vidit vnquàm; Vnigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis. Vbi notandum est, quod cum Ioannes dixisset: Lex per Moysen data est; Gratia, & veritas per Iesum Christum; continuo subiunxit: Deum nemo vidit vnquàm; sed vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis. Quasi rationem assignans, quarè lex data sit per Moysen; gratia tamen, & veritas, non per Moysen, sed per Christum facta sit; quoniàm ipse Christus solus viderat Deum; Ergo Moyses non vidit Diuinam Essentiam. Est etiam prò hac sententia ille locus Pauli *ad Timot. 1. cap. 6. ver.* 16. Lucem inhabitat inaccessibilem, quem nemo hominum vidit, nequè videre potest.

26 Cum igitùr tot, àc tantæ sanctitatis viri sint ex vtraquè parte, vtraquè sententia probabilis est, & nulla earum est de fide. Solummodò certum est, quod Deus, per absolutam potentiam, potest purum viatorem eleuare ad claram suæ Essentiæ visionem. Nùm autem aliquis de facto tanto bono sit potitus; Deus scit, qui se præbuit fruendum.

27 Auctoritates autem, quæ ex vtraquè parte afferuntur, de facili solui possunt; Nàm illæ, quæ probant, quod Deum nemo vidit vnquàm, nèc videre potest in hac vita, intelligi debet quoad sensus, scilicèt, quod non est visus, nèc videri potest oculis corporeis,

vèl ministerio sensuum; benè autem videri potest, per abstractionem, & seuocationem à sensibus, vt probant auctoritates in contrarium. Et hoc non per potentiam Dei ordinariam; sed supernaturalitèr, & per potentiam Dei absolutam.

28 Illæ verò, quæ probant partem affirmatiuam, exponendæ sunt, non quod viderint Diuinam Essentiam; sed quod habuerint quoddam genus Prophètiæ altius, & perfectius, quàm alij Prophètæ; & ideò dicitur *Num. cap.* 12. quod Moysi loquebatur Deus, non per figuras, quæ ad sensum pertinent; sed eminentiori modo, & independentèr à sensibus. Et si adiungit, quod Moyses, non per figuras, & ænigmata Dominum vidit. Hoc intelligendum est, vt obseruat Vasquez *loco cit.* ex translatione septuaginta Interpretum, & ex lectione Hebraica, quod illa particula, Dominum vidit, faciat sensum seorsùm, & disiunctum ab antecedentibus verbis. Sic enim legunt septuaginta: (Os ad os loquar ad illum in specie, non per ænigmata, & claritatem Domini vidit.) Et lectio Hebraica sic habet: (Ore ad os loquar ad eum, & palàm, non in ænigmatibus; & ideam, vèl similitudinem Domini vidit: Et Vulgata Editio sic legit: (Ore enim ad os loquar ei, & palàm; & non per ænigmata, & figuras, Dominum vidit.) Itaquè illa particula, Dominum vidit, non refertur ad illa verba, non per figuras, & ænigmata, sed stat seorsùm, & independentèr à verbis antecedentibus: & talis particula, Dominum vidit,

sic

sic seorsùm sumpta, facit sensum, quod eum vidit, eo modo, quo videbant alij Prophètæ, & iuxta doctrinam Sanctorum Patrum, quos supra retulimus.

29 Textus autem Pauli *2. Corint. cap.* 12. qui loquitur de raptu ipsius Pauli, non cogit: nàm ibi non dicitur, quod viderit Diuinā Essētiam, sed solummodò, quod audiuit Arcana verba, quæ nō licet homini loqui. Quibus verbis ostenditur, dicit Vasquez *in* 1. *par. disp.* 56. *cap.* 1. quod extasim, & mentis excessum passus fuerit, in quo excessu, mysteria altissima illi reuelata fuerunt. Et sic etiam hunc Pauli locum explicat Trigosus 1. *par. quæst.* 7. *art.* 3. *dub.* 1 *concl.* 2. vbi ait: (quod Paulus non dicit se vidisse Diuinam Essentiam in seipsa, sed in speculo quodam clarissimo altissimæ reuelationis.)

30 Sed quidquid sit de hac Doctorum controuersia, circa quam ideò immoratissumus, vt videatur cum quanto rigore generales regulæ, quæ in Sacra Scriptura traduntur custodiuntur à Theologis; quidquid sit de tali controuersia; & esto etiam, quod Moyses, & Paulus habuerint à Deo hoc singulare priuilegium; non tamen tale priuilegium ad alios potest extendi, sinè magno, àc certo fundamento. Quia ad excipiendum aliquem à regula generali Sacræ Scripturæ, requiritur testimonium certum, & infallibile, sicùt est eàdem Scriptura Sacra. Et quousquè hoc testimonium non apparet, temerarium est ab ipsa regula deuiare.

31 Et vt alia omittam, dicam solummodò, quod intèr alios articulos, qui contrà reuelationes S. Brigittæ oppositi fuerunt, vnus fuit iste, quod dixerit: Se vidisse Deum in specie Dei. Prò cuius propositionis defensione sic ait Card. de Turrecremata: (Quamquàm locum inuenire in reuelationibus prædictis nõ potuerim, vbi verba ista ponantur; & per consequens de eis, sicùt in multis, meritò dicere conuenit, tamquàm minus fidelitèr allegatis, posset supersederi; tamen ad ea, plenitudinis huius tractatus gratia, duxi etiam respõdendum; Dico enim, quod tàm apùd Philosophos, quã apùd Theologos, species rei dicitur similitudo rei; & cum visio Dei in via, siuè reuelationes fiant per aliquas similitudines representatiuas Dei, aùt eorum, de quibus fit reuelatio, dicente August. 9. *de Trinitate*: (Cum Deum cognoscimus, fit aliqua similitudo Dei in nobis) non est alienum à veritate, quod dicit B. Brigitta, quod scilicèt vidit Deũ per speciẽ Dei, idest similitudinem aliquam Dei, eius intellectui Diuinitùs impressam; Non autem per speciem, quæ dicitur ipsa Essentia nuda Deitatis. Hac quippè specie, visio perficitur Beata, in qua idem est obiectum Beatificans, & species intelligibilis, ad quam se perduci exorat Ecclesia militans in oratione sollemnitatis Epiphaniæ, ita dicens: (Deus qui hodierna die Vnigenitum tuum gentibus stella duce reuelasti, concede propitius, vt qui iam te, ex fide cognouimus, vsquè ad contemplandam speciem tuæ pulchritudinis perducamur.)

Hæc

Hæc Turrecremata in defensione reuelationis Sanctæ Brigittæ *cap. 6. art. 1.*

32 In qua responsione notandum est, quod præfatus Cardinalis primò dicit, locum non inuenisse, vbi S. Brigitta asserit, se vidisse Deum in specie Dei; per quod ostendit falsò hoc illi imputari; & hoc forsitàn facit ad eliminandam à dictis reuelationibus omnem temeritatis vmbram; & ad maiorem claritatem, posteà adiungit illius propositionis modificationem, iuxtà mentem D. Augustini *libro 9. de Trinit.* (vbi, vt ait D. Thomas *1. par. quæst. 12. art. 2. ad secundum*, loquitur August. de cognit. Dei, quæ habetur in hac vita, quæ vt supra cum Augustino, Dionisio, Chrisostomo, & alijs dictum est, fit sub aliqua figura nostrò captui accomodata.) Et sic Turrecremata excludit à S. Brigitta claram Diuinæ Essentiæ visionem, ne in aliquo ipsius reuelationes Sacris Scripturis repugnare videantur.

33 Si igitùr cum tanto rigore proceditur in examine illius propositionis S. Brigittæ, quæ quidèm propositio, vèl non reperitur intèr illius reuelationes, vèl si reperitur, secum fert suam modificationē, vt mōstratum est. Quid dicendum erit de reuelatione asserta ab hac muliere in hac quarta propositione: RAPITA AL TERZO CIELO PIV VOLTE? Semèl de Paulo, & semèl de Moyse, non absquè contradictione asseritur, & adhùc Lis sùb Iudice pendet; & Theologorum Tribunal, atquè iudicium magis ad negatiuam, quàm

quàm ad affirmatiuam inclinat, Et hæc mulier absquè vllo testimonio, absquè vlla ratione, absquè vlla verisimilitudine, sinè vlla congruentia pluries se raptam effutit: RAPITA AL TERZO CIELO PIV VOLTE, E PER TEMPO NOTABILE; Ergo in hoc plusquàm Moyses, & plusquàm Paulus.

34 Sequitur: HA VEDVTA LA DIVINA ESSENZA, non cum aliqua modificatione, sed clarè, perspicuè, àc faciali visione, COME LA VEDONO LI BEATI. Licèt Moyses, & Paulus habuerint hoc priuilegiū in sententia eorum, qui sic defendūt, nō ausi sunt claris verbis hoc affirmare; imò loquuti sunt cum tanta cautelà, & cum tanta verborum moderatione, quod ab ipsis non potest clarè deduci, quod tale priuilegium habuerint; imò quasi omnes deducunt oppositum; & ista mulier tollens de medio omnem ambiguitatem, terminis clarissimis asserit: HA VEDVTA LA DIVINA ESSENZA, COME LA VEDONO LI BEATI. Quid clarius?

35 Intèr alias rationes, quæ adducuntur ad probandum, quod Moyses, & Paulus non viderint in hac vita Diuinam Essentiam, est ista, & meo iudicio valdè efficax. Si Moyses, & Paulus viderint Diuinam Essentiam, sequitur, quod posteà in hac vita non habuerint fidem de Trinitatè, nèc de alijs mysterijs. Nàm qui semèl vidit Romam, & posteà recordatur, se vidisse, non credit ampliùs Romam esse, sed scit certè. Eodem modo, si isti Sancti viderint Diuinam Essentiam,

posteà

postea non crederint, Deum esse trinum. Nàm poterant facere hanc consequentiam: Ego vidi Deum esse trinum; ergo est trinus. Consequentia est euidens; Et antecedens est euidens; ergo & consequens. Eodem modo dicendum de hac muliere: Potest enim dicere: Ego in visione Diuinæ Essentiæ vidi mysterium Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ &c. Ergo sic sunt; ergo non amplius ambulat per fidem, sed per speciem; quod est contra illud Pauli *2. Corint. cap. 5. ver. 7.* Dùm sumus in corpore, peregrinamur à Domino (per fidem enim ambulamus, & non per speciem.)

36 Nèc valet illa solutio, quæ communitèr adduci solet, nempè, quod illud lumen gloriæ datum huic mulieri, ad hoc vt videret Diuinam Essentiam, non se habuit per modum permanentis, sed per modum transeuntis, & vt ita, compatiebatur secum fides in habitu, licèt non in actu. Non valet dico ista solutio: Quia lumen clarum, & obscurum opponuntur, sicùt habitus, & priuatio; ergo non possunt esse simul neque per instans; sicùt homo non potest esse simùl, videns, & cœcus; Sed fides se habet tamquàm lumen obscurum; ergo neque per vnum instans potest esse cum lumine gloriæ; & etiam, quod possit esse, numquàm tamen potest exire in actum. Vndè sequitur, quod ista mulier non ampliùs habet actum fidei, & per consequens non ampliùs ambulat per fidem, sed per speciem, contra sententiam D. Pauli.

37 Et si ista mulier vidit Diuinam essentiam eo

modo

modo quo eam vident Beati: HA VEDVTA LA DIVINA ESSENZA, COME LA VEDONO LI BEATI, dubito, carissime Theophile, ne in hæresim Iouiniani inlabatur, asserentis, teste D. Hieronymo *lib. 2. contra ipsum* (Iustos non operari, vt mereantur amplius; sed ne perdant, quod acceperunt.) Quem errorem Lutherus, cum suis asseclis sequutus est. Quẽ impugnant Hossius *in confessione cap.* 87. Vega *lib.* 10. *in Tridentinum, per totum.* Fundatur enim iste hæreticus (teste D. Hieronymo cit.) in illa Parabola *Matt.* 20. de Operarijs in diuersis horis in vineam vocatis, & pari denario accipientibus: vndè posteà æqualitatem præmij desumit: Pares nobis illos fecistis, qui portauimus pondus diei, & æstus. Quæ Parabola denotat, ex communi Sanctorum Patrum sentẽtia, Chrisostomi *homil.* 65 *in Matth.* Hieronymi *lib.* 2. *contra Iouinianum*, Nazianzeni *homil.* 40. *quæ in Sanctum Baptisma.* Augustini *ser.* 59. *de Verbis Domini*, & quam plurimorum cit. à Vasquez *tom.* 1 *in Primam D. Thomæ. disp.* 47. *art.* 6. *quæst.* 12. *cap.* 3. *pag.* 268. præmium Beatitudinis Essentialis, quod denario illo diurno significatur.

38 Vt autem hæc hæresis diruatur, sciendum, certum esse, omnes Beatos esse æquales in visione Essentiali, nón tamèn Indiuiduali, & in gradibus Gloriæ; Nàm cum illa visio sumat speciem ab obiecto, quod est omnimò idem, scilicèt, Deus, se Beatis eodem modo cõniungit, immediate terminando omnium visio-

nes;

nes; Sed cum ista mulier nunc asserat, HAVER VEDVTA LA DIVINA ESSENZA, COME LA VEDONO LI BEATI, videtur dicere, quod videat Diuinam essentiam æqualitèr cum Beatis, & per consequens ponere æqualitatem Gloriæ in Beatis, quod est contra Sacram Scripturam, Concilia, & Sanctos Patres.

39 Sacræ Scripturæ sic asserunt 2. *Corinth.* 9. Qui parcè seminat, parcè, & metet &c. (Vbi abundans prœmiú abundanti merito respondet) Et 1. *Corinth. cap.* 15. Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum; Stella enim differt à Stella in claritate: Sic erit resurrectio mortuorum. *Matth. cap.* 5. Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in Regno Cœlorum (hoc est minus habebit prœmij in Beatitudine) & *Matth.* 11. Non surrexit inter natos Mulierú maior Ioãne Baptista; qui autẽ minor est in Regno Cœlorum, maior est illo; ergo si in Regno Cœlorum, hoc est in æterna Beatitudine, est aliquis minor, qui comparatur Ioanni, maior est illo, sequitur, non omnes futuros æquales in Beatitudine. Et *Ioan. cap.* 14. In Domo Patris mei Mansiones multæ sunt. Si ergo sunt ibi diuersæ mansiones, erit etiam diuersitas præmiorum.

40 Concilijs etiam hoc repugnat. Cõcilium Thelense Auctoritate Syricij Papæ in Africa celebratum, adductum à Castro *lib.* 3. *aduersus hæreses Verbo Beati-*

tudo. hæresi 7. pag. mihi 60. littera D. (licèt dicat Baronius. *tom. 5. anno* 418. *num.* 27. nō Thelense sed Theleptense, & quod hoc Cōciliū celebratū sit sub Zosimo Papa, vbi Donatianus Episcopus prefuit, in quo nihil aliud factum reperitur, nisi quoad causæ, de qua controuersia vertebatur, definitionem, iussa est recitari Epistola Siriaci Poncificis ad Episcopos Africanos data) hæc sunt verba Concilij (Agrestis enim vlulatus est nullam virginitatis gratiam, nullum castitatis ordinem reseruare, promiscuè omnia velle confundere, diuersorum gradus abrogare meritorum, & paupertatem quandam cœlestium remunerationem inducere: quasi Christo vna sit palma, quam tribuit, ac non plurimi abundent tituli prœmiorum.) Hæc Concilium Thelense. Hoc idem docet Concilium Florentinum sùb Eugenio IV. celebratum: (Diffinimus illorum Animas, qui post Baptisma susceptum, nullam omninò peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post contractam peccati maculam, vèl in suis corporibus, vèl eisdem exutæ corporibus, pro vt superiùs dictum est, prò meritorum tamèn diuersitate, alium alio perfectius.) relatum ab eodem Castro *hæres. 6. verbo Beatitudo pag. 59. littera C.*

41 Idem asserunt Sancti Patres. Augustinus *tom. 6. lib. de Sancta Virginitate cap. 26. pag.* 178. *littera A.* sic ait: (Hic est ille denarius merces omniūm. Stella à Stella differt in Gloria; sic & resurrectio mortuorum. Hæc sunt merita diuersa Sanctorum. Si enim

Cœlum

Cœlum significaretur illo denario, nonnè in Cœlo esse omnibus est commune sideribus? Et tamen alia est Gloria Solis, alia Lunæ, alia Stellarum. Et paucis interiectis. Quia verò in ipsa vita æterna distincta fulgebunt lumina meritorum, multæ sunt mansiones apud Patrem, ac per hoc in denario quidem non impari, non viuet alius prolixius: In multis autẽ mansionibus honoratur alius alio clarior.) Hæc Augustinus & D. Cyrillus Alexandrinus *lib. 9. in Ioan. cap. 31.* in illa verba: In Domo Patris mei mansiones multæ sunt, sic ait: (Capacitatem Cœli ostendit, quæ tanta est, vt nulla egeat ad suscipiendos Electos præparatione. Hæc differentia mansionum, differentiam Gloriæ significat. Omnes enim vitæ suæ congruentem honorem suscipient) & D. Hieronymus *lib. 2. contra Iouinianum* ex professo hoc tractat; & *in Epistola 17. ad Damasum tom. 7.* Inæqualitas igitùr Gloriæ in Beatis, meritorum inæqualitati correspondet.

42 Nota tamèn hìc ex Scoto *cit. à Fauentino lib. 3. distin. 3. quæst. 1. pag. 39.* quod quatruplex est gradus Beatorum, quidam est eorum, qui habuerunt tãtumodò peccatum originale, vt Pueri post Baptismũ è vita decedentes. Alij, qui peccauerunt actualitèr, & mortalitèr, vt Sancti Patres. Alij, qui fuerunt præseruati, vt Beata Virgo. In quarto gradu est Christus. Quandò verò dicimus nos, dari inæqualitatem Gloriæ, contra Iouinianum, quem cum suis asseclis sequitur Lutherus, non intelligimus de Christo, & Virgi-

ne, de quibus certum est maximam habuisse Gloriam, tamèn inæqualitèr; nèc de Pueris post Baptismum è vita decedentibus, qui pari Gloria fruuntur ob Sanguinem Christi prò omnibus æqualitèr effusum; sed loquimur de Adultis inæqualibus in meritis, inæqualitèr fruentibus Essentia Diuina. Nunc ad nostrũ redeamus assertum. Cùm igitùr inæqualitas Gloriæ detur, quæ penès clariorem, & distinctiorem Diuinæ Essentiæ visionem attendenda est; dùm ista mulier asserit, HAVER VISTA LA DIVINA ESSENZA, COME LA VEDONO LI BEATI, cum ly, COME, vt supra probatum est, dicat similitudinem, videtur ipsa dicere, quod sicùt omnes Beati vident Diuinam Essentiam, ita ipsa vidit, sicùt omnes Beati, non sicùt alter illorum; ergo videtur ponere æqualitatem visionis Diuinæ Essentiæ inter se, & omnes Beatos, ergo videtur sentire æqualitatem visionis in omnibus Beatis modo supradicto. Igitùr si hæc mulier melius non se explicet modificando suam propositionem, vereor carissime Theophile, ne in errorem sit illapsa Iouiniani. Consulo modò tibi, vt strictè in hoc examinetur.

43 Sequitur etiam ex eadem propositione, quod ipsa viderit in Deo quidquid in ipso Beati vident. Illa enim dictio, COME, vt in discussione secundæ reuelationis monstratum est, idem sonat, & importat, àc si dicatur eodem modo, & importat omnimodam assimilationem. Itaquè vult dicere ista mulier, quod vidit

in suo

in suo multiplici raptu Essentiam Diuinam eodem modo prorsùs, quo eam vident Beati; Et per consequens vidit in eadem Essentia Diuina ea, quæ vident Beati; sed Beati multa vident in Diuina Essentia; & licèt non singuli omnia, sed vnusquisquè magis, vèl minus, secundùm quod magis, vèl minus perfectè vident ipsam Diuinam Essentiam, vt docet D. Thomas *1. par. quæst.* 12. *art.* 8. ergo, & ipsa vidit omnia, quæ ipsi Beati vident.

44 Licèt enim, vt dixi, Beati non omnia videant in Deo, non enim vident omnia possibilia, nequè omnia futura; attamen multa ex his, & ex illis cognoscunt, tamquàm effectus in sua causa, vt docet D. Thomas *cit. art.* 8. Quod multò antè docuit D. Gregorius *lib.* 4. *dialog. cap.* 33. vbi loquens de Beatis existentibus in Patria dicit: (Illic omnes, communi claritate, Deum conspiciunt: Quid est quòd ibi nesciant, vbi scientem omnia sciunt?) Et D. August. *lib.* 13. *confessionum cap.* 15. dicit de Beatis: (Vident enim faciem tuam semper, & ibi legunt sinè syllabis temporum, quid velit æterna voluntas tua: legunt, eligunt, & diligunt: semper legunt, & numquàm præterit, quod legunt; Eligendo enim, & diligendo legunt ipsam incommutabilitatem consilij tui.) Et *in lib.* 9. *de Ciuit. Dei cap.* 22. assignans differentiam intèr Beatos Angelos, & dæmones, dicit, (quod illi futura cognoscunt in æternis, & incommutabilibus Dei legibus; Dæmones autèm temporalibus temporalia, & mutabilibus

muta-

mutabilia intelligunt.) Et hoc etiam docuit S. Isidorus *lib. 1 de summo Bono cap. 12. sent. 17.* vbi ait: (Angeli in Verbo Dei cognoscunt omnia, antequàm in re fiant, & quæ apùd homines adhùc futura sunt, Angeli, iàm reuelante Deo, nouerunt.) Et tandèm Concilium Senonense *in Decretis fidei*, vt damnaret errorem eorum, qui dicunt Sanctos non esse orandos, ait: (Sed quàm sit hoc, non modò veritati, sed Scripturis quoquè dissonum, facilè intelliget, qui Beatis peruium esse, nō ignorat omniforme illud Diuinitatis speculum, in quo quidquid eorum intersit, illucescat &c.) Certum est igitùr, quod Beati multa vident in Deo, etiam de futuris, & de possibilibus. Et hæc omnia vidit certè ista mulier, quæ se asserit vidisse Diuinam Essentiam COME LA VEDONO LI BEATI, E PIV PERFETTAMENTE DI S. PAOLO, O ALTRO SANTO, CHE VIATORE HABBIA HAVVTO QVESTO PRIVILEGIO. Quod idem est, àc si diceret, vidit perfectius, quàm Paulus, & Moyses; isti enim solummodò probabile est, quod habuerint tale priuilegium, vt suprà dictum est.

45 Ratio, quæ communitèr assignatur, cur Deus Moysen, & Paulum tali munere decorauit, est illa, quā insinuat D. Thomas *in 1. par. quæst. 12. art. 11. ad secundum.* nempè, quod Moyses fuit Magister Iudeorum, & Paulus Doctor Gentium; quod confirmat in *epist. D. Pauli 2. Corint. cap. 12. lect. 1.* Vasquez *in 1. part disp. 55. cap. 1. num. 3* Et Trigosus *par. 1. quæst.*

7. art.

7. *art.* 3. *dub.* 1. vbi loquens de illis, qui defendunt Moysen, & Paulum vidisse Diuinam Essentiam, dicit: (Confirmant isti Patres suam sententiam; quia cum Moyses fuerit factus à Deo Magister, & Doctor Sinagogæ, & Paulus Doctor Gentium, qui nihil anteà audierant de Deo, rationi consentaneum videtur, vt Deus manifestè illis reuelaret hæc mysteria, vt possent esse oculati testes, & dicerent: quod audiuimus, & vidimus oculis nostris, annunciamus vobis.) Hæc est tota ratio, quæ militat prò Moyse, & Paulo; At prò ista muliere, quæ nam ratio mulitat? Illi viderunt, quod vident Beati, quia de illis mysterijs nos instruere debebant; & nos nullam hæsitationem haberemus de illa doctrina, quam magistri hauserant in proprio fonte; At ista mulier quosnam docere debet, vt congruens sit de talibus mysterijs instrui?

46 Denium si alteri prætèr Moysen, & Paulum hoc tàm singulare priuilegium fuit à Deo impertitum, piè creditur, quod concessum fuit Beatissimæ Dei Genitrici Mariæ. Sic asserit Vasquez *in* 1. *par. disp.* 56. *cap.* 2. *num.* 5. Trigosus *loco citato*, & Zamora *de Deo Trino, & vno tract.* 2. *quæst.* 6. *art.* 6. quem articulum talibus verbis concludit iste Doctor: (Hoc solùm mihi certissimum adijciam, si cuipiam mortalium Deum vnquàm, iuxtà claram suæ Essentiæ manifestationem, visum fuisse, asserendum est; Hoc maximè de Beatissima Dei Genitrice asserendum esse penès aureã illam D. Bernardi sententiam: Quod vèl paucis mor-

talium

talium constat fuisse collatum, fas certè non est suspicari tātæ Virgini esse negatum. Quam vtiquè Præpotens Deus, vt inquit D. Bernardinus in sua prædestinatione, præhonorandam cunctis operibus suis, ab æterno præordinauit.) Nèc sinè ratione hoc asseritur de Beatissima Virgine: Fuit enim, vt ait Augustinus Magistra Gentium, & vt dicit Rupertus Abbas, fuit Magistrorum Magistra; & per consequēs in tali Schola instrui debebat, vt nemo de eius Cœlesti Doctrina dubitare vnquàm posset. Adest igitùr in his tribus ratio finalis, estquè solummodò ratio congruentiæ, quod vsquè ad Dei visionem in hac vita sint eleuati; at quā rationem, quam congruentiam, quem finem assignare poterimus, quod hæc mulier à generalibus regulis Sacræ Scripturæ sit excepta? Si aliquid noui ex illo purissimo fonte ad nostram instructionem forsitàn hausit, doceat, vt iudicemus si eius doctrina consonat Verbo Dei.

47 Petro, cui testimonium perhibens veritas ipsa dixit: Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui est in Cœlis. *Matt.cap.16.ver.17.* Hoc priuilegium non fuit concessum; Nèc Ioanni, qui in Sacro Dominici pectoris fonte potauit; & licèt fuerint cum Christo in Monte Sancto, vbi ipsum Transfiguratum, & Gloriosum viderunt; quia tamen nullus Scripturæ locus reperitur, quod fuerint eleuati ad Diuinæ Essentiæ visionem; & si alter istorum sit Ecclesiæ fundamentum: iuxta illud:

Tu es

Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. *Matt. cap.* 16. *ver.* 18. Et alter tàm altè de Diuinis mysterijs loquutus fuerit, vt eius scripta demonstrant; Nemo tamen audet asserere, quod Diuinam Essentiam viderit in hac vita. Quia à regulis generalibus Sacræ Scripturæ neminem sinè magno, àc certo fundamento licet excipere. Et si aliquis, sinè tali testimonio, quempiam exciperet, temeritatis notam incurreret; vt docet Trigosus *loco citato*.

48 Si igitùr Petro, & Ioanni, in quibus concurrunt validæ congruentiæ, hoc priuilegium negatur, quis sinè vlla congruentia huic mulieri concessum esse autumabit? Si de Moyse, & Paulo, in quibus concurrunt congruentiæ, & Scripturæ, quod tali fuerint priuilegio decorati, adhùc inter Sanctos, & Theologos dubitatur, & plures sunt, qui negant, quàm qui affirmant; Quis sinè vlla congruentia, sinè vllo euidenti testimonio audebit asserere, quod ista mulier viderit Diuinam Essentiam eodem modo, sicùt cernitur à Beatis, & clarius, quàm vidit ipsemet Paulus? Et si de Beatissima Virgine Dei Genitrice Maria, in qua tot concurrunt congruentiæ, & tot Diuinæ benificentiæ testimonia, piè solummodò creditur, quod tali, àc tàm magno munere sit potita, quis credet, quod huic mulierculæ, absquè vlla congruentia, & absquè vllo testimonio sit paritèr concessum?

49 Cum igitùr tàm magnum priuilegium sinè cõgruenti ratione, àc euidenti testimonio nemini conce-

 datur,

datur, nullo pacto credendum esse censeo, quod huic mulieri fuerit concessum, non solùm ità circumstantiatum, vt ipsa asserit, sed nullo modo prorsùs.

50 Et quis cordatus, ò amice carissime, quis sapiens, quis in via Domini instructus credet huic mulieri, tàm futilitèr loquenti? quis dictum hoc, tot incredibilia continens, approbabit? Quis videns, quod hoc assertum aliò non tendit, nisi ad aucupandam sanctitatis famam, vt seminarium superbiæ, non reijciet, & vt à dœmone inspiratum non detestabitur? Quis ex inuerisimilibus, quæ complectitur talis assertio, nō dignoscet, eam à mendacij patre procedere? Quis eam Sacris Scripturis, Sanctorum Patrum sententijs, àc veræ Theologiæ dissonantem aspiciens, non respuet? Et quis eam ex ore simplicis mulierculæ, absque vlla ratione, egressa considerans, reputabit eam mendacio carere, cum mulieres, vt plurimùm sint mendaces?

51 In omnibus igitùr quinquè signis, ad dignoscendum, à quo reuelationes procedant, suprà allatis, deficit præsens assertio. Et si deniquè ad Heraclium lapidem examinare eam velimus, inspiciendo finem quò tendit, vel quò tendere potest hic suppositus raptus, magnam diaboli versutiam sùb ipsa latere, non sinè ratione, suspicor. Diabolus enim, qui in omnibus Dei simia vult esse, videns, quod Deus Moysen, & Paulum Diuinæ veritatis Prædicatores in Schola visionis Diuinæ instruxit, vt ab omnibus, postmodùm eorum Doctrina, absquè vlla hæsitatione admitteretur;

tur; ipse quoquè hanc mulierem ad aliquam imaginariam visionem rapuit, in qua multa pestifera dogmata potuit ei monstrare; quæ postmodùm diuulgata, saltèm à simplicibus, & idiotis credantur, vtpotè habita in supposita visione Diuinæ Essentiæ. Et mala, àc præcipitia, quæ hinc sequi possunt, ab exemplis in principio adductis, clarè colligetur. Itaquè, vt minus sapiens, ego censerem, ò Theophile dilettissime, quod si ista mulier solidiori fundamento hanc reuelationem non roborat, non potest effugere temeritatis notam, quam ei imprimit Petrus Trigosus *loco suprà citato*. Et hæc de quarta reuelatione sint satis.



Excutitur Spica Quintæ Reuelationis, eiusque Propositio discutitur.

DISCVSSIO QVINTA.

1 SPica quintæ reuelationis, à te mihi, ò dilectissime, proposita, hanc continet propositionem: CH'E IMPECCABILE, SENZA MAI HAVER PECCATO MORTALMENTE, NE VENIALMENTE, NE OMBRA DI PECCATO. Magnũ, imò maximum est hoc priuilegium, & ex his, quæ secum inuoluit, sua Excellentia clarè discernitur. Primo enim includit impeccabilitatem in illa enunciatione CH'E IMPECCABILE. Secundo ponit, quasi rationem suæ impeccabilitatis, ex eo quod nunquàm peccauit, illis verbis: SENZA MAI HAVER PECCATO MORTALMENTE; NE VENIALMENTE; & tertio loco per illã particulam, NE OMBRA DI PECCATO, magis confirmat assertam impeccabilitatem. De omnibus his particulis seorsum loquemur, vt ex earum consideratione, veritas huius reuelationis, & propositionis clarius elucescat. &

2 Primò dicit, quod est impeccabilis; E IMPECCABILE, quod idem valet apùd Theologos, àc non posse peccare. Quod quidem prædicatum soli Christo conuenit, & ex vi vnionis hypostaticæ, & ex vi Beatitudinis, qua Anima illius fruebatur. Cœterum inter

via-

viatores hoc priuilegium non reperitur nisi in Beatissima Virgine Maria, de qua posteà dicemus.

3 Inter alios errores, quos effutiuit Iouinianus, vt refert D. Hieronymus in duobus libris, quos scripsit contrà ipsum, hic est; quod qui plena fide per baptismum renati sunt, non possunt posteà peccare. Et hunc errorem posteà sequutus est Pelagius, vt refert D. August. *lib. de hæresibus cap.* 88. dicebat enim Pelagius: Vitam iustorum in hoc sæculo, nullum habere peccatum, tanquàm si is, qui semel iustus est, ampliùs peccare non possit. Et nouissimè hunc eundem errorem suscitauit, & amplexus est Lutherus: cuius verba, vt ex Ecchio refert Alphonsus de Castro *lib. 7. aduers. hæreses, verbo Gratia, hæresi secunda*; Hæc sunt: (Prorsùs non dubitemus non esse saluos, postquàm baptizati sunt, quia promissio ibi facta, non est mutabilis vllis peccatis, vndè baptizatus, etiam volens, non potest perdere salutem, quia nulla peccata possunt eum damnare, nisi incredulitas; cœtera omnia per fidem absorbentur in momento.) Hæc Lutherus.

4 Similem errorem docuerunt Beguardi, & Beguinæ damnati *in Clementina ad nostrum, de hæreticis* Et refertur etiam in direct. Inquis *parte 2. cap. 3*: Inter alios namquè Begardorum errores, primus hic est: Quod homo in vita præsenti tantum, & talem perfectionis gradum potest acquirere, quod reddetur penitùs impeccabilis &c. Differt positio huius erroris à prima, quia Iouinianus, Pelagius, & Lutherus dedu-

cunt

cunt suam impeccabilitatem à iustificatione, quæ habetur in baptismo; & Beguardi, ac Beguinæ ex profectu in gratia, & virtute eam prouenire affirmant. At quomodocumquè sumatur, seù asseratur impeccabilitas in viatoribus, error est; nisi addatur specialissimum Dei auxilium, & priuilegium.

5 Fundamenta, quibus isti hæretici innitûtur, sunt quædam Sacræ Scripturæ loca malè ab ipsis explicata: primum est illud 1. *Ioan. cap.* 3. *ver.* 9. Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet; & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. Secundus locus desumitur ex *Matt. cap.* 7. *ver.* 17. non potest arbor bona malos fructus facere. Si ergo iustus est bona arbor, non potest facere malos fructus peccati. Tertius est ille textus Pauli 1. *Corint. cap.* 13. *ver.* 8. Charitas numquàm excidit. Vndè inferunt; ergo numquàm peccatur, quia si peccaretur, excideret. Hæc sunt hæreticorum fundamenta, quæ nihil profectò facessunt, vt inferius monstrabitur.

6 Sed firmum stat fidei fundamentum; Habemus enim in Sacra Scriptura: Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est 1. *Ioan. cap.* 1. *ver.* 8. *Et Psal.* 115. *ver.* 2. Omnis homo mendax; quod si mendacium peccatum est, per consequens omnis homo peccat, vèl potest peccare; *Et prouerb. cap.* 24. *ver.* 16. Septies enim in die cadet iustus, & resurget. Et Paulus 2. *Corint. cap.*

13. *ver.*

13. *ver.* 6. Spero autem, quod cognoscitis, quod nos non sumus reprobi. Et hoc dicebat: quia de sua iustitia certus erat; attamen de casu timebat, & 1. *Corint. cap.* 9. *ver.* 27. dicebat: castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cum alijs prædicauerim ipse reprobus efficiar. Si igitùr iustitiam amittere non poterat, ad quid timebat? & 1. *Corint. cap.* 10. *ver.* 12. Itaquè, qui existimat stare, videat ne cadat. Et Apocal. *cap.* 3. *ver.* 11. Tene quod habes: & nemo accipiet coronam tuam. & *cap.* 2. *ver.* 2. *eiusdem lib. Apoc.* Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam; & quia sustinuisti proptèr nomen meum, & non defecisti: Sed habeo aduersùm te, quod charitatem tuam primam reliquisti. Si igitùr charitatem reliquit, peccauit. Nàm charitas non amittitur, nisi per peccatum. Sic determinat Sacrũ Cõciliũ Tridẽtinũ *sess.* 6. *cap.* 15. vbi dicitur: Non modò infidelitate, per quam, & ipsa fides amittitur, sed etiam quocumquè alio mortali peccato, quamuis nòn amittatur fides, acceptam iustificationis gratiam amitti &c. Et vt alia Scripturæ loca omittam, quæro solummodò, ad quid Dominus docuit in Euangelio, vt oremus Patrem illis verbis: *Matt. cap.* 6. *ver.* 12. Dimitte nobis debita nostra; & illa: Et ne nos inducas in tentationem? Si baptizatus non peccat; ergo non habet debita, quæ remissione indigeant; & si non potest peccare, nèc etiam debet timere de tentatione. Ad quid ergo tota Ecclesia Catho-

lica

lica ipsa verba pluriès in die apud Deum orando exponit? Clarum est igitur ex omnibus allatis Sacræ Scripturæ locis, quod iusti, dùm sunt in hac vita, possunt peccare.

7 Quod etiam probatur multis exemplis ex eadem Sacra Pagina desumptis. Certum est, quod Deus fecit hominem rectum, vt dicitur *Eccles. cap. 7. ver. 30.* & tamen à rectitudine declinauit, transgrediendo Diuinum præceptum. Dauid iustus erat; testante Domino, qui dicit: Inueni Dauid virum secundum cor meum; qui faciet omnes voluntates meas. *Actor. cap. 13. uer. 22.* & hoc non obstante peccauit. Petrus iustus erat, & illis Domini verbis canonizatus: Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui est in Cœlis. *Matt. cap. 16. uer. 17.* Nihilominùs ter Dominum negauit. Nicolaus vnus ex septem Diaconis electis in ministerium viduarum, vt habetur *Actor. cap. 6.* iustus erat, & plenus fide, & Spiritu Sancto; Attamen testatur Dominus *in Apocal. cap. 2.* se odisse facta Nicolaitarum. Multa alia exempla ex Sacris Litteris depromere possumus; sed quia ista sufficiunt, breuitatis causa alia relinquuntur.

8 Addo tamen, quod Sacra Concilia sic determinarunt. Concil. Mileuitanum videns, quod multi, ad effugiendam illam rationem, quæ desumitur ex verbis 1. *Ioannis cap. 1. uer. 8.* Dicebant, quod illa verba dicuntur propter humilitatem. Sic definiuit *in suis Decretis cap. 6.* (Item placuit, quod ait S. Ioannes Apostolus:

stolus: Si dixerimus,quia peccatum non habemus,nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est; quisquis sic accipiendum putauerit, vt dicat,propter humilitatem non oportere dici,nos non habere peccatum,non quia veritas est, anathema sit.) & *cap.* 8. *de verbis orationis Dominicalis* sic etiam decreuit: (Item placuit, vt quicumquè verba ipsa Dominicæ orationis, vbi dicimus: Dimitte nobis debita nostra, ita volunt à Sanctis dici, vt humilitèr, & non veracitèr hoc dicatur, anathema sit. Quis ferat orantem, non hominibus, sed ipsi Domino mentientem, qui labijs sibi dicit dimitti velle, & corde dicit, quæ sibi dimittantur debita non habere?) Hæc Concil. Mileuit.Idem determinat, & clarius Concil. Tridentinum *sess.* 6. *can.* 23. his verbis: (Si quis hominem semèl iustificatum dixerit ampliùs peccare non posse, nequè gratiam amittere; atquè ideò eum, qui labitur, & peccat numquàm verè fuisse iustificatum, aùt contrà, posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio, quemadmodùm de B. Virgine tenet Ecclesia. Anathema sit.)

9 Hoc idem determinant Sacri Canones, & Decreta Pontificia. Et in Clementina *Ad nostrum de hæreticis* anathemate damnatur error Begardorum, & Beguinarum supra relatus, qui idem est cum errore Iouiniani, Pelagij, & Lutheri. Et *de pœnitent. distin.* 2. multi habentur Canones hanc catholicam veritatem confirmantes. *à Canone: Sed nèc Adam, & deinceps.* Vbi

etiam multæ ſunt Sanctorum Patrum auctoritates veritatem hanc roborantes, & Iouiniani, àc Pelagij errorem impugnantes;& præcipuè S.Hieronymus *in C. Si enim inquit*, latè ſe diffundit. Cum igitùr habeamus hanc veritatem Sacris Scripturis, Concilijs, Canonibus, Sanctorum Patrum auctoritatibus, àc authenticis exemplis probatam, nihil circa ipſam reſtat dubitandum.

10 Auctoritatibus autem in contrarium adductis reſpondetur, Quod illa verba Ioannis: Omnis,qui natus eſt ex Deo non peccat, nèc poteſt peccare, habent ſecum annexam rationem, quare talis non peccat,nèc poteſt peccare;quia ſemen ipſius in eo eſt. Semen autē Dei, vocat hìc Ioannes, gratiam Dei; deſumpta metaphora à generatione naturali; Sicut enim Pater generat filium ad vitam naturalem ratione ſeminali, ſic Deus generat nos ad vitam ſpiritualem per ſemen gratiæ. Manente igitùr in nobis hoc ſemine gratiæ, nèc peccamus, nèc poſſumus peccare in ſenſu compoſito; quia impoſſibile eſt, vt ſtent ſimùl, & ſemèl in eodem ſubiecto gratia, & peccatum, nàm contradictoriè opponuntur; Sed ſic eſt,quod ſemen gratiæ poteſt amitti, & de facto amittitur per peccatum, vt probatum eſt;ergo amiſſo tali ſpirituali ſemine,poteſt homo peccare. Quod confirmatur per contextum eiuſdem Ioannis in eadem pagina, imò in eodem capitulo, vbi dicit: Qui non diligit, manet in morte. Omnis, qui odit Fratrem ſuum homicida eſt. Et ſcitis,quoniam omnis

homi-

homicida non habet vitam æternam in seipso manentem 1. *Ioan. cap.* 3. *ver.* 15. Sed omnis baptizatus potest odisse proximum; & de facto multi oderunt, & odio habent; ergo omnis baptizatus potest peccare, & de facto multi peccarunt, & peccant. Et *in eadem epist.* dicit: Si dixerimus quoniam peccatum non habemus; ipsi nos seducimus. *cap.* 1. *ver.* 8. Et *uer.* 9. dicit: Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra: Et *cap.* 2. *uer.* 1. ait: Filioli mei, hæc scribo vobis, vt non peccetis; sed, & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum. Ex quibus Ioannis verbis in eodem contextu positis, clarissimè deducitur, quod ipse vult dicere; Quod omnis qui natus est ex Deo, manente in ipso gratia Diuina, àc ipsa gratia eum roborante, àc confirmante, nèc peccat, nèc potest peccare. Sed sinè isto auxilio, nemo potest dicere, quod nõ peccat, & quod nõ potest peccare; sicùt iã determinatum est à Sacro Concilio Tridentino *supra cit.*

11 Ad auctoritatem desumptam *ex cap.* 7. *Matt.* Non potest arbor bona malos fructus facere, respondet D. Hieron. *lib.* 2. *aduersus Iouinianum.* (Tandiù ergo, nèc arbor bona malos fructus facit, nèc mala bonos, quandiù vèl in bonitate sua, vèl in malitia perseuerat.) Et clarum est, quod hìc dicit Hieronymus; Si enim arbor, quæ priùs erat bona, fit deterior, non ampliùs facit fructus bonos, sicut priùs.

12 Ad auctoritatem à D. Paulo extortam, nem-

pè; quod charitas numquàm excidit; Respondetur ex eodem Pauli contextu 1. *Corint. cap.* 13. *uer.* 8. vbi dicit: Charitas numquam excidit, siuè Prophètiæ euacuabuntur, siuè linguæ cessabunt, siuè scientia destruetur. In hoc enim textu, & sequentibus verbis comparationem facit inter charitatem, & alia dona Spiritus Sancti; & dicit, quod omnia ista non erunt in Cœlo; sed benè erit ibi charitas. Ibi enim non erunt prophètiæ, non genera linguarum, non scientia, quam habemus per fidem. Hæc enim ex parte sunt, quia ex parte cognoscimus, & ex parte prophètamus; & videmus nùnc per speculum in ænigmate. Cum autem venerit, quod perfectum est; Idest cum venerit clara Dei visio In Patria Cœlesti, tùnc euacuabitur, quod ex parte est; Et videbimus eum facie ad faciem. At charitas numquàm excidit; quia eadem charitate, qua diligimus Deum in terra, diligemus in Cœlo, sed perfectiori, àc ordinatiori modo. Ibi enim loco fidei habebimus claram visionem; loco spei securam possessionem; sed loco charitatis, non dabitur aliquid ab ea diuersum, sed eadem charitas durabit in æternum; ergo charitas numquàm excidit, & numquàm excidet. Sic hunc locum Pauli explicat D. Thomas *in* 1. *ad Corint. cap.* 13. *lect.* 3. vbi perstringendo totam expositionem dicit: (Vndè sensus Apostoli est, charitas numquàm excidit, quia scilicèt, sicut est in statu viæ, ita permanebit in statu Patriæ, & cum augmento.) Hæc D. Thom.

13 Patet igitùr, quod sùb anathematis pœna, non

possu-

possumus dicere, aliquem purum viatorem non posse peccare; Sed solùm dicere possumus, quod potest aliquis in præsenti vita, cum speciali auxilio Dei, omnia peccata, etiam venialia, vitare. Vndè infertur, quod ista mulier asserendo de se, quod sit impeccabilis, malè loquitur contra Scripturas, àc Concilia.

14 At quia posset aliquis eam defendere, àc dicere, quod sicùt cum auxilio speciali poterat omnia peccata, etiam venialia, vitare; ita cum eodem auxilio potuit, ita confirmari in bono, vt non posset peccare, & ita esset impeccabilis. Videamus si hoc dictum habeat locum.

15 Vèl hoc speciale auxilium datum ad vincendum omni ex parte peccatum stat cum libertate nostri arbitrij, vèl non; si stat cum libertate; ergo non est impeccabilis; quia cum liberè operetur, potest se ad vtramque partem mouere.

16 Si autem cum tali auxilio non stat nostra libertas; omninò non potest fieri, quia hæc libertas tolli non potest; Sic enim determinat Sacrum Concilium Tridentinum *sess. 6. can. 4.* vbi habetur: (Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Déo excitanti, atquè vocanti, quoad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, àc præparet; nequè posse dissentire si velit; sed veluti inanime quoddam, nihil omninò agere, mereque passiuè se habere. Anathema sit.) Hoc etiam monstrauit pluribus Sacræ Scripturæ locis *eadem*

dem sess. 6. cap. 5. Quod consonat cum illo dicto Ecclesiastici *cap. 15. uer. 14.* Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Adiecit mandata, & præcepta sua, si volueris mandata seruare, conseruabunt te. Apposuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Antè hominem vita, & mors, bonum, & malum; quod placuerit ei, dabitur illi. Quo loco libertas nostri arbitrij clarissimè mônstratur; quæ libertas non tollitur per Dei auxilium, vt determinatur à Sacro Concilio Tridentino. Nulla est enim apud Deum illa operatio, quæ non procedit ex libertate, sed ex coactione, & necessitate; Nèc possumus dicere, quod peccatum à nobis vitetur, & fugiatur, si illud, non cum plena libertate, sed posita coactione, àc necessitate vitamus. Ait enim Chrisostomus. (Quod Mentis malitia, necessitate non tollitur.) *homelia de Iuda proditore.* Posset enim quisquè dicere: Non ideò non facio hoc malum, quod cogito, quia nolo; sed quia non possum, cum necessitate coactus alitèr facere non valeam; quod si talis necessitas non adesset, forsitàn facerem ex mea libertate.

17 Circa quód est etiam illa communis doctrina; quæ affertur à D. Thoma *prima 2. quæst. 10. art. 2.* nempè (quod voluntas nostra à nullo obiecto creato necessariò moueri potest, quandiù vsus rationis sinè perturbatione manet.) Ex qua doctrina colligitur, quod duo tantùm possunt nostram voluntatem necessariò mouere, nempè perturbatio rationis, & obiectú

in-

increatum. Et cum obiectum increatum necessariò moueat nostram voluntatem, vèl per vnionem hypostaticam, vèl per vnionem perfectissimæ charitatis, quæ habetur à Beatis ex clara Dei visione; Sequitur, quod hæc tria tantùm possunt nostram voluntatem necessariò mouere, nempè vnio hypostatica, vnio perfectissimæ charitatis in clara visione summi boni, & perturbatio rationis. Sic docet Vasquez 3. *par. disp.* 120. *cap.* 2. *num.* 14. & 1. *par. disp.* 90. *cap.* 2. & *disp.* 99. *cap.* 8. *num.* 51. & 52. Et cum in hac muliere non sit nequè vnio hypostatica, nequè vnio beatifica, nèc supponatur in ea perturbatio rationis; sequitur quod eius voluntas non necessariò, sed liberè mouetur ad non peccandum; & per consequens non possumus dicere, quod sit impeccabilis, cum non necessariò, sed liberè ad hoc se habeat.

18 Et si adhùc dicatur, quod p illud speciale auxilium ablata est ab ipsa libertas ad peccandum; & per consequens est impeccabilis.

19 Videamus quale sit hoc auxilium, quod potest humanæ voluntati necessitatem inferre, vèl ab ea libertatem auferre, ita vt hæc mulier peccare non possit.

20 Primò, non potest fieri per ligationem, nèc etiam per extinctionem fomitis peccati ex parte appetitus, vt probat Durandus *in* 3. *dist.* 3. *quæst.* 4. Nàm sinè fomite, anima, secundùm se, libertatem habet ad peccandum non minùs, quàm Angelus, qui sinè fomite,

mite, & incentiuo carnis peccauit. idem tenet Vasquez 3. *par. disp.* 120. *cap.* 2. *num.* 15.

21 Secundò, non potest tolli libertas voluntatis per habitus virtutum, siuè acquisitos, siuè infusos; quia habitus acquisitus nihil aliud facit, nisi, quod reddit potentiam faciliorem, & promptiorem ad operandũ; ita vt facilitèr, & delectabilitèr operetur; Et habitus infusi non ad facilitandam potentiam, sed ad substantiam operis dantur. Itaquè per huiusmodi habitus virtuosos redditur voluntas promptior ad bonum; at nõ tollitur ab ea libertas, vt possit non velle bonum; & per consequens potest peccare. Sic tradit Vasquez 1. *secundæ disp.* 137. *cap.* 7. vbi docet, (quod per quemcumquè habitum vitiosum, quantumcumquè vitium crescat, non potest impediri naturalis inclinatio ad virtutem.) Et 3. *par. disp.* 118. *cap.* 3. idem dicit de habitibus virtuosis, (quod scilicèt per quemcumquè habitum virtutis non impeditur naturalis inclinatio illius potentiæ, in qua supponitur talis habitus, quin possit moueri ad oppositum.)

22 Tertiò, non potest impediri libertas arbitrij per concursũ Diuinum cum humana voluntate, quia cum voluntas liberè moueatur ad actum suum, Deus concurrendo cum ipsa, non tollit ab ea libertatem, vt probat Vasquez 1. *par. disp.* 99. *num.* 51.

23 Quartò, non potest impediri libertas arbitrij ex præfinitione extrinseca, siuè ex decreto ipsius Dei. Quia cùm decretum sequatur, & non præcedat scien-

tiam

tiam Diuinam, qua præuidentur res ab humana voluntate pendentes, non impedit nostram libertatem, nèc imponit nostris actibus necessitatem antecedentem, & absolutam; sed sollummodò imponit necessitatem consequentem, & conditionatam, Vt tradit Caspensis. *tract. de volunt. Dei disp. 7. sect. 3.* quæ quidèm necessitas, cum sequatur libertatem, nullo modo impedit eam.

24 Quintò, non potest impediri hæc libertas per continuum actum contemplationis, & amoris; quia licèt in Beatis visio, & amor Dei causet talem effectum, hoc est, quia Beati à tali visione, & amore cessare non possunt; At purus viator, non necessario, sed liberè fertur ad actus contemplationis, & amoris, & per consequens potest ab ipsis desistere; & sic eius libertas non læditur ab huiusmodi actibus amoris, & contemplationis.

25 Sextò, non potest tolli libertas per aliquod decretum, quo præfiniat Deus nolle cócurrere ad actum peccaminosum alicuius viatoris. Quia licèt per subtractionem huius concursus impedirentur omnia peccata commissionis; attamen non impedirentur peccata ómissionis; & sic remaneret libera eius voluntas ad peccandum.

26 Vltrà istos modos alius excogitari non potest, quo voluntas istius mulieris, sic per speciale priuilegium fuerit confirmata in bono, vt amissa libertate ad peccandum, impeccabilis dici possit.

27 Et etiam, quod habuiſſet quodcumquè auxilium, quod à me excogitari non poſſit,ad vincendum omne peccatum; nihilominùs ſemper cum iſto auxilio debet remanere integra libertas arbitrij, vt non merè paſſiuè ſe habeat, & ſit aliquid inanimè; Sicùt determinat Sacrum Concilium Tridentinum *ſeſſ. 6. can. 5. cit.* vt poſſit liberè aſſentire, & diſſentire. Et ſic permanente, nullo modo poteſt dici, & ſtare in hac propoſitione illud verbum. E IMPECCABILE.

28 Agitatur inter Theologos hæc quæſtio: Vtrũ B. Virgo Dei Genitrix, ita fuerit cõfirmata in gratia, vt nõ poſſet peccare, & eſſet impeccabilis Et licèt Okã *in 4. quæſt. 2. art. 2.* Gabriel *in 4. diſp. 3. quæſt. 2. art. 3. dub. 1.* Et Almainus *quæſt. 2. aliquãtulũ antè finẽ* affirmẽt, quod poſt ſuã sãctificationẽ impeccabilis fuit, maximè verò poſt ſecundã ſanctificationem, nimirùm, factam in cõceptione Filij Dei; Quod etiam affirmant D. Thomas *in 3. diſt. 3. quæſt. 1. art. 1. quæſt. 3. in corpore. & ad ſecundum.* D. Bonauentura, Riccardus, Paludanus, Alexander de Ales, & Marſilius, quos citat Vaſquez *diſp. 120. cap. 1.* licèt, inquam, iſti Doctores affirmẽt de Beatiſſima Virgine, quod fuerit impeccabilis, & de tempore talis impeccabilitatis, aliqui dicunt poſt primam ſanctificationem, & aliqui poſt ſecundam; Attamen Durandus *in 3. diſt. 3. quæſt. 4.* & Vaſquez *diſp. 120. cit. cap. 2.* probabilius exiſtimant, quod B. Virgo, ita ab omni peccato immunis fuit, vt tamen peccare potuerit, & libertatem ad peccandum non amiſe-

amiserit; ad quam sententiam nititur ipse Vasquez etiam trahere Diuum Thomam.

29 Et Suarez tractans hanc difficultatem 3. par. quest. 27. art. 3. disp. 4. sect. 4. sic concludit, (Ex quo tandem concludo, simpliciter, ac formaliter loquendo, non magis fuisse impeccabilem B. Virginem post secundam sanctificationem, quàm post primam. Quia post vtramquè, ex vi intrinsecæ dispositionis, peccare poterat. Vndè in sensu diuiso, atquè simpliciter dici potest, habuisse semper potentiam peccandi; habuit enim libertatem, qua potuit transgredi, & non est trãsgressa; quamuis in sensu composito in nullo tempore, vèl statu potuerit peccare, vt dictum est. Potest autem non nulla differentia assignari inter statum, quem Beata Virgo habuit antè, vèl post Conceptionem Filij. Nàm antè Conceptionem, licèt esset præordinata in Matrem Dei; tamen non dùm in se receperat dignitatem aliquam, cui hæc confirmatio in bono deberetur; licèt Deus perfectioni suæ sapientiæ, & prouidentiæ deberet, vt illam conferret Virgini, quã in Matrem suam prædestinauerat; At verò post conceptionem Filij, habuit Beata Virgo in se singularem Matris dignitatem, cui, veluti ex natura rei, debita erat hæc gratia confirmationis in bono. Et hac ratione dici potest magis impeccabilis post secundam, quàm post primam Sanctificationem.) Hæc Suarez.

30 Si igitùr de Beatissima Virgine, quæ in ratione maternitatis est tantæ excellentiæ, quod puram

creaturam illa maiorem, aut meliorem Deus formare non potest, Theologi cum tanta cautela loquuntur circa hoc prædicatum impeccabilitatis; quid dicendũ est de alijs ? Tota ratio concedendi hoc priuilegium Beatissimæ Virgini Mariæ, hæc est, quia fuit Mater Dei; (& vt talis ea puritate debet nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi;) ait Anselm. *lib. de excell. Virg.* & hoc non obstante, ita in ipsa admittitur hoc priuilegium, quod non amiserit libertatem, qua, vt dicit Suarez, potuit transgredi, & non est transgressa; licet in sensu composito, in nullo tempore, & in nullo statu potuit peccare. At mulier de qua loquimur, qua ratione sibi vsurpat hoc prædicatum impeccabilitatis, vt dicat CH'EIMPECCABILE ?

31 Respondebit forsitàn ista mulier, quod ipsa est impeccabilis, quia nullum peccatum commisit; & certè supradictis difficultatibus ipsa intendit satisfacere per illa verba, quæ subiunxit: SENZA MAI HAVER PECCATO MORTALMENTE, NE VENIALMENTE, quibus verbis à posteriori probat suam propositionem. Et hæc verba non supponentur ei reuelata à Deo, cum ea ipsa, quæ sibi conscia est, dictam propositionem de semetipsa affirmet. Videamus igitùr si hæc verba cum veritate dicantur, vèl dici possint ab ipsa.

32 D. Augustinus *lib. de spiritu & littera cap.* 2. dicit: (Si quis de aliquo Sancto affirmet nunquàm peccasse, non proprijs viribus, sed gratia, & dono Dei,

non

non multum esse cum illo contendendum; sed potius, si id sufficientèr ostendat, illi esse gratulandum.) Hæc dicit August. de his qui hoc magnum priuilegium in alijs afferunt, & sufficientèr ostendunt. Sed si quis de se ipso loquatur, & hoc priuilegium sibi arrogat, effugere non potest illam censuram S. Cypriani, qui in expositione orationis Dominicæ ait: (Si autem nemo sinè peccato esse potest; quisquis se inculpatum dixerit, aùt superbus, aut stultus est.)

33 Nèc immeritò S. Cyprianus appellat superbum, aùt stultum, qui se asserit ita iustum, quod nullum habeat peccatum. Quia in tali hoc asserente, vèl est deprauata ratio, vèl voluntas. Si enim eiùs verba de voluntate deordinata procedunt, superbiam ostendunt; si autem de perturbata ratione, stultitiam.

34 Clarum est enim Augustini testimonium *lib. de natura, & gratia cap. 36.* vbi ait: (Cum de peccatis agitur, de S. Virgine Maria, proptèr honorem Domini, nullam prorsùs habere volo quæstionem. Indè enim scimus, quod ei plùs gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quod concipere, àc parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.) Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos Sanctos, & Sanctas, qui in Scripturis Sanctis non modò non peccasse, verùm etiam iustè vixisse referuntur, cum hìc viuerent, congregare possemus, & interrogare, vtrùm essent sine peccato? quid fuisse responsuros putamus? Quantalibèt fuerit in hoc corpore excellen-

tia

tia sanctitatis, si interrogari potuissent, vna voce clamassent illud, quod ait Ioannes Apostolus: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.) Hæc August.

35 In quibus Augustini verbis; primò obseruandum est, quod tantummodò Beatissima Virgo ab omni peccato excipitur; & secundò, quod præter ipsam omnes alij, nemine excepto, includuntur sub regula Generali Sacræ Scripturæ.

36 Et quantùm ad primum, tota ratio, quarè B. Virgo habuit gratiam ad vincendum omni ex parte peccatum, hæc est, quia concipere, àc parere meruit Filium Dei, quem constat nullum habuisse peccatum. Hæc solummodò maternitatis dignitas trahit secum hoc priuilegium, & tantam gratiæ copiam, vt vinceret omne peccatum.

37 Quod clarius patet ex secundo, quod obseruādum notaui. Certum est, quod vsquè ad tempus Augustini fuerunt Sancti excellentissimæ sanctitatis, & in nouo, & veteri testamento; In veteri enim fuerunt Patriarchæ, & Prophètæ; & in nouo fuerunt Apostoli, qui, vt in prima propositione ostensum est, fuerunt supra alios omnes prædestinati. fuit etiā Ioannes Baptista, qui fuit in vtero sanctificatus. fuit & Ioseph, qui, vt ibi dictum est, electus fuit, vt seruiret in ordine hypostatico; & nihilominùs isti omnes includuntur sub illa regula generali: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi non seducimus; & veritatis in nobis non est.

38 Si

38 Si igitùr ista mulier vult excipi ab hac regula generali, necesse habet probare, quod ipsa non solùm sit supèr omnes Sanctos; sed etiam, quod habet priuilegium æquipollens priuilegio maternitatis; Nàm ex isto solummodò arguit Augustinus, quod Maria habuit gratiam ad vincendum omni ex parte peccatum. Et iam hæc mulier, imò potiùs diabolus, quem supponere debemus in hac muliere loquentem, vt viam sterneret huic propositioni de impeccabilitate, proposuit ipsam antè, & plusquàm omnes Dei electos; videbat enim, quod si æquipararetur Apostolis, vèl alijs primæ Sanctitatis notæ, non excluderetur à regula generali peccati; & ideò ipsam omnibus prætulit. Sed deceptus est; quia ab hac regula generali tantummodò excipitur Maria, proptèr priuilegium maternitatis, ex mente D. Augustini; & in illa prima propositione, se confitetur inferiorem Maria, dicendo: ECCETTO LA BEATA VERGINE. sed dubium est, an per hæc verba se confiteatur inferiorem; quia ista particula, licèt monstret, quod non fuit prædestinata antè, & plusquàm Virgo Maria; attamen non se declarat, si fuit prædestinata post, & minùs, quàm Virgo, an simùl, & æqualitèr cum ipsa. Huic etiam propositioni viam fecit per secundam, vbi asseruit de impossibilitate pereundi. Hùc collimant duæ propositiones sequentes, nempè sexta, & septima, vt suo loco videbimus; Et hùc etiam prospiciunt tertia, & quarta; & præcipuè tertia, vbi agit de sanctificatione in vtero.

39 In

39 In tertia enim propositione asserit se sanctificatam, POCO DOPPO L'ANIMATIONE, & vt ibi monstratum est, illa particula, POCO DOPPO, idem sonat, àc statim, confestim, incontinenti, post animationem. Ex qua locutione, in opinione illorum, qui asserebant Virginem non præseruatam, sed sanctificatam à peccato originali; in illa, dico, opinione, æqualẽ se asserit ipsimet Virgini Mariæ; Vt hinc eliceret etiam suam impeccabilitatem, quam hìc asserit. Sed decipitur diabolus hæc suadens; quia nèc per hanc præproperam sanctificationem in vtero, potest hæc mulier Virgini Mariæ æquiparari; deest namquè illi priuilegium maternitatis Dei. Et quis scit si diabolus hoc meditatur, vt per hanc mulierem nouam Dei Matrem, nouumquè Christum adorandum mundo proponat, sicùt alijs temporibus hoc tentauit, multosquè sua arte fefellit? Sic etiam hac nostra ætate, de eius versutia timere debemus.

40 Sed redeundo ad propositum dico cum eodem Augustino *tom. 7. lib. 5. contra Iulianum cap. 9.* & cũ Suarez 3. *par. disp.* 24. *sect.* 4. quod rectè infertur, quod qui caruit actuali culpa, caruit etiam originali. Sic enim scribit Augustinus *loco citato pag. 235. littera K.* (Nàm propterea nullus est hominum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu; quia nullus est hominum prætèr ipsum, scilicèt, Christum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu. Et paulò post. Veruntamen natura hominis Christi, no-

strae

stræ naturæ dissimilis non fuit, sed vitio nostro dissimilis fuit; ille quippè sinè vitio natus est, quod hominum nemo.) Et Gregorius Ariminensis *in 2. dist. 30. quæst. 2. art.* 1. Vt effugeret forsitàn hanc D. Augustini auctoritatem, ausus est dicere, quod Virgo interdùm venialitèr peccauit, ne ipsam fateretur immunem à peccato originali. Habent enim ista duo talem colligantiam inter se, ratione fomitis, & repugnantiæ appetitus, vt vnum trahat aliud. Sed ab Ecclesiæ positione, & Sacri Concilij Tridentini determinatione, iàm excepta est Beatissima Virgo ab omni culpa veniali. Vndè elicitur etiam, quod non habuit originale: At qui contraxit originale peccatum, non excluditur ab Augustino à venialibus. Et ideò, excepta Beatissima Virgine, omnes includit in illa regula generali: Si dixerimus, quia peccatum nō habemus, ipsi nos seducimus; Sed ista mulier, licèt dicat se sanctificatam in vtero, POCO DOPPO L'ANIMATIONE, non se dicit immunem ab originali; ergo nèc potest se asserere immunem à veniali. Et ratio est euidens, quia fomes ille originalis culpæ reddit defectibilem naturam, quæ indifferens ex se est ad peccandum, & non peccandum, qui defectus per gloriam, & gratiam ablatur, testante Apostolo *Rom. cap. 7. vers.* 23. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ; & captiuātem me in lege peccati, quæ est in menbris meis. Ergo cum hæc mulier sit adhùc in via, licèt sanctificata in vtero, vt de se ipsa, ipsamet asserit, non est impeccabi-

cabilis. Alitèr dicendum erit, quod ab originali culpa fuerit præseruata; Cum certum sit, quod cum Iustitia Originali non potest stare peccatum veniale. Vndè in statu Innocentiæ Adam non poterat peccare venialitèr (ipso tamen statu Innocentiæ durante,) quod probat Durandus *in 2. distinct.* 23. Quia ille non est Innocens, qui est reus pœnæ; sed peccans venialitèr, reus est pœnæ sensus, & damni (non tamen æternæ;) ergo non est innocens; Cum igitùr ista mulier impeccabilem se confiteatur venialitèr, & mortalitèr, sequitur quod est in statu innocentiæ, in quo originalis culpa nulla fuit; ergo sinè peccato originali concepta est. Ex alia verò parte, sāctificatā in vtero matris se asserit, POCO DOPPO L'ANIMATIONE, quæ sanctificatio supponit reitatem antecedentem in ipsa, quæ alia esse non poterit nisi peccatum originale; ergo contraxit peccatum originale; ergo in sua Propositione clara est contradictio, & implicantia, quæ à dæmone docente, & decipiente persæpè solet esse.

41 Præterea S. Bernardus *lib. de præcepto, & dispensatione, relatus à Suarez. 3. par. disput.* 24. *sect.* 4. absolutè asserit, esse impossibile cuiuis mortaliū, quin interdùm, saltèm venialitèr peccet. Et hoc Bernardi dictum verum est, catholicum, & conforme determinationibus factis in Concilio Mileuitano celebrato anno 415, in quo intèr alias determinationes posuit illas duas, supra allatas; prima super illa verba Ioannis: Si dixerimus, quia peccatum non habemus &c. Et se-

cunda

cunca super illa verba orationis Dominicæ: Dimitte nobis debita nostra; Et sùb anathematis pœna prohibuit, ne quis audeat asserere, quod illa verba dicuntur ob humilitatem, & non veracitèr. A qua quidem determinatione neminem excipit, sed omnes generalitèr includit; quod etiam confirmauit Sacrum Concilium Tridentinum *sess. 6. can.* 23. vbi solummodò excipitur Beatissima Virgo Maria, de qua sic tenet Ecclesia; quia fuit, & est Mater Dei; nàm respectu huius priuilegij maternitatis, excipit eam Augustinus ab omni peccato. Et si quis velit asserere, quod aliquis Sanctus totam vitam transegit absquè vllo peccato, etiam veniali, debet prò ipso probare, quod habuit priuilegium æquipollens priuilegio maternitatis. Alia namquè priuilegia, vsquè adhùc concessa, non sufficiunt.

42 Magna fuerunt priuilegia Apostolorum, & tamen, etiam postquàm fuerunt confirmati in gratia, àc Spiritu Sancto repleti, constat venialitèr delinquisse. Paulus enim *ad Galàtas cap.* 2. affirmat, Petrum repræhensibilem fuisse, vt ex Lyrano ad litteram. Magna fuerunt priuilegia Ioanni Baptistæ concessa, adhùc ab vtero matris; & licèt fuerit confirmatus in gratia, vt benè probat Suarez *disp.* 24. *sect.* 4. *cit.* Attamen ab Augustino, non eximitur à venialibus, saltèm ab illis, quæ ex subreptione contrahuntur. Nèc Concil. Mileuitanum ipsum Ioannem, aùt alium excipit; Nèc Cōcilium Tridentinum; solummodò excipitur à Tridentino Beatissima Virgo Maria; Sicut eam à venialibus

etiam excepit Concilium Claramontanum sub Vrbano II. vt refert Vega *lib.* 14. *in Trident. cap.* 18. De cœtero nullus alius habuit hoc priuilegium, vt non venialitèr peccaret. Vt tradunt Suarez *loco nuper citato.* Vasquez 3. *par. disp.* 120. *cap.* 4. Caspensis *tract. de gratia disput.* 1. *sect.* 12.

43 Si igitùr neque Apostoli, neque Ioannes Baptista, qui fuerunt tot priuilegijs decorati nõ eximuntur à venialibus, quomodò ista mulier audebit asserere, aùt quis eam credere poterit CH'E IMPECCABILE, SENZA MAI HAVER PECCATO MORTALMENTE, NE VENIALMENTE? Recitat ne ista mulier aliquandò orationem Dominicalem; & si recitat, quomodò intendit dicere illa verba: Dimitte nobis debita nostra; *Matt. cap.* 6. *vers.* 12. & illa: Et ne nos inducas in tentationem, ex humilitate, an ex veritate? si respondet, quod dicit ex veritate; ergo confitetur se habere debita, quæ vt ipsi dimittantur Dominum rogat. Cum certum sit, quod duplex est debitum, tàm in mortali, quàm in veniali peccato, pœnæ scilicèt, & culpæ, vtrumquè infinitum in peccato mortali, ob infiniti obiecti offensam, vt communitèr docent Theologi; non verò in veniali ob paruitatem materiæ; quæ Debita, tamquàm effectus à causa, scilicèt peccato, procedunt, quod veluti tria coessentialia secum ducit, maculã, iniuriã, & offensã, ex macula debitum culpæ, ex iniuria, & offensa, debitum pœnæ contrahitur. Vndè dicendo in Oratione Dominicali:

cali: Dimitte nobis debita nostra, peccatum nostrum; cui quo annexa est pœna, dimitti rogamus: Ergo ista mulier dicendo orationem dominicalem, timet ne à dæmone per tentationem subuertatur, & in peccatū cadat; & per consequens ipsamet confitetur, quod actualitèr habet peccata, saltèm venialia. Si autem respondet, quod prædicta verba dicit ex humilitate; loquitur contrà determinationem Sacri Concilij Mileuitani, à quo talis loquutio anathemate damnatur: Vèl ista mulier non recitat, quia est impeccabilis, & tùnc peccat, saltèm peccato omissionis, cum oratio Dominicalis omnium excellentissima sit, dicente Diuo Cypriano *serm. 6. de Oratione Dominicali pag. 230.* (Quæ enim potest magis spiritualis esse oratio, quàm quæ à Christo nobis data est, à quo Spiritus Sanctus missus est? quæ vera magis apud Patrem Precatio, quàm quæ à Filio, qui est Veritas, de eius ore prolata est? vt alitèr orare, quàm docuit non ignorantia sola sit, sed culpa.) Vndè sic arguo: vèl ista mulier recitat hanc orationem Dominicalem, vèl non; si dicit; ergo prò debito suo dimittendo, Deum exorat; si non; ergo in eodem instanti, quo se impeccabilem fatetur, culpabilem se reddit, & altèr Pharisæus sua Innocentia freta in maximum timeo sit illapsa superbiæ peccatum; cum certum sit, neminem mundum à forde; & de ipsa verificetur, quod de illo dixit Diuus Cyprianus citatus (Et cum sibi Pharisæus placeret sanctificari, hìc magis meruit) scilicèt Publicanus,) qui sic orauit, qui

spem

spem salutis, non in fiduciam Innocentiæ suæ posuit, cum Innocens nemo sit;sed peccata confessus,humilitèr orauit, & exaudiuit orantem, qui humilibus ignoscit) Timeo valdè ne ista mulier non credat Scripturis; nã dicendo se impeccabilẽ,de mendacio Deum, & de falsitate arguit dictum illud Ioannis in *epist.* 1. *cap.* 1. *ver.* 10. Si dixerimus quoniam non peccauimus; mẽdacem facimus eũ, scilicet Deum,& verbũ eius non est in nobis;quid impudentius?quid turpius ex hac Propositione mulieris exoritur? iàm vides Amice carissime,dicente Occumenio (Si impudentèr dicimus nos non peccasse,duplex operabimur malum, & nos ipsos ostendentes mendaces, & Deum, qui excedit omnem veritatem,de mendacio calumniantes)*cit. à Penferrad. tom.* 4. *in Euangelio lib.* 18. *cap.* 8. §. 19. *pag.* 595. Igitùr si tàm futilitèr, & mendacitèr videtur hæc mulier suam impeccabilitatẽ asserere, aucta talis Propositio,multũ dubito,ne à diabolo sit,de quo *Ioan.* 8. *ver.* 44. habetur: Cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur,quia mendax est, & pater eius,testante Diuo Leone *serm.* 18. *de passione* (Falsis opinionibus implicati (vt mihi videtur hæc mulier) tot species habent Diaboli,quot simulacra mẽdacij.) Oret igitùr,exortare, hæc mulier, carissime, & aures Diuo Cypriano præbeat, *supra cit. in illa verba Sanctificetur nomen tuũ:* dicente: (Opus est nobis quotidiana sanctificatione, vt qui quotidiè delinquimus, debita nostra,sanctificatione assidua repurgemus.

44 Et

44 Et si aliquis hanc mulierem defendens, dicat prò ea, quod illis verbis rogabat non pro se, sed prò Ecclesia; Sicùt etiam Beatissima Virgo illa verba non prò se, sed prò Ecclesia antè Deum supplicitèr exponebat.

45 Adhùc insto, quod hoc subterfugium nihil valet prò dicta muliere. Verum est enim; quod prædicta verba: Dimitte nobis debita nostra; & ne nos inducas in tentationem, dicebantur à Gloriosissima Virgine Maria prò Ecclesia; vt tradit Vasquez 3. *par. disp.* 120. *cap.* 4. *num.* 54. Et Suarez 3. *par. disp.* 4. *sect.* 4. vbi assignans rationem sui dicti, sic loquitur: (Dominabatur enim Beatissima Virgo suis omnibus actibus perfectissimè; & in omni opere suo perfectè cognoscebat, & considerabat quid secundùm rectam rationem fieri posset, & oporteret. Et ideò perspicuè, & clarè videbat, quale vnumquodq; opus suum existeret; nequè aliquid operata vnquàm est, quod non priùs certè existimaret Deo gratum, acceptumquè fore. Alioqui, si vèl inconsideratè, vèl cum aliqua practica dubitatione operaretur, non posset ab omni culpa, vèl imperfectione fomitis excusari. Dicendum est ergo, potuisse Virginem prò alijs, seù prò vniuersa Ecclesia illa verba proferre: Dimitte nobis debita nostra. &c.)

46 Et ex ista doctrina Suarez apparet, non solùm ratio, cur Beatissima Virgo illa verba prò Ecclesia dicebat, verùm etiam resultat ratio; cur nullus alius prætèr Virginem possit tali modo dicta verba proferre.

Ideò

Ideò enim Mater Dei prò Ecclesia illa verba dicebat; quia perfectissimè dominabatur omnibus suis actibus; quia perfectè cognoscebat, quid in omni opere suo fieri posset, & oporteret; quia perspicuè, & clarè videbat quale vnumquodquè opus suum existeret; quia nihil inconsideratè, aùt practica dubitatione operabatur. At nullus, prætèr Virginem, in terra existens habuit hoc priuilegium, vt dominaretur perfectè omnibus actibus suis; Vnusquisquè enim dicit cum Apostolo: Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. *Rom. cap. 7. ver.* 23. quòd si hæc dicebat Apostolus, qui erat confirmatus in gratia, quid de alijs dicendum? Nemo, prætèr Virginem, in hac vita existens perfectè cognoscit, quid in quolibet opere fieri possit, & magis expediat secundùm rectam rationem; Quia vt ait Sacer Textus: Inconstantia cōcupiscentiæ transuertit sensum sinè malitia. *Sap. cap.* 4. *ver.* 12. Nemo, prætèr Virginem, in hac vita existens, clarè, & perspicuè videt si opus, quòd agit bonū, denudatum sit ab omni imperfectione; ita vt sinè vlla practica dubitatione operetur. Occurrit namquè nobis Isaias dicens: Quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ *cap.* 64. *ver.* 6.

47. Cum igitùr nullus in hac vita habuerit illas perfectissimas prærogatiuas in operando, quas habuit Beatissima Virgo; nullus per consequens sibi potest promittere, si opus, quod agit, & ratio, quam fa-

cit sit Deo accepta. Nemo scit num prò suis, vel aliorum indigentijs debeat orare; Et per consequens nec ista mulier, de qua loquimur, potuit hoc scire. Nec dicatur, quod ipsa habuit supradictas illas prærogatiuas, quas habuit Beatissima Virgo; quia si habuisset, asseveret vtiquè. Sicùt enim non tacuit alia priuilegia, ita paritèr non reticuisset, & istud; At non dixit hoc sibi reuelatum fuisse; ergo nec nos debemus dicere, quod ipsa non dixit. Si enim non creditur ei in rebus, quas sibi asserit reuelatas, quomodò credi potest, quod habuerit id, de quo nihil enunciat?

48 Quandò enim alicui conceditur aliquod priuilegium, debet ei notificari, vt iuxtà illius facultatem possit operari. Sic enim fecit Deus cum Moyse: notificauit ei, quod constituit ipsum Deum Pharaonis, & Ducem Populi sui. Sic fecit cum Ioseph, cui per somnia reuelauit, quod ipse adoraretur à Fratribus. Sic fecit cum Ieremia, apertè enim ipsi reuelauit, quod ipsum sanctificauerat in vtero; Et ne sermonem vltrà protraham; Sic factum esse cum Apostolis affirmat Vasquez; (Quia cum essent cõfirmati in gratia, de hoc priuilegio confirmationis, reuelationem habuerunt, vt certissimè scirent, & crederent se numquàm gratiam amisuros; & iuxta acceptum donum operari possent.) Sic Vasquez *1. par. disp. 90. cap. 2. num. 7.* ex quo colligitur, quod si ista mulier habuisset supradictas prærogatiuas à Deo; vtiquè ab eodem, qui dedit, sibi reuelatæ fuissent, vt iuxta illas operaretur. Et si re-

cabilis. Alitèr dicendum erit, quod ab originali culpa fuerit præseruata; Cum certum sit, quod cum Iustitia Originali non potest stare peccatum veniale. Vndè in statu Innocentiæ Adam non poterat peccare venialitèr (ipso tamen statu Innocentiæ durante,) quod probat Durandus *in 2. distinct.* 23. Quia ille non est Innocens, qui est reus pœnæ; sed peccans venialitèr, reus est pœnæ sensus, & damni (non tamen æternæ;) ergo non est innocens; Cum igitùr ista mulier impeccabilem se confiteatur venialitèr, & mortalitèr, sequitur quod est in statu innocentiæ, in quo originalis culpa nulla fuit; ergo sinè peccato originali concepta est. Ex alia verò parte, sãctificatã in vtero matris se asserit, POCO DOPPO L'ANIMATIONE, quæ sanctificatio supponit reitatem antecedentem in ipsa, quæ alia esse non poterit nisi peccatum originale; ergo contraxit peccatum originale; ergo in sua Propositione clarà est contradictio, & implicantia, quæ à dæmone docente, & decipiente persæpè solet esse.

41 Præterea S. Bernardus *lib. de præcepto, & dispensatione, relatus à Suarez. 3. par. disput. 24. sect. 4.* absolutè asserit, esse impossibile cuiuis mortaliũ, quin interdùm, saltèm venialitèr peccet. Et hoc Bernardi dictum verum est, catholicum, & conforme determinationibus factis in Concilio Mileuitano celebrato anno 415, in quo intèr alias determinationes posuit illas duas, supra allatas; prima super illa verba Ioannis: Si dixerimus, quia peccatum non habemus &c. Et secunda

cunca super illa verba orationis Dominicæ: Dimitte nobis debita nostra; Et sùb anathematis pœna prohibuit,ne quis audeat asserere, quod illa verba dicuntur ob humilitatem, & non veracitèr. A qua quidem determinatione neminem excipit, sed omnes generalitèr includit;quod etiam confirmauit Sacrum Concilium Tridentinum *sess. 6. can.* 23. vbi solummodò excipitur Beatissima Virgo Maria, de qua sic tenet Ecclesia; quia fuit, & est Mater Dei; nàm respectu huius priuilegij maternitatis, excipit eam Augustinus ab omni peccato. Et si quis velit asserere, quod aliquis Sanctus totam vitam transegit absquè vllo peccato, etiam veniali,debet prò ipso probare,quod habuit priuilegium æquipollens priuilegio maternitatis. Alia namquè priuilegia, vsquè adhùc concessa,non sufficiunt.

42 Magna fuerunt priuilegia Apostolorum, & tamen,etiam postquàm fuerunt confirmati in gratia, àc Spiritu Sancto repleti, constat venialitèr delinquisse. Paulus enim *ad Galatas cap.* 2. affirmat, Petrum repræhensibilem fuisse, vt ex Lyrano ad litteram. Magna fuerunt priuilegia Ioanni Baptistæ concessa, adhùc ab vtero matris; & licèt fuerit confirmatus in gratia, vt benè probat Suarez *disp.* 24. *sect.* 4. *tit.* Attamen ab Augustino, non eximitur à venialibus, saltèm ab illis, quæ ex subreptione contrahuntur. Nèc Concil. Mileuitanum ipsum Ioannem, aùt alium excipit; Nèc Cōcilium Tridentinum; solummodò excipitur à Tridentino Beatissima Virgo Maria; Sicut eam à venialibus

 etiam

etiam excepit Concilium Claramontanum sub Vrbano II. vt refert Vega *lib.* 14. *in Trident. cap.* 18. De cœtero nullus alius habuit hoc priuilegium, vt non vehialitèr peccaret. Vt tradunt Suarez *loco nuper citato.* Vasquez 3. *par. disp.* 120. *cap.* 4. Caspensis *tract. de gratia disput.* 1. *sect.* 12.

43 Si igitùr neque Apostoli, neque Ioannes Baptista, qui fuerunt tot priuilegijs decorati nō eximuntur à venialibus, quomodò ista mulier audebit asserere, aùt quis eam credere poterit CH'E IMPECCABILE, SENZA MAI HAVER PECCATO MORTALMENTE, NE VENIALMENTE? Recitat ne ista mulier aliquandò orationem Dominicalem; & si recitat, quomodò intendit dicere illa verba: Dimitte nobis debita nostra; *Matt. cap.* 6. *vel* 12. & illa: Et ne nos inducas in tentationem, ex humilitate, an ex veritate? si respondet, quod dicit ex veritate; ergo confitetur se habere debita, quæ vt ipsi dimittantur Dominum rogat. Cum certum sit, quod duplex est debitum, tàm in mortali, quàm in veniali peccato, pœnæ scilicèt, & culpæ, vtrumque infinitum in peccato mortali, ob infiniti obiecti offensam, vt communitèr docent Theologi; non verò in veniali ob paruitatem materiæ; quæ Debita, tamquàm effectus à causa, scilicèt peccato, procedunt, quod veluti tria coessentialia secum ducit, maculā, iniuriā, & offensā, ex macula debitum culpæ, ex iniuria, & offensa, debitum pœnæ contrahitur. Vndè dicendo in Oratione Dominicali:

cali: Dimitte nobis debita nostra, peccatum nostrum, cuiusquo annexa est pœna, dimitti rogamus: Ergo ista mulier dicendo orationem dominicalem, timet ne à dæmone per tentationem subuertatur, & in peccatū cadat; & per consequens ipsamet confitetur, quod actualitèr habet peccata, saltèm venialia. Si autem respondet, quod prædicta verba dicit ex humilitate; loquitur contra determinationem Sacri Concilij Mileuitani, à quo talis loquutio anathemate damnatur. Vèl ista mulier non recitat, quia est impeccabilis, & tùnc peccat, saltèm peccato omissionis, cum oratio Dominicalis omnium excellentissima sit, dicente Diuo Cypriano *serm. 6. de Oratione Dominicali pag. 230.* (Quæ enim potest magis spiritualis esse oratio, quàm quæ à Christo nobis data est, à quo Spiritus Sanctus missus est? quæ vera magis apud Patrem Precatio, quàm quæ à Filio, qui est Veritas, de eius ore prolata est? vt alitèr orare, quàm docuit non ignorantia sola sit, sed culpa.) Vidè sic arguo: vèl ista mulier recitat hanc orationem Dominicalem, vèl non; si dicit; ergo prò debito suo dimittendo, Deum exorat; si non; ergo in eodem instanti, quo se impeccabilem fatetur, culpabilem se reddit, & altèr Pharisæus sua Innocentia freta in maximum timeo sit illapsa superbiæ peccatum; cum certum sit, neminem mundum à sorde; & de ipsa verificetur, quod de illo dixit Diuus Cyprianus citatus (Et cum sibi Pharisæus placeret sanctificari, hìc magis meruit) scilicèt Publicanus,) qui sic orauit, qui

spem

spem salutis, non in fiduciam Innocentiæ suæ posuit, cum Innocens nemo sit; sed peccata confessus, humilitèr orauit, & exaudiuit orantem, qui humilibus ignoscit) Timeo valdè ne ista mulier non credat Scripturis; nā dicendo se impeccabilē, de mendacio Deum, & de falsitate arguit dictum illud Ioannis in *epist.* 1. *cap.* 1. *ver.* 10. Si dixerimus quoniam non peccauimus; mēdacem facimus eū, scilicet Deum, & verbū eius non est in nobis; quid impudentius? quid turpius ex hac Propositione mulieris exoritur? iàm vides Amice carissime, dicente Oecumenio (Si impudentèr dicimus nos non peccasse, duplex operabimur malum, & nos ipsos ostendentes mendaces, & Deum, qui excedit omnem veritatem, de mendacio calumniantes) *cit. à Penferrad. tom.* 4. *in Euangelio lib.* 18. *cap.* 8. §. 19. *pag.* 595. Igitùr si tàm futilitèr, & mendacitèr videtur hæc mulier suam impeccabilitatē asserere, aucta talis Propositio, multū dubito, ne à diabolo sit, de quo *Ioan.* 8. *ver.* 44. habetur: Cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est, & pater eius, testante Diuo Leone *serm.* 18. *de passione* (Falsis opinionibus implicati (vt mihi videtur hæc mulier) tot species habent Diaboli, quot simulacra mēdacij.) Oret igitùr, exortare, hæc mulier, carissime, & aures Diuo Cypriano præbeat, *supra cit. in illa verba Sanctificetur nomen tuū:* dicente: (Opus est nobis quotidiana sanctificatione, vt qui quotidiè delinquimus, debita nostra, sanctificatione assidua repurgemus.

44 Et si aliquis hanc mulierem defendens, dicat prò ea, quod illis verbis rogabat non pro se, sed prò Ecclesia; Sicùt etiam Beatissima Virgo illa verba non prò se, sed prò Ecclesia antè Deum supplicitèr exponebat.

45 Adhùc insto, quod hoc subterfugium nihil valet prò dicta muliere. Verum est enim; quod prædicta verba: Dimitte nobis debita nostra; & ne nos inducas in tentationem, dicebantur à Gloriosissima Virgine Maria prò Ecclesia; vt tradit Vasquez 3. *par. disp.* 120. *cap.* 4. *num.* 54. Et Suarez 3. *par. disp.* 4. *sect.* 4. vbi assignans rationem sui dicti, sic loquitur: (Dominabatur enim Beatissima Virgo suis omnibus actibus perfectissimè; & in omni opere suo perfectè cognoscebat, & considerabat quid secundùm rectam rationem fieri posset, & oporteret. Et ideò perspicuè, & clarè videbat, quale vnumquodq; opus suum existeret; nequè aliquid operata vnquàm est, quod non priùs certè existimaret Deo gratum, acceptumquè fore. Alioqui, si vèl inconsideratè, vèl cum aliqua practica dubitatione operaretur, non posset ab omni culpa, vèl imperfectione fomitis excusari. Dicendum est ergo, potuisse Virginem prò alijs, seù prò vniuersa Ecclesia illa verba proferre: Dimitte nobis debita nostra. &c.)

46 Et ex ista doctrina Suarez apparet, non solùm ratio, cur Beatissima Virgo illa verba prò Ecclesia dicebat, verùm etiam resultat ratio; cur nullus alius prætèr Virginem possit tali modo dicta verba proferre.

Ideò

cit sit Deo accepta. Nemo scit num pro suis, vel aliorum indigentijs debeat orare; Et per consequens nec ista mulier, de qua loquimur, potuit hoc scire. Nec dicatur, quod ipsa habuit supradictas illas prærogatiuas, quas habuit Beatissima Virgo; quia si habuisset, assereret vtiquè. Sicùt enim non tacuit alia priuilegia, ità paritèr non reticuisset, & istud; At non dixit hoc sibi reuelatum fuisse; ergo nec nos debemus dicere, quod ipsa non dixit. Si enim non creditur ei in rebus, quas sibi asserit reuelatas, quomodò credi potest, quod habuerit id, de quo nihil enunciat?

48 Quandò enim alicui conceditur aliquod priuilegium, debet ei notificari, vt iuxtà illius facultatem possit operari. Sic enim fecit Deus cum Moyse: notificauit ei, quod constituit ipsum Deum Pharaonis, & Ducem Populi sui. Sic fecit cum Ioseph, cui per somnia reuelauit, quod ipse adoraretur à Fratribus. Sic fecit cum Ieremia, apertè enim ipsi reuelauit, quod ipsum sanctificauerat in vtero; Et ne sermonem vltrà protraham; Sic factum esse cum Apostolis affirmat Vasquez; (Quia cum essent cõfirmati in gratia, de hoc priuilegio confirmationis, reuelationem habuerunt, vt certissimè scirent, & crederent se numquàm gratiam amisuros; & iuxta acceptum donum operari possent.) Sic Vasquez *1. par. disp. 90. cap. 2. num. 7.* ex quo colligitur, quod si ista mulier habuisset supradictas prærogatiuas à Deo; vtiquè ab eodem, qui dedit, sibi reuelatæ fuissent, vt iuxta illas operaretur. Et si re-

uelatæ fuissent, vtiquè assereret; sed non asserit; ergo non sunt reuelatæ; & si non sunt reuelatæ; ergo nèc concessæ.

49 Remanet igitùr sùb regula generali Concilij Mileuitani, secundùm quam illa verba: Dimitte nobis debita nostra; & ne nos inducas in tentationem, non humilitatis gratia, sed veracitèr dicit, & orat, vt sibi dimittantur debita; & ne inducatur in tentationem; & per consequens non est impeccabilis, sed peccabilis; & habet, vèl habuit aliquid saltèm veniale, quod sibi postulat dimitti.

50 Sequitur modò tertia pars assertionis illis verbis: NE OMBRA DI PECCATO; quæ verba extẽdunt, & ampliant propositionem, vt non solùm contineatur, & restringatur intra limites ipsius peccati; sed extendatur àd omne id, quod potest quomodocúquè repræsentare peccatum. Et vt melius appareat pondus istius vltimæ particulæ.

51 Suppono, quod hæc dictio, seù hic terminus Vmbra, multiplicitèr accipi solet; sed in præsenti negotio, est quædam communis, sed figurata locutio desumpta metaphora ab Vmbra, quæ comitatur corpus. Sicùt enim vmbra sequitur, & repræsentat corpus; & tamen non est corpus; sic vmbra peccati, repræsentat peccatum, & tamen non est peccatum. Et in tali sensu vsus est tali modo loquendi Cicero prò Muren. vbi, Vmbram luxuriæ posuit, vt dicunt commentatores, prò luxuriæ tenuissimo signo, seù vestigio. Et in

tali

tali sensu non possunt intelligi verba prædicta NE OMBRA DI PECCATO. Nàm vbi apparet tenuissimum signum, seù vestigium, necesse est, quod præcesserit signaculum, seù pes relinquens illud signum, seù vestigium, etiam tenuissimum; At hæc mulier asserit, quod numquàm peccauit, nèc etiam venialitèr; ergo si nullum peccatum præcessit, nullum per consequens potest apparere peccati signum, seù vestigium, etiam tenuissimum. Vndè illa verba, NE OMBRA DI PECCATO, nihil adderent supra positam propositionem, & perperàm essent posita, quod non est dicendum in propositione tanti momenti, & quæ ex reuelatione supponitur.

52 Alio modo accipitur Vmbra, prout distinguitur à vestigio, & ab imagine; Nàm vt docet S. Bonauent. *in 1. senten. dist. 3. art. 2. in responsione ad vltimum*; Vmbra dicitur, quæ repræsentat in quadam elõgatione, & confusione; vestigium in quadam elongatione, sed distinctione; Imago verò in quadam propinquitate, & distinctione. Et D. Thomas explicans illa verba *ad Hebr. cap. 10. ver. 1.* Vmbra enim habẽs lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, Dicit, (quod ad bona Cœlestia Lex vetus se habuit sicùt vmbra ad corpus; sed noua lex se habet ad illa bona, sicut imago.) Et assignans S. Doctor differentiam inter vmbram, & imaginem adiungit: Vmbra autem, & imago quantùm ad hoc conueniunt, quod vtraquè repræsentat; sed Vmbra in communi, & quantùm ad

naturam speciei; imago verò in particulari, & quantùm ad naturam indiuidui, & in speciali. Sic etiam noua lex, quantùm ad bona futura, repræsentat expressius, quàm vetus. Primò, quia in verbis noui testamenti fit expressa mentio de bonis futuris, & promissio, non autem in veteri, sed tantùm de carnalibus &c.) Hæc D. Thomas *in epist. ad Hebreos cap.* 10. *lect.* 1.

53 Et si ista mulier loquitur in hoc sensu, vult dicere, quod in ipsa nihil est, quod possit repræsentare nèc à longè, nèc in confuso aliquod specimen peccati, nèc etiam in confuso, seù in genere. Ita namquè est in suis actionibus composita, ita in verbis moderata, ita in omnibus perfecta, vt nihil in ea appareat, nequè in verbis, nequè in operibus, de quo à longè, vèl in confuso possit suspicari, quod saltèm venialitèr deordinatum sit. Et si hoc ipsa dicere intendit, magnam superbiam ostendit. Fuit perfectissima Dei Genitrix Maria, & talitèr, quod de ipsa dixit S. Anselmus: (O Benedicta super mulieres, quæ Angelos vincis puritate, & Sanctos superas pietate.) Et *in libro de excellentia Virginis* dicit idem Ansel: (Decens erat, vt ea puritate, qua maior sùb Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret.) Et ita passim de ea loquuntur Sancti Patres. Et tanta puritate, àc sanctitate non obstante, Caluinus in sua harmonia circa *cap.* 11. *Lucæ*, Brentius, & alij apud Canisium *lib.* 1. *de Maria Deipara cap.* 10. ex illis paucissimis verbis, quæ in Euangelio à Beatissima Virgine prolata reperiuntur, desumunt argumentum, quod

in di-

in dictis verbis, non solùm venialitèr, sed etiam læthalitèr peccauerit; quod quidem ex communi consensu, & traditione Ecclesiæ, ex determinatione Concilij Claramontani sùb Vrbano II. celebrato, cui etiam ipsemet Pontifex præfuit; & etiam ex definitione Sacri Concilij Tridentini *sess. 6. can.* 23. Et ex communi Sanctorum Patrum consensu, falsissimum, & hæreticum esse demonstrat Vasquez *in 3. par. disp.* 120. Et Suarez *3. par. quæst.* 27. *art.* 3. *disp.* 4. *sect.* 4. Si igitùr ex paucissimis, & Sanctissimis Verbis Mariæ resultauit apùd hæreticos, non solùm Vmbra, sed etiam species peccati; quis tantum in suis verbis moderatum se poterit affirmare, vt alij ex dictis verbis, saltèm non desumant occasionem censuræ; Cum quidquid recipitur ad modum recipientis recipiatur?

54 Nèc dicatur, quod ista, quæ ab hæreticis fuit obseruata in Maria, fuit quædam vmbra peccati, sed falsò, & malignè ab eis trauisa eo modo, quo ipsi asserunt. Nàm hoc non euacuat difficultatem; quia Vmbra non debet esse verè id, quod repræsentat, sed sufficit, quod repræsentet id, quod ipsa verè non est; Sicùt Vmbra corporis in veritate non est corpus; & tamen in confuso, & à longè verè repræsentat corpus, quod ipsa non est. Sic Vmbra peccati non debet re vera esse peccatum; sed sufficit ad rationem Vmbræ peccati, quod represéntet illud, quod re vera non est.

55 Nèc obstat, quod ista Vmbra peccati fuerit obseruata in Beatissima Virgine ab hæreticis, qui non

desi-

desinunt falsò oblatrare contra ipsius purissimam, & immaculatissimam vitam; quia etiam nonnulli catholici sunt allucinati in verbis prolatis à Deipara Virgine. Et in illis verbis, quæ dixit ad Angelum: Quomodò fiet istud quoniam virum non cognosco? *Luca cap.* 1. *ver.* 34. quamdam hæsitationem de promissis, quæ ipsi fiebant ab Angelo, habuisse Mariam, innuunt Chrisostomus *hom.* 49. *in Gen.* Et Author libri quæstionum noui testamenti *quæst.* 54. qui liber est apud Augustinum *tom.* 4. Et D. Athanasius *in Euangelium sanctissimæ Deiparæ*; Et Origenes *hom.* 1. *in Gen. aliquantulùm antè finem*; Et Euthymius *in cap.* 1. *Lucæ*; Et Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi* 12. Quamuis hìc vltimus dicat, quod prædicta verba non hæsitantis, sed admirantis potiùs fuerunt: Obseruant itaquè isti omnes; quod in præallegatis verbis Beatissima Virgo hæsitauit, vèl saltē admirata est, vt dicit Cyrillus, de promissis, quæ ipsi à Deo per Angelum fiebant; & talis hæsitatio circa Dei promissa non potuit labe, saltem veniali carere. Vndè colligitur, quod hæc Vmbra peccati non solùm visa est ab hæreticis, qui toruis oculis aspiciunt Virginis sanctitatem; sed visa est etiam à viris catholicis, & sanctis, qui plena fide, àc perfectissima pietate sunt ipsam venerati.

56 Et licèt isti Sancti non explicent si Virgo dubitauerit de facto, vèl de modo, vt se explicat Euthymius; dicendum est tamen, quod hæsitatio Virginis fuit tantùm circa modum; scilicèt non hæsitabat Vir-

go,

go, quod fieri posset à Deo, quod ei per Angelum reuelabat; sed quærebat instrui de modo, quo ipsa concipere debebat, existens Virgo, & virginitatis voto Omnipotenti obstricta: Ita docet Bernardus *hom.* 4. *super Missus est*, vbi ait: (Non dubitat de facto, sed modum requirit, & ordinem. Nequè enim quærit an fiet istud? sed quomodo?) Hæc Bernardus. Idem docuit D. Ambrosius *lib.* 2. *de Patriarcha Abraham cap.* 8. Et *lib.* 1. *in Lucam capit. de Mariæ interrogatione, & Angeli responsione*. Et sic re vera in sensu catholico, & secundùm veritatem, & proprietatem verborum intelligenda sunt verba à Deipara ad Angelum dicta. Ex quo colligitur, quod nulla fuit hæsitatio culpabilis in dictis verbis; Et tamen Vmbram hæsitationis in ipsis respiciunt etiam catholici.

57 Si igitùr in verbis Mariæ, quæ omnes sanctitate, & puritate superat, apparet aliqua Vmbra hæsitationis culpabilis, saltèm venialitèr, licèt re vera non fuerit; Quomodo ista muliercula impudentèr de se audet asserere, quod nèc Vmbram peccati habuit?

58 Tertio modo vmbra accipitur proùt opponitur veritati. In quo sensu loquutus est Apostolus *ad Coloss. cap.* 2. *ver.* 17. Nemo vos iudicet in cibo, aùt in potu, aùt in parte diei festi, aùt Neomeniæ, aùt sabbathorum, quæ sunt Vmbra futurorum &c. In quibus verbis admonuit Paulus Colossenses, quod omnes illi ritus, àc cerimoniæ, quæ in lege veteri obseruari præcipiebantur in cibo, in potu, in obseruatione festorum,

& Neo-

& Neomeniæ, id est nonæ lunæ, & sabbathorum, iam expirauerant per aduentum nouæ legis; & ideò à nemine iudicari debebant, si ea non obseruabant. Et reddens quasi rationem, cur illa omnia posita, & præcepta fuerunt à Deo, si terminare debebant? adiunxit illa verba; quæ sunt Vmbra futurorum: Omnia enim, quæ in veteri Scriptura continentur, sunt Vmbra nouæ legis, iuxtà illud: Omnia in figuris contingebant illis 1. *Corint. cap.* 10. *ver.* 11. Et sicùt adueniente veritate, fugit Vmbra veritatis; vt canit Ecclesia: Vmbram fugat veritas; sic adueniente noua lege, quæ data est per Christum, disparuerunt omnia illa, quæ tamquàm Vmbra præcedebant veritatem legis. Sic prædicta Pauli verba ad Coloss. explicantur à D. Thoma *in cap.* 2. *ad Coloss. lect.* 4. dicens: (Nullus vos condemnet, quia hæc non obseruatis; Quia sunt Vmbræ futurorum, scilicèt Christi; Et ideò, adueniente veritate, debet cessare Vmbra.) Itaquè Vmbra accipitur prò omni eo, quod opponitur veritati, sed aliquo modo præcedit, & repræsentat veritatem, licèt cum ipsa stare non possit.

59 Et si in hoc tertio sensu loquitur prædicta mulier, vult dicere, quod in ipsa non reperitur aliquid, quod aliquo modo repræsentet peccatum, licèt re vera non sit peccatum. Id enim in hoc tertio sensu, sonant illa verba, NE OMBRA DI PECCATO; quod quàm sit falsum conuincitur ex eo, quod etiam Christus voluit hanc vmbram peccati assumere: Quid enim

osten-

ostendit mysterium Circumcisionis, nisi Vmbram peccati, quod reuera in ipso non fuit, nec poterat esse? Quid ostendunt illæ Iudeorum calumniosæ querelæ: Non est hic homo à Deo, qui Sabbatum non custodit, nisi quamdam Vmbram violationis Sabbati; quæ si non esset in persona Christi, qui finem imposuit Mosaicæ Legi, re vera esset transgressio. Si igitùr Saluator mundi, qui Deus est, & homo, voluit hanc vmbram peccati assumere, & portare, quomodò hæc mulier se prædicat exceptam, & alienam ab omni Vmbra peccati? Sed ad maiorem huius rei comprobationem sciendum est, Christum fuisse impeccabilem, vt benè probant Theologi, Magister sententiarum *in 3. dist.* 12. vbi D. Thomas *quæst.* 1. *art.* 2. D. Bonauentura, & Riccardus *art.* 2. *quæst.* 1. *&* 2. *Paludanus quæst.* 2. *Capreolus quæst.* 1. Almay *dist.* 1. *quæst.* 2. Dionysius Cisterciensis *in* 3. *quæst.* 3. *art.* 2. Hugo de Sancto Victore *lib.* 2. *da Sacramentis part.* 1. *cap.* 7. & quàm plures citati à Suarez *in* 3. *part. D. Thomæ tom.* 1. *quæst.* 15. *art.* 2. *disput.* 33. *sect.* 2. qui multis etiam auctoritatibus, & rationibus hoc probat, & præcipuè quia si Christus peccasset per humanitatē, Deus peccasset; implicat Deū posse peccare. ergo impossibile est, quod Christus possit peccare. omnes enī Theologi hoc firmitèr tenent; solummodò discutiunt, an hæc impeccabilitas fuerit ratione vnionis hypostaticæ, vt tenet Suarez, an verò ratione beatitudinis ipsius Animæ Christi, qua in instanti suæ Conceptionis fruebatur, quod vtiquè Scholis disputandum relinquo. hoc ta-

uelatæ fuissent, vtiquè assereret; sed non asserit; ergo non sunt reuelatæ; & si non sunt reuelatæ; ergo nèc concessæ.

49 Remanet igitùr sùb regula generali Concilij Mileuitani, secundùm quam illa verba: Dimitte nobis debita nostra; & ne nos inducas in tentationem, non humilitatis gratia, sed veracitèr dicit, & orat, vt sibi dimittantur debita; & ne inducatur in tentationem; & per consequens non est impeccabilis, sed peccabilis; & habet, vèl habuit aliquid saltèm veniale, quod sibi postulat dimitti.

50 Sequitur modò tertia pars assertionis illis verbis: NE OMBRA DI PECCATO; quæ verba extẽdunt, & ampliant propositionem, vt non solùm contineatur, & restringatur intra limites ipsius peccati; sed extendatur àd omne id, quod potest quomodocúquè repræsentare peccatum. Et vt melius appareat pondus istius vltimæ particulæ.

51 Suppono, quod hæc dictio, seù hic terminus Vmbra, multiplicitèr accipi solet; sed in præsenti negotio, est quædam communis, sed figurata locutio desumpta metaphora ab Vmbra, quæ comitatur corpus. Sicùt enim vmbra sequitur, & repræsentat corpus; & tamen non est corpus; sic vmbra peccati, repræsentat peccatum, & tamen non est peccatum. Et in tali sensu vsus est tali modo loquendi Cicero prò Muren. vbi, Vmbram luxuriæ posuit, vt dicunt commentatores, prò luxuriæ tenuissimo signo, seù vestigio. Et in

tali

tali sensu non possunt intelligi verba prædicta NE OMBRA DI PECCATO. Nàm vbi apparet tenuissimum signum, seù vestigium, necesse est, quod præcesserit signaculum, seù pes relinquens illud signum, seù vestigium, etiam tenuissimum; At hæc mulier asserit, quod numquàm peccauit, nèc etiam venialitèr; ergo si nullum peccatum præcessit, nullum per consequens potest apparere peccati signum, seù vestigium, etiam tenuissimum. Vndè illa verba, NE OMBRA DI PECCATO, nihil adderent supra positam propositionem, & perperàm essent posita, quod non est dicendum in propositione tanti momenti, & quæ ex reuelatione supponitur.

52 Alio modo accipitur Vmbra, prout distinguitur à vestigio, & ab imagine; Nàm vt docet S. Bonauent. *in 1. senten. dist. 3. art. 2. in responsione ad vltimum*; Vmbra dicitur, quæ repræsentat in quadam elõgatione, & confusione; vestigium in quadam elongatione, sed distinctione; Imago verò in quadam propinquitate, & distinctione. Et D. Thomas explicans illa verba *ad Hebr. cap. 10. ver. 1.* Vmbra enim habẽs lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, Dicit, (quod ad bona Cœlestia Lex vetus se habuit sicùt vmbra ad corpus; sed noua lex se habet ad illa bona, sicut imago.) Et assignans S. Doctor differentiam inter vmbram, & imaginem adiungit: Vmbra autem, & imago quantùm ad hoc conueniunt, quod vtraquè repræsentat; sed Vmbra in communi, & quantùm ad

naturam speciei; imago verò in particulari, & quantùm ad naturam indiuidui, & in speciali. Sic etiam noua lex, quantùm ad bona futura, repræsentat expressius, quàm vetus. Primò, quia in verbis noui testamenti fit expressa mentio de bonis futuris, & promissio; non autem in veteri, sed tantùm de carnalibus &c.) Hæc D. Thomas *in epist. ad Hebreos cap.* 10. *lect.* 1.

53 Et si ista mulier loquitur in hoc sensu, vult dicere, quod in ipsa nihil est, quod possit repræsentare nèc à longè, nèc in confuso aliquod specimen peccati, nèc etiam in confuso, seù in genere. Ita namquè est in suis actionibus composita, ita in verbis moderata, ita in omnibus perfecta, vt nihil in ea appareat, nequè in verbis, nequè in operibus, de quo à longè, vèl in confuso possit suspicari, quod saltèm venialitèr deordinatum sit. Et si hoc ipsa dicere intendit, magnam superbiam ostendit. Fuit perfectissima Dei Genitrix Maria, & talitèr, quod de ipsa dixit S. Anselmus: (O Benedicta super mulieres, quæ Angelos vincis puritate, & Sanctos superas pietate.) Et *in libro de excellentia Virginis* dicit idem Ansel: (Decens erat, vt ea puritate, qua maior sùb Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret.) Et ita passim de ea loquuntur Sancti Patres. Et tanta puritate, àc sanctitate non obstante, Caluinus in sua harmonia circa *cap.* 11. *Lucæ*; Brentius, & alij apud Canisium *lib.* 1. *de Maria Deipara cap.* 10. ex illis paucissimis verbis, quæ in Euangelio à Beatissima Virgine prolata reperiuntur, desumunt argumentum, quod in di-

in dictis verbis, non solùm venialitèr, sed etiam læthalitèr peccauerit; quod quidem ex communi consensu, & traditione Ecclesiæ, ex determinatione Concilij Claramontani sub Vrbano II. celebrato, cui etiam ipsemet Pontifex præfuit; & etiam ex definitione Sacri Concilij Tridentini *sess. 6. can.* 23. Et ex communi Sanctorum Patrum consensu, falsissimum, & hæreticum esse demonstrat Vasquez *in 3. par. disp.* 120. Et Suarez *3. par. quæst.* 27. *art.* 3. *disp.* 4. *sect.* 4. Si igitùr ex paucissimis, & Sanctissimis Verbis Mariæ resultauit apud hæreticos, non solùm Vmbra, sed etiam species peccati; quis tantum in suis verbis moderatum se poterit affirmare, vt alij ex dictis verbis, saltèm non desumant occasionem censuræ; Cum quidquid recipitur ad modum recipientis recipiatur?

54 Nèc dicatur, quod ista, quæ ab hæreticis fuit obseruata in Maria, fuit quædam vmbra peccati, sed falsò, & malignè ab eis trauisa eo modo, quo ipsi asserunt. Nàm hoc non euacuat difficultatem; quia Vmbra non debet esse verè id, quod repræsentat, sed sufficit, quod repræsentet id, quod ipsa verè non est; Sicùt Vmbra corporis in veritate non est corpus; & tamen in confuso, & à longè verè repræsentat corpus, quod ipsa non est. Sic Vmbra peccati non debet re vera esse peccatum; sed sufficit ad rationem Vmbræ peccati, quod representet illud, quod re vera non est.

55 Nèc obstat, quod ista Vmbra peccati fuerit obseruata in Beatissima Virgine ab hæreticis, qui non desi-

desinunt falsò oblatrare contra ipsius purissimam, & immaculatissimam vitam; quia etiam nonnulli catholici sunt allucinati in verbis prolatis à Deipara Virgine. Et in illis verbis, quæ dixit ad Angelum: Quomodò fiet istud quoniam virum non cognosco? *Lucæ cap.* 1. *ver.* 34. quamdam hæsitationem de promissis, quæ ipsi fiebant ab Angelo, habuisse Mariam, innuunt Chrisostomus *hom.* 49. *in Gen.* Et Author libri quæstionum noui testamenti *quæst.* 54. qui liber est apud Augustinum *tom.* 4. Et D. Athanasius *in Euangelium sanctissimæ Deiparæ*; Et Origenes *hom.* 1. *in Gen. aliquantulùm antè finem*; Et Euthymius *in cap.* 1. *Lucæ*; Et Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi* 12. Quamuis hìc vltimus dicat, quod prædicta verba non hæsitantis, sed admirantis potiùs fuerunt: Obseruant itaquè isti omnes; quod in præallegatis verbis Beatissima Virgo hæsitauit, vèl saltē admirata est, vt dicit Cyrillus, de promissis, quæ ipsi à Deo per Angelum fiebant; & talis hæsitatio circa Dei promissa non potuit labe, saltem veniali carere. Vndè colligitur, quod hæc Vmbra peccati non solùm visa est ab hæreticis, qui toruis oculis aspiciunt Virginis sanctitatem; sed visa est etiam à viris catholicis, & sanctis, qui plena fide, àc perfectissima pietate sunt ipsam venerati.

56 Et licèt isti Sancti non explicent si Virgo dubitauerit de facto, vèl de modo, vt se explicat Euthymius; dicendum est tamen, quod hæsitatio Virginis fuit tantùm circa modum; scilicèt non hæsitabat Vir-

go,

go, quod fieri posset à Deo, quod ei per Angelum reuelabat; sed quærebat instrui de modo, quo ipsa concipere debebat, existens Virgo, & virginitatis voto Omnipotenti obstricta: Ita docet Bernardus *hom.* 4. *super Missus est*, vbi ait: (Non dubitat de facto, sed modum requirit, & ordinem. Nequè enim quærit an fiet istud? sed quomodo?) Hæc Bernardus. Idem docuit D. Ambrosius *lib.* 2. *de Patriarcha Abraham cap.* 8. Et *lib.* 1. *in Lucam capit. de Mariæ interrogatione, & Angeli responsione.* Et sic re vera in sensu catholico, & secundùm veritatem, & proprietatem verborum intelligenda sunt verba à Deipara ad Angelum dicta. Ex quo colligitur, quod nulla fuit hæsitatio culpabilis in dictis verbis; Et tamen Vmbram hæsitationis in ipsis respiciunt etiam catholici.

57 Si igitùr in verbis Mariæ, quæ omnes sanctitate, & puritate superat, apparet aliqua Vmbra hæsitationis culpabilis, saltèm venialitèr, licèt re vera non fuerit; Quomodo ista muliercula impudentèr de se audet asserere, quod nèc Vmbram peccati habuit?

58 Tertio modo vmbra accipitur proùt opponitur veritati. In quo sensu loquutus est Apostolus *ad Coloss. cap.* 2. *ver.* 17. Nemo vos iudicet in cibo, aùt in potu, aùt in parte diei festi, aùt Neomeniæ, aùt sabbathorum, quæ sunt Vmbra futurorum &c. In quibus verbis admonuit Paulus Colossenses, quod omnes illi ritus, àc cerimoniæ, quæ in lege veteri obseruari præcipiebantur in cibo, in potu, in obseruatione festorum,

& Neo-

ostendit mysterium Circumcisionis, nisi Vmbram peccati, quod reuera in ipso non fuit, nec poterat esse? Quid ostendunt illæ Iudeorum calumniosæ querelæ: Non est hic homo à Deo, qui Sabbatum non custodit, nisi quamdam Vmbram violationis Sabbati; quæ si non esset in persona Christi, qui finem imposuit Mosaicæ Legi, re vera esset transgressio. Si igitur Saluator mundi, qui Deus est, & homo, voluit hanc vmbram peccati assumere, & portare, quomodò hæc mulier se prædicat exceptam, & alienam ab omni Vmbra peccati? Sed ad maiorem huius rei comprobationem sciendum est, Christum fuisse impeccabilem, vt benè probant Theologi, Magister sententiarum *in 3. dist.* 12. vbi D. Thomas *quæst.* 1. *art.* 2. D. Bonauentura, & Riccardus *art.* 2. *quæst.* 1. *&* 2. *Paludanus quæst.* 2. *Capreolus quæst.* 1. Almay *dist.* 1. *quæst.* 2. Dionysius Cistercienfis *in* 3. *quæst.* 3. *art.* 2. Hugo de Sancto Victore *lib.* 2. *da Sacramentis part.* 1. *cap.* 7. & quam plures citati à Suarez *in* 3. *part. D. Thomæ tom.* 1. *quæst.* 15. *art.* 2. *disput.* 33. *sect.* 2. qui multis etiam auctoritatibus, & rationibus hoc probat, & præcipuè quia si Christus peccasset per humanitatẽ, Deus peccasset; implicat Deũ posse peccare. ergo impossibile est, quod Christus possit peccare. omnes enĩ Theologi hoc firmitèr tenent; solummodò discutiunt, an hæc impeccabilitas fuerit ratione vnionis hypostaticæ, vt tenet Suarez, an verò ratione beatitudinis ipsius Animæ Christi, qua in instanti suæ Conceptionis fruebatur, quod vtiquè Scholis disputandum relinquo. hoc ta-

men non obstante, ait Durandus, quod si Christus assumpsisset naturam humanam in puris naturalibus, potuisset peccare, quod sic probat:(Potentia, quæ non est alia perfectior in ratione actus primi, seù in essendo, non est eadem perfectior in ratione actus secundi, seù in operando; Sed, stante supradicta suppositione, nulla maior perfectio esset in humana natura in ratione actus primi, quàm si esset sibi derelicta; ergo nulla maior perfectio esset respectu actus secundi, seù in operando; sed constat, quod natura humana sibi derelicta potest peccare; ergo, sic assumpta, peccare poterit. Maior patet, quia actus secundus supponit primum, & agere sopponit esse; & minor constat ex suppositione.) sic probat Durandus suum assertum; licèt subiungat, quod huic opinioni magis obsistunt verba deuota, quàm ratio efficax. Et Scotus clarius hoc confirmat *in 3. dist. 12. quæst. vnica*, qui sic ait. (Aduerte etiam, quod Christus potest peccare potentia remota, non tamen propinqua, & intelligo sic, quod ex quo Christus secundùm naturam humanam habuit vsum liberi arbitrij, secundùm ipsum absolutè sumptum, habuit potentiam peccandi, sicùt & alij homines. Accipiendo verò liberum arbitrium, vt perfectè vnitum fini per actum beatificum, nullo modo potest peccare, nèc in potentia remota, nèc in propinqua, stante scilièt tali beatitudine.) Hæc Scotus: Si igitùr ponitur aliqua potentia remota peccandi in Christo, modo explicato; quomodò hæc mulier, non tantùm impeccabilem, sed

nèc

nèc vmbram peccati habere dixerit? erit ne forsitàn maior Christo, quo posterior se declarat in alijs propositionibus? certè ex hac sua propositione hoc deducitur clarè; vndè cognosci etiã poterit huius propositionis contradictio. Et quomodò ista Mulier peccati vmbram in se ipsa negauerit, si Christus, præter dicta superiùs, hanc habuisse patet; ait enim D. Paulus *cap. 3. ad Galat. ver. 13.* Christus nos redemit de maledicto legis, factus prò nobis maledictum; quia scriptum est, maledictus omnis, qui pendet in ligno. Quod non dicit Apostolus, vt aliqui in Scripturis minùs versati falsò autumant, de Iuda proditore, qui suspensus, & non fixus in Cruce crepuit medius, sed de Christo, ad denotandam figuram, seù vmbram peccati, quam in se habebat, quod perbellè insinuat Augustinus. (Quid autem pependit in ligno, nisi peccatum veteris hominis, quod Dominus prò nobis in ipsa carnis mortalitate suscepit. Vndè nèc erubuit, nèc timuit Apostolus dicere peccatum eum fecisse prò nobis, vt de peccato condemnaret peccatum. Non enim, & vetus homo noster simùl crucifigeretur, sicùt Apostolus alibi dicit; Nisi in illa morte Domini peccati nostri figura penderet, vt euacuaretur corpus peccati, vt vltrà non seruiamus peccato.) Hæc Augustinus *tom. 4. lib. vnico in expositione Epist. ad Galat. pag. 290.* Cum igitùr Vmbra sit similitudo obscura, & confusa rei, cuius est Vmbra, & videatur represẽtare illud, cuius est vmbra, licèt non representet, sic cum Christus peccata nostra

susceperit, licèt impeccabilis, videbatur tamen repre-sentare, quod non erat, per vmbram peccati; idest videbatur peccator, qui numquam peccatum fecit; ergo habuit Vmbram peccati. Quod etiam patet per suam mortalitatem, quæ in omnibus est peccati pœna, quã subijt, vt verus homo; & vt ex Adam successione videretur, & prò hominibus moriretur; & licèt ei non debebatur mors ob impeccabilitatẽ; tamẽ mori voluit quia peccata nostra ipse tulit, figurã seù vmbram peccatoris gerens, quod annuit D. Augustinus, (ex ipsa successione mortalitatem gestauit, de Virgine Maria mortalitèr natus; habens carnem non peccatricem, sed tamen similitudinem gerentem peccati, quia mori poterat, & mors de peccato est.) S. Augustinus *tom. 6. contra Adimantium.* Cuius Vmbræ peccati in Christo, figuram habemus in illo Æneo Serpente exaltato in Eremo à Moyse, qui carens veneno, venenosus videbatur, de quo Ioan. *cap. 3. ver.* 14. Sicut exaltauit Moyses Serpentem in Eremo, ; ita & exaltari oportet Filium hominis, scilicèt Christum, ait ex mente Theophilati, Cornelius à Lapide *in Epist. ad Rom. cap.* 18. *pag.* 106. (Vndè & per Æneum serpentem à Moyse erectum, præsignatus est Christus, vtpotè cum videretur habere venenum peccati, re vera tamen non haberet.) igitùr si Christus, licèt impeccabilis tamẽ Vmbram peccati habuit in se; Quomodò ista mulier audebit de se dicere, nèc Vmbram habuisse peccati? Certè eius superbia in hoc detegitur, dùm non tantùm se

com-

comparat Christo, sed eum præcellit in hoc, quod ipse Vmbram peccati habuit, ipsa verò ipsius vmbra caruit, vt ex supradictis patet. Hortare quæso eam, ò Theophile Augustini verbis, vt resipiscat; (Quid ergo, quoniam Dominus factus est Infirmus propter te? O Homo, qui audis, non tibi compares Deum. Etenim creatura es, ille Creator tuus; Nèc illum hominem tibi conferas, quia propter te Homo Deus tuus. Et Verbum Filius Dei: Sed illum hominem tibi præferas, tamquàm mediatorem, Deum autem supra omnem Creaturam.) D. Augustinus *tom.* 8. *in Psal.* 29. *pag.* 33. *litt. B.* & hac humilitate, sua commissa defleat peccata, & peccatricem se asserendo non vmbram negando peccati vt ei parcat benignè Deus, exoret.

60 Præterea si ipsa fomitem peccati gerit, quomodò ab Vmbra peccati potest esse libera; cum ipse fomes, etiam nobis nolentibus, & inaduertenter nos ad inordinata perducat? In ipsa enim fomes non fuit extinctus, nèc etiam fuit ligatus; Nàm de hoc mentionem non facit in suis assertionibus; si enim hoc donum extinctionis, aut ligationis fomitis habuisset, vtiquè assereret. Et quomodò cum fomite soluto potest stare tanta puritas, vt in ea nèc Vmbra appareat peccati, saltèm venialis?

61 Et si ex D. Augustini sententia, vt supra dictū est, vbi est peccatum originale, reperitur per consequens culpa actualis, saltèm venialis; quomodò ista

mulier,

mulier, quæ se confitetur in peccato conceptam, licèt se supponat immediatè, vèl statim, & incontinenti sãctificatam, vt in discussione tertiæ propositionis visum est, quomodò, dico, adeò puram, & immaculatam se iactat, vt nèc Vmbram quidèm peccati habere se asserat, atquè proclamet?

62 Falsa igitùr, & mendax est hæc vltima particula; & per consequens tota propositio est suspecta de falso, quia vt supra diximus, sicut instrumentum in parte falsum redditur suspectum quoad omnes eius partes *l. in fine ff. de fide instrumentorum*. Et testis in vno articulo falsus redditur suspectus quoad alios *C. pura 3. quæst. 4.* Ita propositio in vna parte falsa, tota de falso redditur suspecta. Vndè, vt ab auctore omnis mendacij inspiratam non solùm esse credendam, verùm etiam respuendam, & detestandam esse censeo.

63 Et quis in virtutum exercitio mediocritèr versatus, quis in Sacris Litteris medioximus instructus, quis prudens, quis sanæ mentis credet, aùt approbare poterit propositionem adeò hyperbolicam, quod in hac terra maledictionibus plena, vitiorumquè spinis referta, viuat aliqua creatura tanta puritate insignita, quod superet etiam ipsius Cœli munditiem? Ecce enim, ait S. Iob, ecce enim inter Sanctos eius nemo immutabilis, & Cœli non sunt mundi in conspectu eius *cap. 14. vers. 15.* Et solùm ista mulier munda est, & talitèr, vt nèc Vmbra quidem maculæ leuissimæ in ipsa sit. Itaquè tres sunt, qui in præsenti vita

omni

omni macula caruerunt. Primus omnium est Verbum humanatum, in quo vi vnionis hypostaticæ, & visionis beatificæ nulla macula cadere poterat. Secunda est Beatissima Virgo, in qua ex vi maternitatis Dei tanta gratia fuit, vt vinceret omni ex parte peccatum. Tertia est mulier de qua loquimur; Hæc solummodò asserit de se, CHE È IMPECCABILE, SENZA MAI HAVER PECCATO MORTALMENTE, NE VENIALMENTE; & quid amplius? NE OMBRA DI PECCATO; & in hac vltima particula præfert se, & Deiparæ, & Filio Dei. Hic enim nullum potuit habere peccatum; nihilominus peccati vmbram assumere voluit. Beatissima Virgo, licèt ex consequenti nullum potuerit habere peccatum; attamen peccati Vmbram perpessa est, vt supradixi: & hæc mulier supra Dei Matrem, & Dei Filium se extollens, nèc Vmbram peccati se habere asserit, quid amentius?

64 In tertio quoquè signo deficit hæc propositio; deest namquè ipsi puritas, & integritas veritatis, quia non solùm inuerisimilia inuoluit; sed apertè continet falsitatem; cum etiam à se excludat omnem peccati Vmbram, quod omninò falsum censeri debet. Et quãdò reuelatio admixtam habet falsitatem, non à Deo, qui est ipsamet veritas; sed à dæmone, qui est pater mendacij, inspirata censetur, vt probatum est in principio cum Turrecremata, & alijs.

65 Deficit etiam in quarto signo; quia non solùm non est conformis Sacris Scripturis, & Sanctorum Patrum

trum

Hecyra: loquens de mulieribus dixit: (In eodem omnes mihi videtur ludo doctæ ad malitiam.) Et Menãder, vt alios omittam, breuitèr perstrinxit omnia dicens: (Ignis, & mare, & fœmina sunt tria mala; Vbicumquè mulieres sunt, ibi mala sunt omnia &c.) Et cum sexus tàm fragilis, tamquè ad mala sit naturalitèr propensus potest quis verisimile existimare, quod in hac muliere non adsit nequè vmbra alicuius culpæ, saltèm venialis? In sexu tàm facili decipi, poterit quis non suspicari diaboli deceptionem? In sexu tàm propenso ad mentiendum, poterit quis non suspicari mendacium, maximè in assertis tàm inuerisimilibus?

67 Et si finalitèr considerare velimus finem ad quem tendunt, vèl tendere possunt huius mulieris reuelationes, nullus adhùc apparet; Et maximè in hac reuelatione, ex qua potius elationis, & superbiæ, quàm humilitatis, & demissionis occasionem desumere potest.

68 Pondus igitùr pendet ab eius diuisione. In tres namquè partes eam in principio partiti sumus; & quoàd primam partem si ipsa loquitur iuxtà sensum Iouiniani, Pelagij, àc Lutheri, vt hæretica est iam anathematizata à Sacris Concilijs, & Sanctis Patribus, per Scripturarum, & Sacrorum Canonum auctoritatem. Si autem in alio sensu loquitur, explicet, & doceat quomodò ipsa intelligit illam propositionem, E IMPECCABILE.

69 Quoad secundam partem in qua asserit SEN-

ZA MAI HAVER PECCATO MORTALMENTE, NE VENIALMENTE. Antequàm ad huius partis ponderationem ingrediar, referam illud Augustini *in lib. de Spiritu, & littera in fine cap. 2.* vbi ait; (Quod si quis demonstrauerit aliquem, vel aliquos sine vllo hic vixisse peccato, qui non ei, non solùm minimè aduersatus; verùm etiam plurimum gratulatus fuerit, non mediocribus inuidentiæ stimulis agitatur &c.) Nè igitur quis existimet aliquo me inuidiæ stimulo procedere, antè omnia maximopere gratulor huic mulieri, quod ad tantam puritatem euecta est, quod nèc etiam venialitèr peccauerit vnquàm; & cũ hac gratulationis protestatione dico, verum esse, quod D. Augustinus tangens hoc particulare *in epist. 95.* & est illa, quam cum alijs quatuor Episcopis Africanis scripsit ad Innocentium Primum, dicit: (Sed quoquomodo se habeat ista quæstio, quia & si non inuenitur homo in hac vita sinè peccato, id tamen dicitur posse fieri per adiutorium gratiæ, & Spiritus Dei: quod vt fiat conandum, atquè poscendum est, tolerabilitèr in id quisquè fallitur: nèc diabolica impietas, sed error humanus est, elaboranda, & optanda affirmare, etiam si quod affirmat non possit ostendere. Id enim credit fieri posse, quod certè laudabile est velle. Nobis autem sufficit, quod nullus in Ecclesia Dei fidelium reperitur in quolibet profectu, excellentia, atquè iustitia, qui sibi audeat dicere non necessariã precationem orationis Dominicæ: Dimitte nobis debita nostra, & dicat

se non habere peccatum, ne seipsum decipiat; & veritas in eo non sit, quamuis iam sinè querela viuat. Nō enim qualecumquè etiam tentationis humanæ; sed graue peccatum est, quod in querelam venit.) Quæ quidem Augustini verba à pluribus referuntur, & intelliguntur de peccatis venialibus. Attamen si benè attendantur S. Doctoris verba, ipse loquitur cum distinctione, & si excipit à diabolica impietate eum, qui asserit cum auxilio gratiæ Dei posse viuere absquè mortali peccato, cum id asserat, quod laudabile est velle; Attamen non eximit à tali impietate, & ab errore intolerabili eum, qui vniuersalitèr loquitur de omni peccato, & mortali, & veniali. Quod declarat illis verbis: (Nobis autem sufficit, quod nullus in Ecclesia Dei reperitur in quolibet profectu, excellentia, atquè iustitia, qui sibi audeat dicere non necessariam precationem orationis Dominicæ: Dimitte nobis debita nostra, & dicat se non habere peccatum, ne se ipsum decipiat &c) & vult dicere Augustinus ad seruandā illæsam Sacræ Scripturæ veritatem, tam circa verba orationis Dominicæ; & dimitte nobis debita nostra, quàm etiam circa verba Ioannis: Si dixerimus, quia peccatum non habemus ipsi nos seducimus &c. Ad obseruandam, inquam, veritatem istarum, & similium Scripturarum sufficit nobis, quod nullus in Ecclesia Dei reperitur in quolibet profectu, excellentia, atquè iustitia, qui sibi audeat dicere non necessariam precationem orationis Dominicæ &c. Concedit Augusti-

gustinus, quod non est error intolerabilis, seù diabolicus dicere, quod potest hæc vita cum auxilio gratiæ Dei transigi sinè omni peccato mortali. Sed non concedit de venialibus, in quibus verificatur semper auctoritas Sacræ Scripturæ in quocumque gradu, & in quacunquè excellentia sanctitatis; excepta Beatissima Virgine, ratione maternitatis.

70 Et confirmatur quod talis sit sensus Augustini; quia ipse in suprapositis verbis respondet ad argumentum, quod desumpsit Pelagius ab auctoritate *Lucæ cap. 1. ver. 6.* De Zacharia, & Elisabet, de quibus dicitur, quod erant iusti, & sinè querela. Auctoritati respondet Sanctus: (Non enim qualecumquè etiā tentationis humanæ, sed graue peccatum est, quod in querelam venit.) In qua conclusione clarissimè apparet, quod si ipse excipit Zachariam, & Helisabeth ab omni mortali, non eos eximit à qualicumquè etiam tentationis humanæ, vt sunt venialia, quæ nobis ob fomitem per surreptionem occurrunt.

71 Et iterùm confirmatur, quia idem Augustinus in pluribus locis hanc regulam generalem firmam tenet: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus; & veritas in nobis non est. *Sic lib. 5. contra Iulianum cap. 9.* vbi existimat, quod nullus, in originali peccato conceptus, potest vitare venialia. In *libro de bono perseuerantiæ cap. 2.* vbi inter tria dogmata, quæ Ecclesia aduersus Pelagianos defendit, posuit hoc; (Vnum est, in quantacumquè iustitia, sinè quali-

libuscumquè peccatis in hoc corruptibili corpore, neminem viuere.) In quam sententiam refert Cyprianum in expositione orationis Dominicalis. Et *libro de natura, & gratia cap. 36.* clarissimis verbis, vt supra dictum est, includit omnes in regula generali; Et solummodò ab hac regula excipit Matrem Dei, ratione maternitatis. Si alius est, qui habeat hoc priuilegium, vèl æquale; ostendat, & doceat; & transibit sinè temeritatis censura, quam ei Vasquez imponit.

72 Dici etiam potest, quod hoc assertum potest fieri in persona propria, vèl in aliena. Si fit in persona aliena, vt si quis E. G. ad amplificandam alicuius Sancti perfectionem, asserat de illo, quod nullum peccatum, nèc veniale commisit; esset hic error tolerabilis, & humanus, dicit Augustinus; quia non ad impugnandam Sacram Scripturam hoc dicit, sed ad exaltandam Dei gratiā in illo Sancto, quem laudat, & ex deuotione, & beneuolentia erga ipsum loquitur. Et vt dicit August. *lib. de Spiritu, & litt. in fine epist. 2. tom. 3.* (In hoc Non multum erratur, nèc perniciosè, cum quadam quisquè beneuolentia fallatur.) At si assertum fiat in persona propria, debet declarare in quo sensu loquitur; si enim hoc dicit se habere ex proprijs viribus, & sinè speciali Dei priuilegio, acerrimè, àc vehementissimè est ei resistendum, ait *August. cap. 2. cit*; quia sentit cum Pelagio. Si autem dicit hoc se habere ex Dei speciali priuilegio, Non negat Augustinus, quod possit fieri; sed pluriès replicat *in cap. 1. & 2. di-*

2. *dicti lib. de spiritu, & litt.* quod, excepto Christo, qui solus est Deus, & homo, Nemo est, aut fuit, aut erit, qui ad hanc puritatis perfectionem ascenderit, quæ nulla, nèc etiam venialis peccati labe maculetur. Itaquè Augustinus de facto hoc priuilegium nulli concedit, nèc in præterito, nèc in præsenti, nèc in futuro; sed concedit solummodò de possibili, quod etiam concedit Sacrum Concilium Tridentinum ex speciali priuilegio *sess. 6. can. 23*. Et si hæc mulier asserit hoc possibile esse reductum ad actum in sua persona, fallitur quadam beneuolentia erga seipsam; & cum temeritate loquitur, vt Vasquez supracitatus docet. Sic circa hanc quintam reuelationem, ò amice charissime, saluo meliori iudicio, discurrendum existimo.



Excu-

Excutitur Spica sextæ Reuelationis, eiusquè Propositio discutitur.

DISCVSSIO SEXTA.

1 PRopositio sexta continetur his verbis. LA SVA GRATIA CONFERITALE E TANTA, CHE DOPPO LA VERGINE, NE HA HAVVTA PIV DI TVTTE LE PERSONE, CHE SONO STATE, E SARANNO. Miro ordine, vt aliàs dixi, concinnatæ sunt præsentes reuelationes, nèc ab humano spiritu, qui ad omnia aduertere primo prospectu non potest, sunt dispositæ, sed vèl à Deo, vèl à Dæmone ita sunt ordinatæ, vt singulæ, mira quadam connexione ad aliquid prægrande, àc portentosum, licèt adhùc nobis ignotum, collimentVna alteri viam sternit, & vna alterã adiuuat: Prima siquidem adiuuat secundam, cum secunda cõnectitur quinta; hæc sextam, & septimam trahit, & omnes in vno culmo terminant spicæ, sed tali velamine contectæ, vt difficillimum sit dignoscere technis ne diabolicis, an Diuina dispositione procedant? frumentum ne Phariseorum, à quo, iuxtà Saluatoris documentum, cauendum est, contineant, an granis veræ Doctrinæ sint plenæ?

2 En quàm plenam, quàm tumentem, quamquè turgidam se contemplandam omnium oculis proponit.

nit. LA SVA GRATIA CONFERITALE, E TANTA, CHE DOPPO LA VERGINE NE HA HAVVTA PIV DI TVTTE LE PERSONE, CHE SONO STATE, E SARANNO. Verè huic reuelationi conuenit illud in ſpicarum Emblemate poſitum: PENDENT ONVSTAE. Sicut enim ſpicæ quò pleniores eò propenſiores; ſic etiam iſta reuelatio tot gratiarum plenitudine onuſta, vbertate chariſmatum ad omnes ſe inclinat, non ſinè omnium extatico ſtupore proſpiciendam.

3 Et vt verum fatear, non ſinè admiratione eam contemplor, & quò magis eam contemplor, eò magis dubitatio creſcit, an vera plenitudo ſit, an tumor quidam inanis eam adeò turgidam, & inflatam oſtentet. Si quidem cum hæc ſexta propoſitio cõnexionem habeat cum prima, in qua ſe aſſerit prædeſtinatam AVANTI, E PIV DI TVTTI GL'ELETTI; timeo quod ad caſum illius, corruet etiam & iſta. Si enim eius prædeſtinatio, quæ eſt ad gratiam, & ad gloriam in prima propoſitione non ſubſiſtit cum ea excellentia, àc prærogatiua, quam ipſa aſſerit; (falſum eſt enim, vt ibi probatum eſt, quod ipſa ſit prædeſtinata antè omnes electos, maximè antè, & pluſquàm omnes Apoſtolos, antè, & pluſquàm Ioannem Baptiſtam, & Ioſephum Matris Virginis Sponſum) ſequitur, quod ſicùt eſt falſum aſſertum de prædeſtinatione, ad tàm magnum gratiæ cumulum, ita etiam ſit falſum aſſertum de collatione tantæ gratiæ, quæ ſuperet omnes

electos,

electos, & Apostolos, & Ioannem Baptistam, & Iosephum, & omnes alios, qui fuerunt, atquè futuri sunt electi: Et omnes Sacræ Scripturæ Auctoritates, Sanctorum Patrum sententiæ; Sacrorum Canonum Sanctiones, rationes, & congruentiæ ibi allatæ faciunt etiam ad demonstrandum, nùm hæc sexta reuelatio vera sit, an non (Ibi enim agebatur de prædestinatione, & hìc agitur de talis prædestinationis executione.) Et cum actus prædestinationis vnus, & idem sit, & indiuisus, talis esse debet in præparatione, qualis & in exequutione; & talis in exequutione, qualis & in præparatione; Sed quoad præparationem non subsistit cum illis circumstantijs, quas ista mulier attulit in prima assertione; ergò nèc potest cum eisdem circumstātijs subsistere quoàd exequutionem.

4 Valeant igitùr ad dignoscendam præsentis propositionis veritatem omnia illa, quæ ad dignoscendā veritatem primæ allata sunt, & ad ipsa Lectorem remitto; ne eadem pluries repetam; & ne hanc sextam reuelationem perstricto calle, & sicco pede pertransean; non nulla ad maiorem veritatis firmitatem hìc adijciam. Et quia erubesco in hac materia absquè scripturaram testimonio loqui; Redeo ad illos electos, de quibus clarè Sacra pagina testatur.

5 Apostoli, vt in discussione primæ reuelationis probatum est, omnibus alijs præferuntur, & temeritas est, ne dicam error, vt verbis vtar Angelici ibi allegatis, aliquem Sanctum illis anteponere in gra-

tia,& gloria,cũ ipsi Spiritus Sãcti primitias acceperint.

6 Nèc immeritò Spiritus Sancti primitias, & copiosiorem gratiæ largitatẽ acceperunt illi, qui totius Populi Christiani Patres fuerunt; Iuxtà D. Pauli doctrinam: Nàm in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui. 1. *Corint.* *cap.* 4. *ver.* 15. Quem sensum sequutus Vrbanus II. relatus *in C. quorum vices dist.* 68. dixit:-(Pro Patribus tuis nati sunt tibi Filij. Quid est prò Patribus tuis nati sunt tibi Filij? Patres missi sunt Apostoli, prò Apostolis Filij nati sunt tibi &c.) Idem docet D. Augustinus *in Psal.* 144. idem etiam D. Hieronimus in eundem *Psal.* 144. docuit, dicens: (Fuerunt, ò Ecclesia, Apostoli Patres tui, quia ipsi te genuerunt.) & confirmatur à Chrisostomo in *expositione prædicti Psalmi.* Prò Patribus tuis nati sunt tibi Filij &c. (Mihi autem, ait D. Chrisostomus, videtur dicere Apostolos, qui fuerunt in ea Doctores. Deindè describens eorum vires, potentiam, & gloriam dicit: Constitues eos Principes super omnem terram.) Hæc Chrisostomus. Ex quorum auctoritate suprà Scripturæ fundementum innixa, clarè patet, quod Apostoli fuerunt totius Ecclesiæ, omniumquè Fidelium Patres.

7 Et quis vmquàm vidit Filium præcellere, aùt præcedere Patrem? Sic naturæ rectus ordo in istis inferioribus ostendit, vt Filius nèc præcedat, nèc præcellat Patrem. Sic in moralibus filios parentibus lex ipsa subiecit; & in Diuinis, licèt inter illas coæternas

Per-

Personas non detur prius, nèc posterius, non detur maius, aut minus; Attamen Pater prioritate originis prior intelligitur Filio, & quidquid habet Filius à Patre. Si igitùr rectus ordo filiationis expostulat, vt Filius nullo modo præcellat Patrem, & ad summùm ei conceditur, quod sit sicùt Pater; Quomodo hæc mulier, quæ cum alijs fidelibus est Apostolorum filia per Euãgelium in Christo genita, erit maior suis Parentibus? Quid aliud indicant illa verba LA SVA GRATIA &c. NE HA HAVVTA PIV DI TVTTE LE PERSONE, CHE SONO STATE, E SARANNO? hoc sanè indicant, & nihil aliud, quod non in ministerio, & officio, sed in excellentia, & dignitate suos supergreditur parentes.

8 Et si gratiæ culmen datum est Apostolis ratione officij, & ministerij, quod in ordine gratiæ exequi debebant, vt in discussione primæ propositionis ostensum est; huic mulieri, quæ ad nullum officium, nullumquè ministerium adhùc se ostendit à Deo ordinatam, qua ratione concessa est ei tantæ gratiæ abundantia, vt omnes excedat, & etiam suos in Christo Parentes?

9 Nulla alia ratio super hoc assignari potest nisi voluntas, & potentia Diuina. Certum est enim, quod Deus potest hoc facere; & si huic potentiæ addamus voluntatem, quæ iam supponitur prò hac muliere fuisse, nihil repugnat, quod ipsa tàm magnum gratiæ excessum habuerit. Sed huic rationi desumptæ ex poten-

tia, & voluntate Diuina iterùm se opponunt D. Anselmus, & Magister Sententiarum, qui docent, (quod illa sola potest facere Deus, quæ nullum inuoluunt inconueniens; quia vbi minimum inconueniens apparet, ibi statim insurgit impossibilitas faciendi.) Tollantur igitùr absurda, & inconuenientia, & concedantur huic Mulieri, non solùm ea, quæ habuisse se asserit, sed etiam, & maiora.

10 Alia ratio ad refellendum huius sextæ reuelationis assertum desumi potest ex statu huius mulieris, & ex officio Apostolorum. Compertum est apùd omnes, quod Apostoli fuerunt Pastores gregis fidelium. Cuius oues Petro cõmissæ fuerunt à Christo Domino, quandò ei dixit: Si diligis me, Pasce Oues meas. *Ioan. cap.* 21. *ver.* 16. 17. & in pastura huius gregis cooperati sunt alij Apostoli, sub Petri tamen directione, qui caput est omnium; Sicut dixit S. Pontifex Leo *serm. de assumptione sua ad Pontificatum* his verbis: (De toto Mundo vnus Pastor eligitur, qui & vniuersarum gentium vocatione, & omnibus Apostolis, cunctisq; Ecclesiæ Patribus præponatur; vt quamuis in Populo Dei multi Sacerdotes sint, multiquè Pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principalitèr regit, & Christus &c.) Pastor igitùr est Petrus, & eius coadiutores Apostoli; sùb illius tamen auctoritate, sicùt omnes simùl sùb potestate Christi. Omnes alij præter Apostolos, oues sumus, iuxta illud: Nos autem Populus eius, & oues Pascuæ eius *Psal.* 94. *ver.* 7. Et eo-

eorum curæ commendati. A quo quidem grege nemo excipi poteſt, quin ſit Paſtoribus, & Paſtorum Paſtori ſubiectus. Sic Bernardus ex Chriſti Domini verbis cõuincentèr concludit ſcribens ad Eugenium *lib. 2. de conſiderat. cap.* 8. (Si me amas Petre, ait Bernardus, Paſce Oues meas. Quas? illius, vèl illius populos Ciuitatis, aùt regionis, aùt certè Regni? Oues meas, inquit; cui non planum non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes? Nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil.)

11 Apoſtoli igitùr Paſtores ſunt, nos autem Oues; & cognita hac conditionis differentia inter Apoſtolos, & omnes alios, nemine excepto, quis non videt quàm monſtruoſum ſit huius mulieris aſſertum? Et vt melius eius monſtruoſitas appareat illuſtremus eam exemplo. Si ex grege inſurrexerit Ouis, & ingrediens Tabernacula Paſtorum, velit ſe præponere omnibus illis, àc ſedere ſupra ipſum Paſtorem, quis de hac monſtruoſitate non ſtuperet? Idem certò ſequeretur ſi hæc mulier, quæ ſe aſſeruit prædeſtinatam AVANTI, E PIV DI TVTTI GL'ELETTI. Et in præſenti aſſerit ſe habuiſſe in exequutione prædictæ prædeſtinationis tantam gratiæ exuberantiam CHE DOPPO LA VERGINE NE HA HAVVTA PIV DI TVTTE LE PERSONE, CHE SONO STATE, E SARANNO; idem ſequeretur, inquam, ſi hæc mulier Cœlum ingrediens, videretur, vt ſic eximiè prædeſtinata ſupra Apoſtolos collocata. Ouis igitùr ſuper Paſtores? Monſtruoſum quidẽ hoc eſſet in Hierarchia

Eccle-

Ecclesiæ Militantis; Et monstruosum paritèr esset in Hierarchia Triumphantis; cuius imaginem aspicimus in Militante.

12 Tertia ratio desumitur ex potestate Iudiciaria Apostolis tradita *Lucæ cap.* 22. *ver.* 30. Et sedeatis super Thronos iudicantes duodecim Tribus Israel; vbi per duodecim Tribus iudicandas, intelligit D. Augustinus vniuersitatem iudicandorum *in expositione Psal.* 86. Si igitùr Apostoli futuri sunt Iudices cum Christo in die magno, quomodò iudicabunt istam mulierem, quæ supra Iudices sedet?

13 At respondebit mulier huic rationi; ego nullũ peccatum, nèc etiam veniale, quin etiam nèc vmbrã vllam peccati mecum habeo; & per consequens nihil mihi cum illis Iudicibus. Sed esto, ò mulier, vt ita sit, vt dicis; & vtinam sic esset; Attamen si effugies, per hoc, quod supponis, iudicium discusiionis, effugere certè non poteris iudicium approbationis. Et si aliquid boni ex tuo exemplo, vèl labore in Ecclesia Dei in posterùm vsquè ad diem vltimum sequetur, accipies paritèr iudicium remunerationis. Nullo modo igitùr effugies quin illis Iudicibus subdaris. Et si necessariò illis Iudicibus substare debes, ne dedigneris, quæsó, illis te inferiorem confiteri.

14 Quarta ratio desumitur ex eo quod Apostoli sunt illius Cœlestis Hierusalem fundamenta, de quibus sic loquitur Ioannes *in sua Apocalypsi cap.* 21. *ver.* 14. Et murus Ciuitatis habens fundamenra duodecim;

cim; & in ipsis duodecim nomina Apostolorum &c. Posthæc fundamenta recenset, & vnicuiquè non lapidem ordinarium, sed pretiosum assignat, dicens: Fundamentum primum Iaspis, secundum Sapphirus, tertium Calcedonius, quartum Smeragdus; & cœteros vsquè ad duodecim enumerat. Assignas autem materiam, ex qua murus erat constructus, ait: Erat structura muri eius ex lapide Iaspide. Quãdò loquitur de fundamentis, dicit: Et fundamenta muri Ciuitatis omni lapide pretioso ornata. Quia Apostoli, qui sunt illius Ciuitatis fundamenta, fuerunt à Deo decorati omni gratiarum pretiositate, & plenitudine. Ipsi enim, vt dictum est, Iuxtà Pauli doctrinam *Rom. cap.* 8. *ver.* 23. Spiritus Sancti primitias acceperunt; vbi Glosa adiungit: (Tempore prius, & cœteris abundantius.) Quandò autem loquitur de structura muri dictæ Ciuitatis in quo muro, vt ait D. Petrus: Ipsi tamquàm lapides viui superædificamini: 1. *Petri cap.* 2. *ver.* 5. non dicit, quod sit ædificatus ex omni lapide pretioso; sed tantùm ex lapide Iaspide; & quod tota Ciuitas est ex auro mundo: Et erat, ait Sacer Textus, structura muri eius ex lapide Iaspide, ipsa verò Ciuitas aurum mundum, simile vitro mundo. *Ibid. ver.* 18. *& ver.* 11. dixerat: Et lumen eius simile lapidi pretioso tamquàm lapidi Iaspidis, sicùt Chrystallum.

15 In fundamentis est omnis lapis pretiosus; At in muro, & in tota Ciuitate aliud non apparet nisi Iaspis, aurum, chrystallum, & vitrum mundum; Vndè dedu-

deducitur, quod illa differentia, quæ est inter materiales res, quæ construunt Ciuitatem, & res quæ eius stabiliunt fundamenta, reperitur etiam inter Apostolos, qui sunt fundamenta, & inter omnes alios Electos, qui dictæ Ciuitatis molem respectiuè cõstituunt. Et hæc etiam differentia reperitur in rebus mysticis, & anagogicis. Quia sicùt in præsenti vita habuerunt vberiorem gratiam, sic in Cœlo consequuti sunt excellentiorem gloriam. Itaquè si hæc mulier pertinet ad structuram Ciuitatis Hierusalem, contenta sit in illa superædificari tamquàm lapis viuus, & in illa splendere, vèl tamquàm vitrum mundum, vèl tamquàm chrystallum, vèl tamquàm aurum mundum, vèl tamquàm Iaspis. Et gaudeat, quod omnes lapides pretiosi plenitudinem gratiæ, & gloriæ importantes sint in Apostolis, qui sunt fundamenta Ecclesiæ Militantis, & Triumphantis.

16 Quinta ratio desumitur ex promissis, quas ipse Dominus fecit Apostolis. Et primo loco promisit, se eis impetraturum à Patre Spiritum Sanctum: Sic enim dixit *Ioan. cap.* 14. *ver.* 16. Ego rogabo Patrẽ, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mũndus non potest accipere, quia non videt eum, nèc scit eum. Vbi notat Euthymius. (Ideò in æternum cum Apostolis mansurum promitti Spiritum Sanctum, quod nèc post mortem eorũ ab eis separatus sit.) Et Theophylatus: (Quod dicit, vt maneat vobiscum in æternum,

num, dixit consolans eos. Non enim, inquit Christus, ita temporaria erit eius consuetudo vobiscum, vt mea, sed vsquè in æternum durabit.)

17 Et subiunxit Christus: Spiritus veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum nèc scit eum; vos autem cognoscetis eum, quia apùd vos manebit, & in vobis erit. Vbi Theophylatus: Vobis Apostolis hoc donum egregium datum est, & manet apùd vos: Deindè quod maius est, & in vobis erit. Apùd vos enim externum subsidium, & vicinitatem; in vobis autem internam habitudinem, & corroborationem significat &c.)

18 Et quis de promisso tàm firmo, & infallibili, tàmquè copioso, ac exuberanti gloriari vnquàm poterit? qualem gratiæ abundantiam putamus, vbi inhabitabat largitor omnium gratiarum? qualem gloriæ plenitudinem existimamus, vbi in æternum manebit ipsius gloriæ, ac totius consolationis dispensator? Mūdus totus non potest capere, quod habuerunt Apostoli, non ad horam, non ad diem, non ad tempus, sed in æternum.

19 Secunda promissio, quam suis Apostolis fecit Christus est *apùd Lucam cap. 24. ver. 48.* vbi dicit: Et ego mitto Spiritum Patris mei in vos; vos autem sedete in Ciuitate quoadusquè induamini virtute ex alto. Vbi notandū cum Theophylato, (quod non dixit Christus sedete in Ciuitate quoadusquè accipiatis Spiritum Sanctum; sed quoadusquè induamini.)

20 Et huius promissionis pondus, & vis patebit ex illa ponderatione, quam facit D. Thomas *super illa verba Pauli Galat. cap. 3. ver. 57.* Quicumquè enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Vbi sic ait Angelicus: (Sciendum est, quod qui induitur aliqua veste, protegitur, ac contegitur ea, & apparet sùb colore vestis, colore proprio occultato. Eodem modo, & qui induit Christum protegitur, & contegitur à Christo Iesu contra impugnationes, & æstus, & in eo nihil aliud apparet, nisi quæ Christi sunt. *Rom. 13. ver. 14.* Induimini Dominum Iesum Christum. Et sicùt lignum accensum induitur igne, & participat eius virtutem; ita & qui Christi virtutes accipit, induitur Christo. *Lucæ vltimo*: Sedete in Ciuitate donèc induamini virtute &c. Quod in illis locum habet, qui interiùs Christi virtute informantur. *Ephes. 4. ver. 24.* Induite nouum hominem, qui secundum &c. Et nota quod Christum aliqui induunt exteriùs per bonam conuersationem, & interiùs per spiritus renouationē, & secundùm vtrumquè per sanctitatis configurationem, vt tangitur in Glosa.) Hæc D. Thomas *in cap. 4. Galat. lect. 9.* Ex quo apparet, quàm magna fuerit hæc secunda promissio facta Apostolis ab ipsa infallibili veritate; in ipsa quippe promittitur Apostolis interna, & externa configuratio ad ipsum Christum adhùc in hac vita degentibus.

21 Tertia promissio, quæ cum promissionis effectu sociata videtur, est illa *apùd Ioannem cap. 17. ver. 9.* vbi

9. vbi Vnigenitus Dei Filius sic ad Patrem prò Apostolis loquitur, & orat: Ego prò eis rogo, quos dedisti mihi, quia tui sunt. Pater Sanctè serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi. Non rogo, vt tollas eos de mundo: sed vt serues eos à malo. Sanctifica eos in veritate. Prò eis ego Sanctifico me ipsum: vt sint, & ipsi Sancti in veritate. Et quis ex istis precibus, quas Christus prò Apostolis effundit ad Patrem, non colligit quàm excellentem sanctitatem eis exoptet, quàm copiosum gratiæ munus eis desiderat? Rogat Filius, & toto pectore, Patrem, & ab isto procùl dubio exauditus est prò sua reuerentia.

22 Nèc ista promissa inani quodam verborum sono pertransierunt; omnia enim euenisse certum est, quandò apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tamquàm ignis, seditquè supra singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. *actor. cap.* 2. *ver.* 3. Vbi aduertendum, quod priusquàm Christus ad Patrem ascenderet, dederat Apostolis Spiritum Sanctum, quandò, vt ait *Ioannes cap.* 20. *ver.* 21. dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum. Acceperunt igitùr in illo tùnc Spiritum Sanctum; sed post Ascensionem Domini, iuxta promissa sibi Diuinitùs facta, maiori largitate donorum eum acceperunt, & vberiori plenitudine ipsum habuerunt Apostoli, quàm reliqui Discipuli, vt cum Lorino in examine secundæ reuelationis notauimus.

23 Et ex his omnibus promissionibus fidelissimè suo tempore adimpletis, clarè deducitur supereminentia, quam habent Apostoli in Ecclesia Militante, ac Triumphante, & quod non sit alius, qui possit eis, non solùm præponi, sed nèc etiam æquiparari. Nullus enim audiuit à Christo: Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis &c. Nullus ab ipso audiuit: Manete in Ciuitate, donèc induamini virtute ex alto. Nullus audiuit: Ego prò eis rogo, quos dedisti mihi &c. Ex ore illius prodierunt hæc omnia, qui mentiri non potest.

24 Sexta ratio desumitur ex præconijs, quibus ipse Dominus suos Apostolos honorauit; Sic enim eos alloquens aiebat: Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis. Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat Dominus eius; vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcumquè audiui à Patre meo, nota feci vobis. *Ioan. cap.* 15. *ver.* 15. Consonat hoc elogium in laudem Apostolorum à Christo pronunciatum illis, quod in spiritu de eisdem loquens Psalmista, scriptum reliquit: Nimis honorati sunt amici tui Deus; nimis confortatus est Principatus eorum. *Psal.* 138.

25 Huius autem priuilegij magnitudo, ex eo maximè dignoscitur, quod nihil amicitia, nihilquè amico pretiosius existimatur. Testante *Ecclesiast. cap.* 6. *ver.* 14. Amicus fidelis protectio fortis, qui autem inuenit illum, inuenit thesaurum. Amico fideli nulla est compa-

comparatio: Non est digna ponderatio auri, & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitæ, & immortalitatis. Consonat dictis Eccl. etiam Tullius *in Lel.* dicens: (Ego vos hortari tantùm possum, vt amicitiam omnibus rebus humanis anteponatis: Nihil est enim tàm naturæ aptum, tàm conueniens ad res, vèl secundas, vèl aduersas. &c.)

26 Nèc immeritò tàm pretiosus existimatur amicus; In ipso enim multa ad vitæ solatium habemus; Et in primo loco est benificentia ergà amicum, testante Aristotile *lib. 9 Ethic. cap. 4.* (statuunt amicum esse eum, qui vult, & agit bona, aùt quæ apparent illius causa &c. & iterum repetit. Qui amicis bona volunt ipsorum causa, maximè amici sunt.) hæc Aristotelis. Ex quo secundo loco colligitur æqualitas, & similitudo inter amicos; sic enim ait *lib. 8. Ethic. cap. 8.* (Æqualitas verò, & similitudo amicitia est, & præcipuè ea, quæ est ex virtute similitudo.) Et *lib. 3. polit. cap. 12.* dicit. (Amicus autem par, & similis,) Et Tullius *in Lelium*: (Qui sunt in amicitiæ coniunctionisquè necessitudine superiores, exæquare se cum inferioribus debent. Quamobrem vt hi, qui superiores sunt submittere se debent in amicitia, sic quodammodò inferiores excellere.) Imò *9. Ethic. cap. 9.* dicit Aristot. quod: (Amicus est alter ipse.) Et *lib. 7. moral. ad Eudem. cap. 7.* inter alias amicorum conditiones ponit & istam: (Quod absquè se mutuo, nec viuere quidem

dem

dèm possunt, vna anima sunt.) Quod quidèm Aristotelis dictum confirmatur testimonio D. Gregorij Nazianzeni *orat. 20. in laudem D. Basilij*: loquens enim Nazianzenus de seipso, & de suo carissimo amico Basilio, ait: (Vna vtriquè anima videbatur, duo corpora ferens. Quod si ijs fides habenda non est, qui omnia in omnibus sita esse dicunt (Empedocles vtiquè, & Anaxagoras) at nobis certè credendum est, quod vterquè in altero, & apùd alterum siti eramus) Hæc Nazianzenus. Vndè tertio loco sequitur, quod inter amicos omnia sunt communia; Sic Plato, vèl potius Socrates apùd Platonem *in Lyside* dixit (nonnullis, qui se amicos profitebantur: Vter vestrum ditior sit, haudquaquàm interrogabo? Amici namquè estis; amicorum verò communia omnia; Quaproptèr hoc nihil differtis, siquidem id verè de amicitia dicitis.) Quod postèa confirmauit Aristotiles *9. Ethicor. cap. 8. & 7. moral. ad Eudem. cap. 4.* dicens: (Omnia amicorum communia.)

27 Colligantur igitur simùl hæc omnia, quæ in vera amicitia reperiuntur bona, & intelligetur magnitudo illius priuilegij, quod Vnigenitus Dei suis concessit Apostolis, quandò ipsos suos amicos declarauit, nèc simplicitèr amicos, sed amicos à secretis, quibus omnia sui Diuini pectoris arcana reserauit: Vos autem dixi amicos, quià omnia quæcumquè audiui à Patre meo nota feci vobis *Ioan. cap. 15. ver. 16.* Hinc enim benificentia Saluatoris ergà Apostolos orta est, & talis,

lis, quod omnia, quæ habuit fuerunt eis communia. De qua communitate bonorum, sic S. Leo introducit Christum ad Petrum loquentem: (Tu quoque, Petra es, quæ mea virtute solidaris, vt quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.) *Ser. in anniuer. suæ assump.* & nonnullis interiectis adiungit: (Transiuit quidem etiam in alios Apostolos vis potestatis istius &c.) At per hoc eos per virtutes ad suam similitudinem eleuauit; & ad illam æqualitatem, ad quam cum ipso exæquari poterant, euexit; viuebat ipse in Apostolis, & Apostoli viuebāt in ipso, vno ipsorum testante: Viuo autem, iam non ego: viuit verò in me Christus *Galat. cap. 2. uer. 20.* Quis igitùr ad tantam donorum abundantiam videns eleuatos Apostolos audebit se illis comparare? Et quomodò ista mulier non solùm illis se comparat, sed etiā illis superiorem se prædicat, dicens: LA SVA GRATIA CONFERITALE E TANTA, CHE DOPPO LA VERGINE NE HA HAVVTA PIV DI TVTTE LE PERSONE, CHE SONO STATE, E SARANNO?

28 Ad hanc sextam rationem spectat illud encomium, quo Vnigenitus Dei Filius decorauit Apostolos, dicens: Vos estis lux mundi *Matt. cap. 5. ver. 14.* Si igitùr Apostoli positi sunt, vt lux, quæ illuminet omnem mundum, quomodò ista mulier, quæ debet splendere, mutuato lumine Apostolorum, inuenitur maioris gratiæ lumine perlucida?

29 Sep-

29 Septima ratio desumitur ex antiquis figuris, quæ præmonstrabant Apostolos. Iustinus Martyr *in Dialog. Exod.* 28. dicit, (quod Apostoli fuerunt adumbrati per duodecim Tintinnabula aurea, quæ ad oram vestis Summi Pontificis pendebant. Irenæus *lib.* 4. *cap.* 38. (Eosdem Apostolos per duodecim Patriarchas totius Sinagogæ propagines.) Et Tertullianus *lib.* 4. *contra Marcionem*, (per duodecim fontes Elim; per duodecim gemmas rationale Leuiticū exornantes; Per duodecim lapides in medio Iordane electos, sublatos, & in Arca Testamenti conditos, olim præfiguratos, & promissos commodè testatur.) Duodecim exploratores à Iosue missos totidem Apostolos significasse scribit Eusebius *lib.* 3. *demonstrat.* Euang. Duodecim quoquè præfulgidæ Stellæ, quibus Apocalypticæ mulieris, idest Ecclesiæ caput, quasi corona cingitur, & ornatur, ipsos duodecim Apostolos ostendunt,) vt asserit Feuerdentius *lib.* 1. *aduersus hæreses, verbo Apostoli.* De eisdem Apostolis pluriès loquutus est Dauid in suis Psalmis. Vt *in Psal.* 18. 44. 46. 63. 86. 138. *& alibi.*

30 Ex quibus prædictionibus, & figuris clarè deducitur excellentia Apostolorum. Constat enim, quod scriptura antiqua, non de omnibus, qui in lege noua futuri erant, figuras continet; Sed tantùm de excellentioribus; & de Christo, in quem, vt ad principalem scopum, omnes figuræ collimabant; principalitèr quoquè ipsa Scriptura loquitur de Virgine Matre, de

qua

quia mundi Saluator nasciturus erat; etiam figuratè multotiès loquitur; & si de alijs quandoquè loquitur, hoc facit, quia pertinebant, vèl ad Christi manifestationem, vèl ad completionem operum, & mysteriorum eius. At de Apostolis non semèl, vèl iterùm loquitur, non vnam, vèl duas figuras præsignauit, sed multas; & has figuras non in rebus infimæ notæ, aùt mediocribus constituit, sed in excellentioribus, & sublimioribus; vt per dictas figuras discurrendo colligi potest.

31 Si enim in Patriarchis præsignantur; deducitur, quod sicùt Patriarchæ cœteros in lege veteri excelluerunt, sic Apostoli in legè noua omnibus præferri debebant. Si in Tintinnabulis aureis; deducitur, quod sicùt aurum, & pretio, & splendore, & puritate, & pondere omnia superat metalla, sic etiam Apostoli omnes alios in donis gratuitis superare debebant. Si in duodecim Gemmis, quæ Summi Sacerdotis rationale exornabant; deducitur, quod sicùt illæ gemmæ alios lapides ordinarios splendore, ac pretiositate excellunt, ita pariter Apostoli omnes alios splendore gratiæ, ac pretiositate gloriæ excellere debebant. Si in duodecim fontibus Elim; deducitur gratiarum affluentia, quæ ipsis data fuit à Deo. Si in duodecim lapidibus de Iordanis medio electis, vbi scilicet steterunt Sacerdotes, qui portabant Arcam Domini *Iosue cap. 4. ver. 9.* designatur, quod super ipsos stat Arca Domini, quæ figurabat Ecclesiã. Si in duodecim stellis præfulgidis,

29 Septima ratio desumitur ex antiquis figuris, quæ præmonstrabant Apostolos. Iustinus Martyr *in Dialog. Exod.* 28. dicit, (quod Apostoli fuerunt adumbrati per duodecim Tintinnabula aurea, quæ ad oram vestis Summi Pontificis pendebant. Irenæus *lib.* 4. *cap.* 38. (Eosdem Apostolos per duodecim Patriarchas totius Sinagogæ propagines.) Et Tertullianus *lib.* 4. *contra Marcionem*, (per duodecim fontes Elim; per duodecim gemmas rationale Leuiticũ exornantes; Per duodecim lapides in medio Iordane electos, sublatos, & in Arca Testamenti conditos, olim præfiguratos, & promissos commodè testatur.) Duodecim exploratores à Iosue missos totidem Apostolos significasse scribit Eusebius *lib.* 3. *demonstrat.* Euang. Duodecim quoquè præfulgidæ Stellæ, quibus Apocalypticæ mulieris, idest Ecclesiæ caput, quasi corona cingitur, & ornatur, ipsos duodecim Apostolos ostendunt,) vt asserit Feuerdentius *lib.* 1. *aduersus hæreses, verbo Apostoli.* De eisdem Apostolis pluriès loquutus est Dauid in suis Psalmis. Vt *in Psal.* 18. 44. 46. 63. 86. 138. *& alibi.*

30 Ex quibus prædictionibus, & figuris clarè deducitur excellentia Apostolorum. Constat enim, quod scriptura antiqua, non de omnibus, qui in lege noua futuri erant, figuras continet; Sed tantùm de excellentioribus; & de Christo, in quem, vt ad principalem scopum, omnes figuræ collimabant; principalitèr quoquè ipsa Scriptura loquitur de Virgine Matre, de

qua

quia mundi Saluator nasciturus erat; etiam figuratè multotiès loquitur; & si de alijs quandoquè loquitur, hoc facit, quia pertinebant, vèl ad Christi manifestationem, vèl ad completionem operum, & mysteriorum eius. At de Apostolis non semèl, vèl iterùm loquitur, non vnam, vèl duas figuras præsignauit, sed multas; & has figuras non in rebus infimæ notæ, aùt mediocribus constituit, sed in excellentioribus, & sublimioribus; vt per dictas figuras discurrendo colligi potest.

31 Si enim in Patriarchis præsignantur; deducitur, quod sicùt Patriarchæ cœteros in lege veteri excelluerunt, sic Apostoli in legè noua omnibus præferri debebant. Si in Tintinnabulis aureis; deducitur, quod sicùt aurum, & pretio, & splendore, & puritate, & pondere omnia superat metalla, sic etiam Apostoli omnes alios in donis gratuitis superare debebant. Si in duodecim Gemmis, quæ Summi Sacerdotis rationale exornabant; deducitur, quod sicùt illæ gemmæ alios lapides ordinarios splendore, ac pretiositate excellunt, ita pariter Apostoli omnes alios splendore gratiæ, ac pretiositate gloriæ excellere debebant. Si in duodecim fontibus Elim; deducitur gratiarum affluentia, quæ ipsis data fuit à Deo. Si in duodecim lapidibus de Iordanis medio electis, vbi scilicet steterunt Sacerdotes, qui portabant Arcam Domini *Iosue cap.* 4. *ver.* 9. designatur, quod super ipsos stat Arca Domini, quæ figurabat Ecclesiã. Si in duodecim stellis præfulgidis,

quæ caput Ecclesiæ exornant; deducitur, quod ipsi sunt fulgentiores Stellæ, quas vt primum,& pretiosius ornatum ipsa Ecclesia in suo capite gerit. Omnes deniquè figuræ, quæ Apostolos præmonstrabant,ostendebant paritèr excellentiam,quam super omnes habituri erant, & de facto habuerunt. Sic etiam prædictiones eandem excellentiam præmonstrabant; Principes enim,& Patres vocauit eos in spiritu prophètico Dauid, dicens: Constitues eos Principes super omnem terram &c. Prò Patribus tuis nati sunt tibi Filij &c. Ostèndens, quod quantùm Principes suis Populis eminent,& quantùm suis Filijs parentes,tantùm Apostoli, qui sunt Patres,& Principes Ecclesiæ,omnes,qui ipsam constituunt, & gratia, & gloria excellunt,& excedunt. Et idem excessus, eademquè excellentia elicitur ex alijs prædictionibus, quas de ipsis Prophètæ fecerunt. Videat igitùr ista mulier si suis priuatis reuelationibus credere, an tot Oraculis, & Prophètarum vocibus debeamus. Et hinc etiam intelligant omnes, si ex Deo esse possint illæ reuelationes, quæ tot oraculis, & figuris, tot prophètijs, quæ de Apostolis præcesserunt contradicunt.

32 Octaua ratio desumitur ex verbis ipsiusmet mulieris: Dicit enim: **LA SVA GRATIA CONFERITA LE E TANTA,CHE DOPPO LA VERGINE NE HA HAVVTA PIV DI TVTTE LE PERSONE &c.** Gratia namquè diuiditur in gratiam gratis datam, & gratificantem, seù iustificantem. De prima

ma iam constat, quod non habet nèc maiorem, nèc æqualem; Non enim habet genera linguarum, non prophètiam, non gratiam miraculorum, & similia, in quibus gratia gratis data consistit; Ergò in ista gratia gratis data, non solùm exceditur ab Apostolis, sed etiã ab illis, qui ea polluerunt.

33 De secunda, nempè de gratia iustificante, & gratum faciente, certum est, quòd ista inæqualitèr confertur à Deo iuxtà inæqualitatem dispositionum, quæ in recipiente reperiuntur. Sicut definitum est à Sacro Concilio Tridentino *sess. 6. cap. 7.* vbi loquens de gratia iustificante, ait: (Et non modò reputamur, sed verè iusti nominamur, & sumus, iustitiam in nobis recipientes, vnusquisquè secundùm mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis proùt vult, & secundùm propriam cuiusquè dispositionem, & cooperationem &c.) & probatur ex *Apocalypsis cap. 22. ver. 11.* Qui iustus est iustificetur adhùc. Et 2. *Corint. cap. 9. ver. 10.* Augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ. Ex quo infertur, quod gratia, & iustitia augetur in anima secundùm quantitatem dispositionis, & cooperationis illius; Iuxtà illud *Ecclesiast. cap. 18. ver. 22.* Ne verearis vsquè mortem iustificari. Et *Prouerb. cap. 4. ver. 15.* Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsquè ad perfectum diem. Et *Psal. 83. ver. 6.* Beatus vir, cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum, in loco, quem posuit. Etenim benedictionem dabit legislator:

tor: ibunt de virtute in virtutem &c. quod quidem pluries repetit Conciliũ Tridentinũ *sess. 6.* Nàm *cap. 10.* dicit: (Iustos renouari de die in diem, & crescere in accepta iustitia per bona opera, quibus fides cooperatur &c.) & *in eadem sess. can. 24.* ait: (iustitiam acceptam conseruari, & augeri per bona opera iustorũ.) *Et can. 32.* (Bona opera iustorum, quæ in Deo facta sunt, mœreri vitam æternam, augmentum gratiæ, & gloriæ &c.) ex quibus omnibus tàm Scripturæ, quàm Concilij auctoritatibus conuincitur, quod gratia gratumfaciens augetur iuxtà dispositionem, & cooperationem nostram.

34 Et non solùm hæc gratia augetur in iustificato, iuxtà mensuram dispositionis, & cooperationis ipsius; Sed in illis etiam, qui per propriam dispositionem iustificantur, infunditur inæqualis gratia sanctificans prò ratione, & quantitate dispositionis; quod probatur ex *Luc. cap. 7. ver. 4.* Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Et ratio, quare Deus tribuit hanc gratiam iustificantem iuxtà nostrã dispositionem, est ista, vt ait Caspensis; (Cum homo sit liber, suauis dispositio postulat, vt liberè etiam acceptet iustitiam; ergò quò homo se ostendit promptiorem ad acceptandam Dei amicitiam, & maiori conatu ad illam se conuertit, eò ad maiorem amicitiam recipitur. Et hæc inæqualitas dispositionis in adultis referenda est tàm ad inæqualitatem auxilij, quàm ad inæqualitatem cooperationis ex parte nostra. At quia

princi-

principalis causa huius dispositionis est Diuina gratia; Et defectus si quis est, oritur ex parte nostra: ideo quidquid perfectionis est, simplicitèr tribuẽdum est Diuinæ gratiæ: quidquid vero defectus est, & imperfectionis, nostræ libertati.) Hæc Caspensis *tract. de gratia disput. 4. sect. 2.*

35 Cum igitùr gratia augeatur iuxtà dispositionẽ, & cooperationem nostrã, quis magis ipsi gratiæ cooperatus est, quàm Apostoli? quid non fecerunt isti, quid non operati sunt, quid non perpessi? quot regiones peragrarunt, quot nationes instruxerunt, quot animas ad Cœlum transuexerunt? In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum &c. Et tandem, effuso sanguine, data pro Christi amore anima propria, hoc vltimo charitatis signo sigillauerunt cooperationem, quam vsquè ad finem habuerunt ad gratiam. Et quomodò istius mulieris gratia coæquare, imò superare poterit gratiam Apostolorum, qui per tàm heroicam cooperationem ad magnum, imò maximum culmen gratiæ peruenerunt?

36 At dicet ista mulier, quod sua gratia, cum procedat à mera liberalitate Diuina, non respexit in ipsa dispositionem, & cooperationem, sed solummodò voluntatem Dei, qui voluit ipsam supra omnes, & præteritos, & futuros Electos gratia ditare. Et si Deus voluit eam sic ditare, quis iustè de hoc conqueri potest? Si quis Diuinæ voluntatis scrutator fieri velit,

audiet

audiet vtiquè à Deo: An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? aùt non licet mihi, quod volo facere? *Matt. cap. 20. ver. 15.*

37 Veneror, vt aliàs dixi, Decreta Diuina, adoro suam liberam, ac liberalissimam voluntatem; sed ratiocinemur, quæso, circa hanc Diuinæ voluntatis dispositionem. Constat enim primò, quod Deus, & natura nihil frustra agunt, vt pluries supra monstratum est; Et si Ieremiam, & Ioannem Baptistam gratia gratum faciente decorauit, nullo habito respectu ad dispositionem, nèc etiam ad illam, quæ ex fide parentum haberi posset; fecit hoc, quia ad opera ingentia eos præparabat, adhùc in matris vtero, vt alibi monstratum est.

38 Secundò constat, quod licèt Ieremiam Deus hac gratia præueniret ex vtero ad finem tàm excelsum; non tamen contulit ei tantam gratiam, vt alios omnes in lege veteri superaret. Et si de alijs certitudinem non habemus ex Sacra Scriptura; De Moyse tamèn habemus Oraculum Diuinum *Num. cap. 12. uer. 7.* Quod referens D. Paulus *Hebr. cap. 3. uer. 2.* Qui fidelis est ei, qui fecit illum, sicùt, & Moyses in omni Domo Dei. *Et uer. 5.* dicit: Et Moyses quidèm fidelis erat in tota Domo eius, tamquàm famulus, in testimonium eorum, quæ dicenda erant; Christus verò tamquàm Filius in domo sua &c. De Abraham quoquè testimonium habemus, quod Dominus dixit ei: Et merces tua magna nimis. *Gen. cap. 15. uer. 1.* De Iere-

Ieremia autem habemus solùm, quod in vtero habuit gratiam gratificantem; si autem ista excesserit gratiam aliorum, ex Sacra Scriptura non habemus; Et idem dicendum de Ioanne Baptista. Itaquè licèt isti habuerint gratiam gratificantem à mera liberalitate Diuina, ex qua liberalitate possumus arguere, quod Deus plus concesserit vni, quàm alteri, vèl alteri, quàm vni; Nihilominùs non possumus dicere, quod gratia istorum ex liberalitate Diuina sanctificatorum fuerit maior, & excesserit gratiam Moysis, & Abrahæ, de quibus scimus certè ex Oraculo Diuino, quod alios in lege veteri superauerint. Et tàm Ieremias, quàm Ioannes remanent sùb regula generali, quod augmentum gratiæ habuerint, ex cooperatione ad ipsam gratiam.

39 At ista mulier primo tractu se proclamat superiorem in gratia sibi à liberalitate Diuina concessa, & nullo habito respectu ad augmentum, quod per cooperationem haberi potest, dicit: LA GRATIA CONFERITALE E TANTA, CHE, DOPPO LA VERGINE, NE HA HAVVTA PIV DI TVTTE LE PERSONE, CHE SONO STATE, E SARANNO.

40 Et ad quid tanta gratia ei collata fuit? Verum est, quod Beatissimæ Virgini collata fuit gratia immensa; sic eam appellant Sancti Doctores:) Nàm S. Epiphanius *Serm. de laudib. Deiparæ*, dicit: Gratia Sanctæ Virginis est immensa.) Quod confirmat S. Anselmus *de excellentia Deiparæ cap.* 8. *versus fin.* dicens:

(Quid

audiet vtiquè à Deo: An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? aut non licet mihi, quod volo facere? *Matt. cap.* 20. *ver.* 15.

37 Veneror, vt aliàs dixi, Decreta Diuina, adoro suam liberam, ac liberalissimam voluntatem; sed ratiocinemur, quæso, circa hanc Diuinæ voluntatis dispositionem. Constat enim primò, quod Deus, & natura nihil frustra agunt, vt pluries supra monstratum est; Et si Ieremiam, & Ioannem Baptistam gratia gratum faciente decorauit, nullo habito respectu ad dispositionem, nèc etiam ad illam, quæ ex fide parentum haberi posset; fecit hoc, quia ad opera ingentia eos præparabat, adhùc in matris vtero, vt alibi monstratum est.

38 Secundò constat, quod licèt Ieremiam Deus hac gratia præueniret ex vtero ad finem tàm excelsum; non tamen contulit ei tantam gratiam, vt alios omnes in lege veteri superaret. Et si de alijs certitudinem non habemus ex Sacra Scriptura; De Moyse tamèn habemus Oraculum Diuinum *Num. cap.* 12. *uer.* 7. Quod referens D. Paulus *Hebr. cap.* 3. *uer.* 2. Qui fidelis est ei, qui fecit illum, sicùt, & Moyses in omni Domo Dei. *Et uer.* 5. dicit: Et Moyses quidèm fidelis erat in tota Domo eius, tamquàm famulus, in testimonium eorum, quæ dicenda erant; Christus verò tamquàm Filius in domo sua &c. De Abraham quoquè testimonium habemus, quod Dominus dixit ei: Et merces tua magna nimis. *Gen. cap.* 15. *uer.* 1. De

Iere-

Ieremia autem habemus solùm, quod in vtero habuit gratiam gratificantem; si autem ista excesserit gratiam aliorum, ex Sacra Scriptura non habemus; Et idem dicendum de Ioanne Baptista. Itaquè licèt isti habuerint gratiam gratificantem à mera liberalitate Diuina, ex qua liberalitate possumus arguere, quod Deus plus concesserit vni, quàm alteri, vèl alteri, quàm vni; Nihilominùs non possumus dicere, quod gratia istorum ex liberalitate Diuina sanctificatorum fuerit maior, & excesserit gratiam Moysis, & Abrahæ, de quibus scimus certè ex Oraculo Diuino, quod alios in lege veteri superauerint. Et tàm Ieremias, quàm Ioannes remanent sùb regula generali, quod augmentum gratiæ habuerint, ex cooperatione ad ipsam gratiam.

39 At ista mulier primo tractu se proclamat superiorem in gratia sibi à liberalitate Diuina concessa, & nullo habito respectu ad augmentum, quod per cooperationem haberi potest, dicit: LA GRATIA CONFERITALE E TANTA, CHE, DOPPO LA VERGINE, NE HA HAVVTA PIV DI TVTTE LE PERSONE, CHE SONO STATE, E SARANNO.

40 Et ad quid tanta gratia ei collata fuit? Verum est, quod Beatissimæ Virgini collata fuit gratia immensa; sic eam appellant Sancti Doctores:) Nàm S. Epiphanius *Serm. de laudib. Deiparæ*, dicit: Gratia Sanctæ Virginis est immensa.) Quod confirmat S. Anselmus *de excellentia Deiparæ cap.* 8. *versus fin.* dicens:

(Quid

(Quid amplius dicere possum Domina? Immensitatem quippe gratiæ, & gloriæ tuæ considerare cupienti sensus deficit, & lingua fatiscit.) *Idem* dicit S. Hildephonsus *Ser. 3. in Assumpt. Deiparæ*. Idem Petrus Damianus *Ser. in Assumpt. Deiparæ*. Et S. Bonauentura *in speculo Deiparæ lect. 1.* dicit: (Propter gratiæ affluentiam, & immensitatem meritò gratia plena commemoratur.) Quod posteà repetit, & confirmat *lect. 5. eiusdem speculi*. Et verum est etiam, quod ipsa Beatissima Virgo à primo instanti suæ Conceptionis habuit tantam gratiam, quod superauit omnes, & homines, & Angelos; Sic testatur S. Vincentius Ferrerius *ser. 1. in Natiuit. Deiparæ*, dicens: (Creditur quod eàdem die, & hora fuit sanctificata super omnes Sanctos, & Sanctas, & etiam Angelos &c.) Et hanc gratiæ superabundantiam habuit à primo suæ Conceptionis instanti, quia sic decebat, vt Mater Domini fieret; Teste Petro Damiano, qui dicit: (Antequàm nasceretur, talem creauit eam, vt ipse nasci dignè posset ex ea. *ser. 2. in Natiuit. Deiparæ*. Et Diuus Bernardus *hom. 2. super Missus est*: dicit: (Talem sibi ex omnibus debuit deligere, imò condere Matrem, qualem, & se decere sciebat, & sibi nouerat placituram.)

41 Itaque si prima gratia Beatissimæ Virginis excedebat gratiam omnium hominum, & Angelorum, hoc fuit, quia Dei Genitrix erat futura. Et si ipsius gratia fuit immensa, hoc etiam fuit, quia priuilegium maternitatis trahit secum quamdam infinitatem, vt

docet

docet S. Thomas 1. *par. quæst.* 25. *art.* 6. *ad quartum*, vbi ait: (Beata Virgo, ex hoc, quod est Mater Dei, habet quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus.) Quod confirmat S. Bernardinus Senensis *tom.* 1. *ser.* 61. *art.* 1. *cap.* 12. At in ista muliere, quæ ratio, quæ congruentia, quæ decentia assignari potest, cur sit exclusa à regula generali?

42 Si dicitur, quod Deus, qui infirma mundi eligit, vt fortia confundat, voluit hanc mulierem exaltare ad manifestationem gloriæ, & potentiæ suæ; Gratis certè hoc asseritur; Quia satis ostensa est gloria, & omnipotentia Dei in electione Beatissimæ Virginis Mariæ, quam eleuauit ad maternitatem Vnigeniti sui. Vanum est ergo quærere in opere inferiori manifestationem illius potentiæ, quæ manifestata est in opere sublimiori. Et quænam potentiæ, & gloriæ Diuinæ manifestatio videtur in hac muliere, quæ intra domesticos parietes occlusa non claret miraculis, non relucet spiritu prophètico, non gratia sanitatum, non generibus linguarum, non sermonibus sapientiæ, nèc alia gratia gratis data, quæ in ipsa ostendat gratiam, & potentiam Dei? Cùm igitùr nihil ex his omnibus adsit, nèc ipsa directa sit ad aliquod opus, in quo appareat gloria, & omnipotentia Dei, vtiquè non potest dici, quod tanta gratia sit locupletata ad manifestationem gloriæ, & omnipotentiæ Diuinæ.

43 Si dicitur, quod Deus voluit ipsi tantam gratiã conferre, vt habeat vnam creaturam humanam, in qua

plusquàm in alijs sibi complaceat? Et hoc etiam gratis dicitur; Nàm habet Deus tot excellentissimos Sanctos, vt sunt Apostoli, Patriarchæ, & Prophètæ; & si istis hæc mulier non vult cedere, habet Deus Deiparam Virginem, in qua super omnes sibi complaceat; & huic Gloriosissimæ Virgini libentèr cedit ista mulier. Si igitùr habemus, in quo saluetur ista singularis Dei complacentia; ad quid quærere aliam inferioris notæ, in qua Deus minus se complaceat, quàm in Virgine?

44 Itaquè dato, & concesso, quod Deus voluerit eam tanta gratia exornare, vt omnes alios excedat, cùm voluntas Dei non sit irrationabilis, vt passim docent S. Augustinus, S. Ambrosius, S. Hieronymus, & omnes; debet nobis apparere aliqua ratio, vèl decentiæ, vèl congruentiæ, ob quam Deus voluit hanc mulierem excludere à regula generali, & à lege communi; sed nulla vsquè adhùc ratio apparet, nèc etiam ex parte manifestationis gloriæ, & omnipotentiæ; nèc etiàm ex parte complacentiæ ipsius Dei; ergo non est exclusa à regula generali, & per consequens eius reuelatio videtur non esse vera, sed falsa, & consequentèr à Dæmone.

45 Nona ratio desumitur ex eisdem verbis reuelationis; & præcisè ex illis: NE HA HAVVTO PIV DI TVTTE LE PERSONE, CHE SONO STATE, E SARANNO. In his verbis, & præcipuè in illo: (E SARANNO,) quod est vltimũ, ita remanẽt ligatæ, omnipotẽtia, & volũtas, omnipotẽtis Dei, vt non pos-

possint facere, nèc possint velle facere aliā creaturā humanā sibi gratiorē ista muliere; quia iā notificauere ei, quod ipsi contulerint gratiam excedentem omnium, qui fuerunt, & qui futuri sunt, gratiam. Et supposita hac reuelatione, quæritur, An Deus in posterùm conferre possit alteri maiorem gratiam? Si respondetur, quod potest, sed non conferet; iterùm quæro, quare non conferet? Si respondetur, quod non conferet, èo quod reuelauit huic mulieri, quod sua gratia debet excedere gratiam omnium, qui fuerunt, & qui futuri sunt; ergo omnipotentia Dei iam est ligata, nèc potest facere, quod sibi possibile est. Si dicatur, quod Deus reducitur ad hoc impossibile, quia sic vult; Iterùm quæro, quare sic vult? & si iterùm respondeatur, quod vult hoc sibi impossibile esse, quia sic reuelauit huic mulieri; iterùm ego concludo: Ergo in hac reuelatione alligatæ sunt voluntas, & omnipotentia Dei, vt non possint, nèc velint facere aliam creaturam hac muliere sibi gratiorem. Si autem dicatur, quod Deus omninò non potest conferre in posterùm maiorem gratiam; quæro, an gratia huius mulieris sit finita, vèl infinita? si finita; ergo Deus maiorem ipsa potest creare, & conferre; si infinita; ergo non potèst eam accipere hæc mulier, quæ est finita. Quomodocumquè igitùr sumantur verba in hac propositione posita, ducunt ad inconuenientia, & absurda.

46. Et quis igitùr, non dico inter sapientes, & prudentes, sed etiam inter viros recto iudicio prædi-

tos, tàm obcæ mentis erit, vt approbet, tamquàm à Deo reuelatam, hanc propositionem, quæ Sanctorum Patrum auctoritati repugnat, & Sacræ Scripturæ testimonijs se opponit? Omnes Scripturæ, quæ contradicunt primæ assertioni, contradicunt etiam, & huic sextæ; & omnes Sancti, qui impugnant illam, impugnant, & istam; ambo enim idem intendunt, vt supra dixi; nàm prima monstrat præparationem in ad gratiam, & ad gloriam, & hæc sexta importat executionem illius præparationis; & illam gratiam, quam ei præparauit ab æterno, nùnc in tempore ei largitus est. Illa prima in trutina signorum veræ, & Diuinæ reuelationis inuenta est minus habens, eiusdem etiam ponderis erit, & hæc sexta.

47 Nèc mirum, quia talis est spicarum conditio: quantò magis extolluntur, tantò sunt inaniores, àc leuiores; Vndè stat prò eis illud dictum. EXTOLLVNTVR INANES; itaquè hæc mulier, quantò magis se extollit, tantò se leuiorem, & gratia magis inanem, & vacuam se ostendit. Laudet te alius, ait Salomon, & non os tuum; extraneus, & non labia tua *Prou. cap.* 47. *ver.* 2. illa est vera laudatio, quæ procedit ab alio, & maximè à viro laudato; & in ore proprio laus semper sordescit; & præcipuè, vbi nulla apparet ædificatio, aùt proximorum vtilitas.

48 Magnam gratiæ abundantiam dedit Deus suo Apostolo Paulo, & tantam, quod sanctè etiam ei inuideant multi; Attamen, cum tentaretur à Sathana,

roga-

rogauit Dominum, vt auferretur ab eo stimulus carnis; & quid responsum ei fuisse putamus? sufficit tibi gratia mea 2. *Corint. cap.* 12. *ver.* 9. Et quanta fuit ista gratia, ò Paule? non explicat Apostolus quanta fuerit ista gratia; contentus fuit dicere, quod illa gratia ei sufficiebat. Qui thesaurum gratiæ inuenit, abscōdit, nè illum perdat; & qui ostendit facillimè eum amittit: testá[illegible] D. Gregorio, (quod deprædari desiderat, qui [illegible] saurum publicè portat in via. Et studium cœlestis desiderij à malignis spiritibus custodire non sufficit, qui hoc ab humanis laudibus non abscondit.) Hæc Gregorius *Homil.* 11. *in Euangel.*

49. Si quod asserit ista mulier reuelatum esset à Deo, talis reuelatio humilem eam redderet; humilitatem namquè respicit Deus, & esurientes, idest, illos, qui se existimant omni gratia vacuos, & inanes, hos profectò Deus sua gratia cumulat, & implet bonis Cœlestibus.

50 Cum igitùr vsquè adhùc nullus finis in hac reuelatione appareat, vltra propriam laudem, cumquè veritati, ac Sacræ Scripturæ videatur repugnare, & dissonet à sensu Sanctorum Patrū, ac à veritate Theologica aberret, non est admittenda, vt cœlitùs, & Diuinitùs habita; sed vt à dæmone tradita respuenda est. Scimus enim, quod D. Thomas temerarium iudicat comparare aliquem cum Apostolis *lect.* 3. *in cap.* 1. *Epist. ad Ephes.* Et ista mulier non solùm se comparat, & equiparat, sed etiam se præfert Apostolis, & omnibus Sanctis, qui fuerunt, & erunt,

51 Sci-

51 Scimus, quod inter errores Carpocraticorū hic notatus est, vt in discussione primæ reuelationis dixi cum S. Epiphanio., quod Apostolis se præferebant; quod confirmauit etiam S. Ireneus. Scimus etiam, quod inter errores Begardorum, & Beguinarum, hic est trigesimus octauus, scilicet, quia dicunt, quod Petrus Ioannes maior erat Apostolis, & Euangelistis; & cum his Carpocratianis, & Begardis videtur sentire hæc mulier. Vide ergo, quæ in fine primæ discussionis dixi; & ex temetipso iudicare poteris, ô carissime Theophile, si hæc reuelatio, quæ cum Carpocratianis, & cum Begardis, & Beguinis, iam ab Ecclesia damnatis, sentit, debeat estimari, ac in pretio haberi? Et ego, ne maiori te molestia afficiam, ad excussionem septimæ, & vltimæ spicæ me confero.



In qua

In qua excutitur spica septima, & vltima Reuelationis, eiusquè Propositio discutitur.

DISCVSSIO SEPTIMA.

1 SEptima demùm, & vltima spica, quam excutiendam mihi proposuisti, ò Theophile charissime, hanc continet Propositionem: CHE IL SIGNORE LE HA DATO TANTO AMORE, QVANTO NE PVO DARE VN DIO. Et hæc, sicùt est in numero postrema, sic & in perfectione suprema; Pertinet namquè ad charitatem, quæ, testante Apostolo, maior est omnibus virtutibus. Nùnc autē manent fides, spes, charitas; tria hæc; Maior autem horum est charitas. 1. *Corint. cap.* 13. *ver.* 13. Et *Coloss. cap.* 3. *ver.* 14. Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. At sicūt spica, quæ perfecta apparet, ESTV, PLAGISQVE, discernitur, nùm bona, & perfecta grana contineat, an aliquo vitio læsa: sic & præsens propositio, quæ magnorum charismatum plenitudine debacchantem se ostentat, in Area veritatis æstu, plagisquè discussionis attrita, talia, qualia ipsa continet semina, ex ea prodibunt.

2 Et quia propositio per illos duos terminos, (TANTO, & QVANTO,) ponitur in relatiuo quā-

titatis; excutiamus primò vnum relatiuorum, deindè alterum. (IL SIGNORE LE HA DATO TANTO AMORE,) benè, & optimè dicit vſquè adhùc, quod Dominus ei dedit tantam charitatem; nàm cùm charitas ergà Deum ſit donum ſupernaturale, naturalitèr haberi non poteſt, ſed neceſſe eſt, vt à Deo noſtræ voluntati infundatur. Sic docet *D. Paulus ad Rom. cap. 5. vers. 5.* vbi dicit: Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris; vèl infuſa eſt in cordibus noſtris, vt legit Cyprianus *lib. de exhortat. ad martyrium cap. 9.* & huic D. Pauli Doctrinæ adhærentes omnes Theologi docent, charitatem à Deo infundi; ſic D. Thomas cum ſua Schola *1. 2. quæſt. 24. art. 2.* Suarez *diſput. 3. de habitu charit. ſect. 1.* Caſpenſis *diſput. 2. de habitu charit. ſect. 1. & alij.* Concilium Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 7.* Sic decernit. (Dùm eiuſdem Sanctiſſimæ Paſſionis merito, per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iuſtificantur, atquè ipſis inhæret; vndè in ipſa iuſtificatione cùm remiſſione peccatorum, hæc omnia ſimùl infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur per fidem, ſpem, & charitatem &c.)

3 Nèc aliundè hic Dei amor prouenire poteſt, quàm à Deo; Nàm quilibet amor habet virtutem vnitiuam, & transformatiuam, vt ex D. Hierotheo tradit S. Dionyſius Areopagita *cap. 4. de Diuinis Nominibus par. 2.* dicens: (Amorem ſiuè Diuinum, ſiuè Angelicum, ſiuè ſpiritualem, ſiuè animalem, ſiuè natura-

turalem dixerimus, insitiuam quandam intelligamus, commiscentemquè virtutem.) Cùm igitùr quilibet amor habeat hanc vim vniendi amantem cum amato, necesse est, vt anima, ad hoc vt pertingat ad hanc Dei vnionem, eleuetur per aliquod supernaturale, vnitur autem Deo per amorem; ergo hic amor est donum supernaturale, & à Deo infusum in cordibus nostris.

4 Et hanc Diuini amoris vim alibi explicans idē D. Dionysius sic ait: (Est autem mentis secessum, extasimquè faciens Diuinus amor; amatores sui iuris esse non sinens; sed in ea, quæ amant penitùs transferens. Idcirco Paulus ille magnus, cum Diuino amore flagraret, excessiuæ illius virtutis particeps factus, sacro ore: Viuo, inquit, iam non ego, viuit verò in me Christus, tamquàm verus amator mentis excessum patiens, vt ipse ait, Deo viuens, & non suam, sed amatoris vitam, vt valdè diligibilem.) Hæc Dionysius *cap. 4. de Diuinis Nominibus par. 1. circa finem.* Et quis alius præter Deum potest animam ad talem vnionis, & trāsformationis gradum eleuare? Vndè anima haurire poterit tàm excellentem charitatem, nisi ex illo, qui est fons æternæ charitatis? Deus charitas est, dicit *Ioan. epist. 1. cap. 4. ver. 16.* & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Quem locum expendens D. Augustinus *lib. 8. de Trinit.* dicit: (Dilectio, qua diligimus Deum, non tantùm est ex Deo, sed etiam Deus ipse.)

5 Audiamus quæso etiam & Bernardum: (Nequè

enim, inquit hic Sanctus, præsentior spiritus noster est, vbi animat, quàm vbi amat: nisi fortè putetur esse magis, vbi inuitus, & necessitate tenetur, quàm quò spontè, & alacritèr fertur voluntas. Deniquè vbi est thesaurus tuus, ibi est, & cor tuum. Item si Deum amas anima ex ipso viuit, vti corpus ex ipsa: quo pacto, quæso, præsentior esse contenditur, vbi dat, quàm vndè accipit vitam? Fons siquidem vitæ charitas est: nèc viuere animam dixerim, quæ de illo non hauserit. Haurire porrò quomodò potest, nisi fuerit præsens ipsi fonti, qui charitas est, quæ Deus est; præsens igitùr Deo est, qui Deum amat, inquantùm amat. In quo enim minus amat, absens profectò est.) Sic Bernardus *tract. de præcep. & dispens. cap.* 27. Cum igitùr per hunc amorem sibi à Deo infusum eleuetur ista mulier ad vnionem cum Deo, qui est noster vltimus finis, & quò tendunt cuncta nostra desideria, non immeritò dixi, quod in hac postrema reuelatione omnium priuilegiorum, omniumquè gratiarum supræmum apicem tangit.

6 Et eò magis crescit hoc donum, quia non inuenio in eo mensuram, qua metiatur, si enim alibi dixit, quod sua gratia excedit gratiam omnium Electorum, qui fuerunt, & erunt; habemus mensuram in Electis; & omnis excessus supra istos, quamuis minimus, verificabit suam propositionem. Sic etiam in illa propositione, qua asserit, se prædestinatam antè, & plusquàm omnes Sanctos. excepta Beatissima Virgine, reperimus

imus mensuram in creaturis; necessariò enim, & sua prædestinatio, & sua gratia, cum sit maior illa, quam habuerunt omnes Electi, & minor illa, quam habuit Beatissima Virgo, gradum sistere debet inter creaturas, nempè sùb Deipara, & supra omnes alios prædestinatos, in hoc medio pedem figit. At sua charitas, de qua agit in hac reuelatione, vbi terminat, vt eam mẽsurare possimus? Audiamus eius verba: IL SIGNORE LE HA DATO TANTO AMORE, QVANTO NE PVO DARE VN DIO.

7 Ex omnipotentia igitùr Dei desumere debemus quantitatem, & mensuram amoris huius mulieris. Et hìc notandum, quod non dicit: QVANTO NE LE PVO DARE VN DIO; si enim talitèr loqueretur, quia per illam particulam demonstratiuam, LE, connotaretur subiectum recipiens, possemus dimensionẽ desumere ex capacitate subiecti suscipientis; sed cum ipsa auferat illam particulam demonstratiuam, LE, & nullo habito respectu ad suam capacitatem dicit absolutè; quod Dominus largitus est ei tantam dilectionem, & amorem, QVANTO NE PVO DARE VN DIO, reducit totam propositionem ad omnipotentiam Dei; Ita vt, si Deus potest dare charitatẽ, & amorem infinitum; amorem infinitum ei dedit; aliundè enim hanc mensuram desumere non debemus, quàm ex Dei infinitate, & omnipotentia, supposita hac mulieris locutione. Sed quia ipsa cum sit creatura, non est capax infinitatis; Ideò ex necessitate compellimur re-

ſtringere dictum eius, ad menſuram finitam. Vndè ſatis erit huic mulieri, ſi tantam charitatē accepit, quanta eſt eius capacitas creata.

8 Si autem ipſa perſiſtat in ſua aſſertione; & contendat, quod ipſa habuit tantam charitatem, QVANTA NE PVO DARE VN DIO; quæro ab ipſa: An Deus poſſit alteri conferre maiorem? Si reſpondet, quod poteſt conferre; ergo ipſa non habuit quantum Deus dare poteſt. Si reſpondet, quod non poteſt conferre maiorem; ergo in hac muliere ſola exhauſta, & depauperata eſt Omnipotentia Dei, cum vltrà eam progredi, nèc aliam creaturam facere poſſit, quæ hanc mulierem excedat.

9 Iterùm quæro ab hac muliere, vtrum velit in hoc certamine amoris, & charitatis contendere de maioritate cum Deipara, an ei libentèr primatum cedere, ſicùt alibi fecit? Quæro hoc, nàm cum in alijs propoſitionibus, & priuilegijs, licèt temerariè, & impudentèr omnes Electos, & etiam præſtantiſſimos, & eximiæ prædeſtinatos calcaſſet, nihilominùs, vbi peruenit ad Virginem, verens tantæ Dominæ maieſtatem, retinuit curſum ſuæ temeritatis, & ſe Deipara inferiorem confeſſa eſt, dicens: ECCETTVATA LA BEATA VERGINE. ſic dixit in prima propoſitione, ſic in quarta, ſic etiam in ſexta; cum igitùr in hac vltima propoſitione, quam ex ſuppoſita reuelatione aſſerit, Virginem non excipiat, rationabilitèr Quæro, num etiam cum Matre Dei contēdere velit in hoc charita-

ritatis dono, an ei libentèr cedere? Si cedit; Ergo falsum est, quod asserit in hac propositione, nempè, Quod Dominus dedit ei tántum amorem, QVANTO NE PVO DARE VN DIO; nàm quòd Deus possit conferre maiorem, patet in Virgine Dei Matre, cui de facto concessit maiorem; & etiam mulier confitetur. Si nolit cedere; imò procacitèr velit contendere cum Omnipotentis Genitrice; Iterum quæro à prædicta muliere, si sua gratia excedit gratiã Mariæ Virginis, an non? Non potest dicere, quod excedit, quia iam in propositione antecedenti confessa est se inferiorem Virgine in hoc gratiæ dono, dicens: LA SVA GRATIA CONFERITALE, E TANTA, CHE DOPPO LA VERGINE, NE HA HAVVTA PIV DI TVTTE LE PERSONE &c. Itaquè ex sua confessione habemus, quod eius gratia inferior est gratia Deiparæ; Sed gratia, ex Theologorum consensu, commensuratur charitati, & charitas gratiæ; ergo sicùt in gratia superatur à Beatissima Virgine, sic & ab ista superatur in charitate. Et per consequens non est verum, quod ipsa asserit in hac propositione, scilicèt, quod Deus dedit ipsi tantum amorẽ, QVANTO NE PVO DARE VN DIO; quia maiorem dare potest, imò de facto dedit.

10. Iterùm quæro ab hac muliere, vtrum credat, quod Christi charitas fuerit maior, quàm sua? Certè necesse est, vt hoc credat, & confiteatur, si velit esse catholica; alitèr contradiceret vniuersæ Theologorum

Scholæ,

Scholæ, & Sanctorum Patrum consensui, Sacrisquè Concilijs à quibus ratione singularis personæ, & ratione, qua est caput, quod influit in alia membra, asseritur, & determinatur in Christo gratia, & charitas, quæ in infinitum excedit gratiam, & charitatem omnium Electorum; & contradicit etiam Sacræ Scripturæ; præcipuè illis verbis *Ioan. cap. 1. ver. 16.* De plenitudine eius nos omnes accepimus. Itaquè ex necessitate credere debet, quod charitas, & gratia Christi excedit in infinitum suam charitatem, & gratiam, vt docent Sacri Theologi *in 3. sent. dist.* 13. & præcipuè D. Bonauentura *dicta dist.* 13. *quæst.* 2. Scotus *ibidem quæst.* 1. *&* 2. & alij. Suarez *tom.* 1. *in 3. par. D. Thoma. & tom. 2. quæst. 37. art. 4. disp.* 18. *sect.* 3. Caspensis *tract.* 20. *de Incarn. disp.* 5. *sect.* 2. & alij. Si igitùr Deus dedit Animæ Christi gratiam, & charitatem in infinitum excedentẽ gratiam omnium Electorum; & per consequens gratiam huius mulieris; ergo ipsa non habuit tantam charitatem, quantam Deus dare potest; nàm de facto maiorem dedit, & infinitè maiorem ipsi Christo.

11 Præterea quærunt Theologi, vtrum gratia habitualis Christi potuerit augeri? & licèt D. Thomas *3. par. quæst. 7. art.* 12. dicat, quod cum fuerit gratia Christi ordinata ad vnionem hypostaticam, quæ summa est, augeri non possit; tamen Recentiores respondent Quod gratia habitualis Christi, secundùm potentiam Dei absolutam, augeri potest; nèc dari potest

tanta

tanta gratia habitualis, qua maior à Deo produci non possit; atquè adeò potest ea in infinitum augeri in intensione. Et ratio est, quia data quacumquè gratia habituali in Christo, vèl in quouis alio homine, non implicat contradictionem dari maiorem; ergo non implicat contradictionem gratiam habitualem, siuè in Christo, siuè in alio quouis homine augeri in infinitum.

12 Antecedens probatur, quia si implicaret cōtradictionem, vèl hoc esset ex parte formæ, vèl ex parte subiecti; sed neutro istorum implicat; ergo &c. Probatur quod ex parte formæ non implicet; Nàm data quacumquè gratia, semper potest intendi in gradu maiori, absquè sui mutatione; sicùt etiam absquè sui mutatione charitas semper potest augeri. Nèc etiam implicat ex ratione subiecti: quia natura intellectualis, nèc habet determinatum gradum ad gratiam, & charitatem; nèc ista quantumcumquè augeatur, mutat aùt destruit subiectum; imò magis perficit; Si igitùr non implicat, nèc ex parte formæ, nèc ex parte subiecti; ergo gratia habitualis Christi per potentiam Dei absolutam potuit augeri.

13 Et confirmatur ex eo, quod cum capacitas creaturæ rationalis ad suscipiendas formas supernaturales sit obedientialis, & hæc non habeat terminum, potest dici infinita secundùm quid, quatenùs potest recipere maiorem, & maiorem gratiam supernaturalem sinè termino. ita insinuat D. Thomas *de verit.*

cap.

cap. 3. Vbi ait: (Capacitatem obedientialem expleri non posse. Cuius ratio est, quia quantumuis creatura recipiat à Deo, adhùc manet potens ad magis recipiendum; Sicut Deus ipse manet potens ad amplius infundendum; ergo capacitas obedientialis, quæ respicit hanc Diuinam potentiam, infinita est, quantùm ad hoc, quod est posse recipere maiorem, & maiorem gratiam sinè termino; quamuis secundùm essentiam, & vt est identificata cum natura creata, sit finita, & limitata.) Sic Caspensis *tract.* 20. *de Incarnat. sect.* 3. Et quod dictum est de gratia, dicendum est paritèr de charirate in sententia illorum Thomistarum, qui vt ait Suaraz *in* 3. *par. quæst.* 7. *disp.* 22. *sect.* 1. asserunt, quod charitas infusa Animæ Christi non fuit infinita, eò quod non est virtus ordinata ad esse personale, sed ad operationem.

14 Ex qua Recentiorum Doctrina infertur, quod cum gratia habitualis Christi per potentiam Dei absolutam potuerit magis augeri, licèt habuerit omnem gratiam, quæ de potentia ordinaria potest dari à Deo; non habuit tamen totam illam gratiam, quam Deus de potentia absoluta potest dare. Et si Christus non habuit; quomodo ista mulier se iactat se habere tantam charitatem, quantam Deus conferre potest?

15 Dicet forsitàn, quod ipsa non intendit loqui de potentia Dei absoluta, sed de potentia ordinaria. Esto; ergo sua charitas est æqualis charitati, & gratiæ Christi. Nàm Christus solus habuit quantum de potentia

tentia

tentia ordinaria potest conferre Deus; Et per consequens gratia huius mulieris superat gratiam, & charitatem Beatissimæ Virginis Mariæ, quantùm gratia, & charitas Christi superabat gratiam Matris. Nàm licèt Beatissima Virgo fuerit Christo simillima, & coniunctissima, vt ait Suarez, & in perfectione, & intentione gratiæ debuit ad illius perfectionem cum debita proportione accedere; tamen hæc proportio non fuit cum æqualitate; Sed solùm cum debita proportione. Quam proportionem sic explicat ipse Suarez. (Christi gratia, tàm ipsius Virginis, quàm reliquorum Sanctorum Angelorum, & hominum gratias etiam simùl collectas plurimùm superat. Gratia autem Virginis solùm cum aliorum Sanctorum gratijs confertur, & illas superare dicitur. Et in hoc dicimus seruari optimam proportionem, & similitudinem.) Ita Suarez *loco citato*. Igitùr cum charitas huius mulieris superet gratiam Beatissimæ Virginis, & sit æqualis gratiæ, & charitati Christi, possumus dicere, quod in ipsa sit gratia capitis, & singularis personæ, quam habuit Christus, quod ipsa sit Corredentrix, & similia prærogatiua, quæ soli Christo conueniunt, poterit sibi vsurpare. Et quid amentius dici potest? Vèl in hac muliere est perturbata phantasia, & ratio totalitèr reuoluta, vèl maximopere est à diabolo decepta; & forsitàn est in illa deceptione, in qua fuit illa Virgo Gandauensis, quæ cum habuisset reuelationem ab Angelo tenebrarum, quod in omnibus similis, & par esset Beatissimæ

Virgini, & solùm deesset ei priuilegium Virginitatis cum maternitate; hoc etiam fore consequuturam si perseueraret. Quid indè euenerit, iam *in tractatu primo cap. 3. sectione. 3. relatum est Signo secundo.*

16 Prætereà quæri potest ab hac muliere, sua charitas potest augeri, an non? Si respondet, quod potest augeri; ergo Deus potest dare maiorem, quam dedit; ergo non dedit quantam dare potuit, vt ipsa asserit. Si verò dicit, quod non potest augeri, cum iam peruenerit ad vltimum terminum; ergo ipsa est in illa hæresi, iam damnata *in Clementina, Ad nostrum, de hæreticis*; Begardi enim, & Beguinæ, vt ibi dicit Summus Pontifex, asserebant, quod homo in vita præsenti tantum, & talem perfectionis gradum potest acquirere, quod redderetur penitùs impeccabilis; & ampliùs in gratia proficere non valebit; nàm (vt dicunt) si quis semper posset proficere, posset aliquis Christo perfectior inueniri. Quem errorem damnauit Pontifex *in dicta Clementina*, vbi Abbas notat, (quod charitas quibusdam perfecta est, sed perfectissima in hac vita haberi non potest; & contrarium dicere est hæreticum) vide hìc *textum iuncta Glosa in verbo: Non valebit*. hæc Abbas. Et *Glos. locò citato*, probat hoc diuersis Sacræ Scripturæ locis, quibus supradicta propositio contradicit; & probat etiam per ea, quæ dicuntur *in can. Cum sanctam de pœnitentia dist. 2.* & idem determinat Sacrum Concilium Tridentinum *sess. 6. cap. 10.* vbi adducitur illud *Apocalyp. cap. vlt.* Qui iustus est iustifice-

tur

tur adhùc; *& Psal.* 83. Beatus vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo dispofuit. & infrà: Ibût de virtute in virtutem. *Et Prou. cap.* 4. Iustorum semita, quasi lux splendens procedit, & crescit vsquè ad perfectum diem; idest vsquè ad claram visionem Dei. *Et Paulus ad Philip. cap.* 3. *ver.* 12. Non quod iam acceperim, aùt iam perfectus sim &c. Quem locum versans Augustinus, dicit: (Nemo fidelium quantumuis proficiens, dicat sufficit mihi &c. Et *Epist.* 29. *ad Hieronym.* dicit: (Charitas in quibusdam est perfecta, in quibusdam est imperfecta; perfectissima autem in hac vita haberi non potest.) Hæc August. & refertur *in can. charitas de pœnitent. dist.* 2. Quibus auctoritatibus conuincitur error eorum, qui dicunt, quod charitas in hac vita ad tàm altiorem gradum ascendere potest, quod ampliùs progredi non valeat. Si igitùr hæc mulier dicit, quod sua charitas augeri non potest, per ea, quæ dicta sunt, conuincitur de errore; & si dicit, quod potest crescere; ergo non habuit à Domino tantum amorem, QVANTO NE PVO DARE VN DIO; Et per consequens conuincitur de mendacio. Et si in ista reuelatione est falsitas, omnes aliæ redduntur suspectæ de falsitate. Nàm testis in vno articulo falsus redditur suspectus quoad alios. *can. Pura* 3. *quæst.* 9. & instrumentum in parte falsum redditur suspectum quoàd omnes eius partes *l. in fine ff. de fide instrument.*

17 Dicet forsitàn ista mulier, quod sua charitas

augeri potest, sed vèl per minorem, vèl per æqualem charitatis gradum; quia per maiorem non potest; cum dederit quantum Deus dare potest. Admitto hoc ridiculum effugium; Et esto quod ita sit, vt ipsa dicit, Respondeat mihi quæso, operatur ne ipsa cum ista charitate, an non? Si dicit, quod nihil cum hac charitate operatur; ergo charitatem non habet; quia charitas non est otiosa. (Numquàm, ait D. Gregorius, est Dei amor otiosus; operatur enim magna si est: Si verò operari renuit, amor non est.) Ita D. Gregor. *hom.* 30. *in Euang.* & Philo Carpathius *in cap.* 8. *Cantic.* (Charitas Dei, ac proximi numquàm cessat aliquid operari Deo gratum, numquàm fuga laboris ardua tenuit, sed inuicta semper, & studiosa, quæquè optima, & honestissima aggreditur.) Hæc Philo. Et de hoc talis redditur ratio; quia amor ignis est; & sicùt ignis semper ardet, & si vmquàm ardere desineret, nō amplius esset ignis; ita, & charitas semper operatur; & si operari renuit, amor non est, vt dicebat iam Gregorius. Itaquè cogitur dicere hæc mulier, quod si Dei amorem habet, talis amor est operatiuus.

18 Supposito igitùr, quod eius amor est ita operatiuus, & quod sit tàm intensus, quantum intensum sibi asserit à Deo concessum, debemus dicere, quod in omni actu tàm intensi amoris, eius amor augetur ad duplum; & si operatur cum amore vt quatuor, eius amor multiplicatur ad octo; Et sic semper procedendo multiplicabitur.

19 Do-

19 Docet namquè Suarez, quod actus amoris Dei eliciti à charitate sunt meritorij augmenti eiusdē charitatis, & consequentèr gratiæ, & gloriæ secundùm totam latitudinem graduum, eorumquè æqualitatem, & adæquationem, ita vt si actus sit vt quatuor, mereatur quatuor gradus augmenti gratiæ, & sic de reliquis. Et quidèm, quod hij actus meritorij sint secūdùm totam latitudinem suam augmenti habitus, certum esse censeo, quia si solùm essent meritorij secundùm excessum actus remissi, vèl æqualis, nullius essent valoris, ac meriti, quod plusquàm falsum esse censeo, & repugnans doctrinæ Concilij Tridentini *sess. 6. cap.* 10. vt latius *in* 1. 2. *docetur*. Quod verò hoc augmentum sit cum prædicta æqualitate, ac proportione non de omnibus actibus meritorijs, sed de solis perfectissimis actibus charitatis asseritur non vt certum, sed vt verisimilius; quia sicùt in prima sanctificatione, si quis disponitur per actum charitatis vt quatuor, habitum æqualem suscipit ex vitali dispositione; Ita etiam pari, vèl maiori ratione, qui post iustificationem primam similem actum operatur, totidem gradus augmenti, & perfectionis habitus consequitur: quia in hoc actu intercedit meritum de condigno, quod non inuenitur in prima dispositione. Prætereà sicùt hij actus charitatis sunt nobilissimi, ita etiam sunt efficacissimi ad meritum, & ad augmentum eiusdem charitatis; Ergo rationi consentaneum est, vt tot gradus mereantur, quot in se habent.

20 Ex

20 Ex quo principio infert Suarez: (Beatissimæ Virginis gratiam sæpissimè fuisse effectam duplo maiorem, quàm anteà erat, quia operabatur ex tota virtute gratiæ, & motionis Diuinæ; igitùr eliciebat actum æqualem, vèl maioris intensionis, quàm esset habitus; ergo per singulos actus huiusmodi, ita crescebat illa gratia, vt fieret duplo maior, quàm in principio erat. Hoc autem gratiæ, & charitatis augmentum, quod datur homini ad actum, quem operatur secundùm totam latitudinem graduum statim ipsi confertur, vt asserit ipse Suarez. Nàm licèt de merito fundato in actibus, in quibus homo non operatur quantùm potest, nèc facit totum, quod in se est, magis sit controuersum, ac dubium, an statim detur augmentum illi respondens; tamen de merito illorum actuum, in quibus homo facit totum, quod in se est, nulla videtur esse ratio dubitandi. Præsertim, quia etiam de merito actuum remissorum verisimilius est statim habere effectum augmenti gratiæ sibi respondentis; quia meritum de se est sufficiens causa præmij.) Sic Suarez *in* 3. *parte tom.* 2. *quæst.* 37. *art.* 4. *disp.* 18. *sect.* 4. & Caspensis *tract.* 17. *de charitate disp.* 2. *sect.* 7. *&* 8.

21 Et ex hac Doctrina Suarez colligitur, quod hæc mulier in quolibet actu amoris per suam charitatem elicitum duplicatur eius charitas. Primò, quia charitas in ipsa est in summo; Et secundò, quia ipsa absquè imperfectione operatur, & facit totum, quod in se est; quia si non facit totum, quod in se est, & operatur

ratur cum aliqua imperfectione; ergo in ipsa sunt imperfectiones, & peccata, quod ipsa non vult confiteri; imò in propositione quinta se iactat impeccabilem, & quod in ipsa nullum est peccatum, nèc mortale, nèc veniale; nèc etiam vmbra peccati. Ad hoc igitùr, vt sit sinè vmbra peccati elicit actus charitatis absquè vlla imperfectione, & diligit Deum toto conatu, & toto amore sibi concesso; sed actus intensissimi amoris toto conatu elicitus secundùm latitudinem graduum ipsius amoris meretur duplum recipere; & hoc statim datur, vt supra dixit Suarez; ergo in quolibet actu amoris, sic circumstantiato, eius charitas duplicatur.

22 Ponamus modò, quod hæc mulier habuerit à Deo charitatem, vt centum; in primò actu sui amoris elicito toto conatu, & absquè vlla imperfectione, fit sua charitas duplo maior; itaquè si priùs habebat centum gradus charitatis; nùnc habet bis centum; Quapropter in futurum non operabitur cum charitate centum graduum, Sed cum charitate ducentorum graduum. Operabitur autem toto conatu absquè vlla imperfectione, & cum maiori intensione, & in ampliori latitudine ducentorum graduum; & tali operationi respondebit meritum æquale ducentorum graduum; & per consequens Deus dabit alios ducentos gradus amoris; Sed Deus, in sententia huius mulieris, non potest dare nisi centum gradus amoris, tantum scilicèt, quantum dedit à principio; quandò nimirùm tantum amorē ei contulit, quantum Deus dare potest;

sed

ſed hoc totum, quod Deus poteſt dare E. G. eſt centum; ergo pluſquàm centum dare non poteſt; quia ſi potuiſſet, daret vtiquè; quia dedit quantum potuit. Cum igitùr Deus non poſſit dare pluſquàm centum, quis dabit illos ducentos, quos meretur in ſecundo actu amoris elicito in latitudine ducentorum graduum toto conatu, & abſquè vlla imperfectione?

23 Vide igitùr, ò Theophile, ad quale abſurdum vult iſta muliercula reducere Deum! vult eum perducere ad tale inconueniens, quod Deus non habeat, nèc poſſit ſua merita remunerare. Et ne quis credat, quod iſta ratio ſit à meo debili ingenio excogitata; deſumpta enim eſt ex doctiſſimo Suarez, qui loquens de augmento gratiæ, & charitatis Beatiſſimæ Virginis ſic *loco citato* ratiocinatur. (Conſiderandum eſt vlteriùs, poſteriores actus hoc modo, & cum hac perfectione elicitos ſemper extitiſſe duplo maioris meriti, quàm priores, quia ſemper procedebant ex habitu facto intenſiori per priorem actum ſecundùm totam latitudinem eius. Vndè ſi prior gratia Virginis fuit V. G. vt centum, & per illam operata fuit, vt centum, gratia effecta eſt ducentorum graduum: Si ergo poſteà gratia illa operabatur ſecundùm totam actiuitatem ſuam, efficiebat actum habitui proportionatum, vèl intenſiorem; Ergo vlteriùs talis gratia per talem actum in duplo augebatur; Ergo ſi hoc modo iterùm, atquè iterùm, ac ſæpiſſimè & gratia augebatur per actus, & aucta eliciat meliores actus, & à melioribus meliùs

augea-

augeatur, & in fine augmenti tanta erit perfectio, vt vix possit humano ingenio comprehendi. Hæc Suarez *de Beatissima Virgine.*

24 Et sicùt ex hac doctrina, veris principijs innixa, sequitur illa verissima conclusio, quod gratia, & charitas Mariæ in fine augmenti fuit tantæ perfectionis, quod vix possit humano ingenio comprehendi; Sic ex eadem doctrina, cum hac septima propositione falsitati innixa, sequitur illa falsissima conclusio, quod Deus non habet quomodò charitatem huius mulieris possit augeri. Conclusio enim semper sequitur debiliorem partem.

25 Prætereà est communis Theologorum sententia, quod charitas potest augeri in infinitum. Sic D. Thomas 2. 2. *quæst.* 24. *art.* 7. quem sequuntur omnes Thomistæ. (Hoc enim, ait Angelicus, non repugnat, nèc ex parte formæ, nèc ex parte agentis, nèc ex parte subiecti. Non repugnat ex parte formæ, quia ipsa charitas, secundùm rationem propriæ speciei, terminum augmenti non habet; Est enim participatio quædam infinitæ charitatis, quæ est Spiritus Sanctus. Similitèr etiam causa agens charitatem est infinitæ virtutis, scilicèt Deus. Similitèr etiam ex parte subiecti terminus huic augmento præfigi non potest: quia semper charitate excrescente, superexcrescit habilitas ad alterius augmentum. Vndè relinquitur, quod charitatis augmento nullus terminus præfigatur in hac vita.)

26 Et ex hac S. Doctoris Doctrina talem construo rationem desumptam ex parte obiecti: Obiectum enim, quod in ratione entis, & boni est infinitum in actu, est etiam infinitè intelligibile, & infinitè amabile; quanta enim est ratio entis, tanta est ratio intelligibilis, & quanta est ratio boni, tanta etiam est ratio amabilis; Ergo Deus, qui est ens actu infinitum, & infinitè bonum, est infinitè intelligibilis, & infinitè amabilis; & quia natura rationalis, quæ creata est à Deo ad hoc, vt intelligat, & amet Deum, licèt sit virtutis limitatæ, potest tamèn cum auxilio supernaturali sẽper magis eleuari ad maiorẽ intellectionẽ; & maiorẽ amorẽ, & quãtò magis eleuatur, tãtò magis ampliatur, & dilatatur sua capacitas ad intelligẽdũ, & amãdũ, requirit de sua ratione, vt habeat hoc auxilium, cuius virtute magis possit eleuari, & perfici sua dilectio, ac sua intellectio; & quia Deus est infinitè amabilis, & infinitè intelligibilis; quantumcumquè eleuetur ipsa natura rationalis ad intelligendum, & amandum Deum, numquàm poterit peruenire ad terminum suæ dilectionis, & intellectionis; & ideò hæc semper poterit crescere in infinitum; quia vt ait *supracitatus* D. Thomas (hoc augmentum non repugnat; nèc ex parte formæ, quæ est participatio infinitæ charitatis; nèc ex parte agentis, qui est infinitæ virtutis, nèc ex parte subiecti, in quo crescit semper habilitas.)

27 Si igitùr charitas ergà Deum potest crescere in infinitum, & nullus ei potest præfigi terminus, quo-

modò

modò hæc mulier audet eam restringere intra vasculum sui cordis,& intra terminos huius;& primo tractu coangustare æternam illam,& immensam charitatem, quæ semper in nobis potest magis , ac magis dilatari? illam infinitam potentiam , quæ semper in nobis potest magis suum auxilium augere, vt nostra magis , ac magis semper eleuetur habilitas ; & illud infinitum obiectum,quod infinitè potest amari? Nescit profectò hæc mulier, quid est amor Dei , & quæ sit eius virtus, & ideò sic male de ipso loquitur . Vndè valdè timeo , quod ipsa possit esse in illo errore,in quo erant Begardi, & Beguinæ, de quibus sic loquitur Gerson.

28 Amplius hanc ob causam videntur errasse Beguardi,& Beguinæ ob indiscretam dilectionem, nomine deuotionis palliatam . Argumentum huius rei est in quodam libello incredibili penè subtilitate ab vna fœmina composito, quæ Maria de Valentianas dicebatur: Hæc agit de prærogatiua,& eminentia dilectionis Diuinæ, ad quam si quis deuenerit , fit secundùm eam,ab omni lege præceptorum solutus; adducẽs pro se illud ab Apostolo sumptum : Charitatem habe , & fac, quod vis. Recolitis, opinor, vt apùd Virgilium in Bucolicis quæsitiuè ponitur:

An qui amant sibi somnia fingunt ?

Et certè res sic se habet; quoniàm amor inter omnes animæ passiones magis penetratiuus , & alienatiuus , & si verus est, castus , & sanctus iuuat incogitabilitèr ad cognoscendum Cœlestia. Si verò,aùt vanus sit, er-

roneus, aut libidinosus, varias sibi format illusiones; ita vt credat videre, seù cogitare, quæ prorsùs ignorat. Experimentum huius rei in amore hæreseos conspicimus; Etenim, si prædicta Maria non de viatoribus vtiquè ligatis ad præceptorum Diuinorum impletionem, sed de statu Beatorum, dilectionem, quam scribebat, appplicasset, vix altius quidquàm de Diuina fruitione, quò ad aliqua dici potuerat; Sed fallebat eam sua tumiditas animi tantæ passioni dilectionis immixta. Putabat igitùr se frui Deo, dùm vigebat hæc passio fortis circa Deum in eius animo, quantumcumquè à Diuinis præceptis longè esset. Accepi à narrante quodam Carthusiense, se ab vno magno viro audiuisse, sed in hoc stultus erat, quod peccatum mortale non semper corrumpebat charitatem; nèc impediebat dilectionem Dei super omnia: imò ad gratias agendum, & Diuinam dulcedinem admirandum, laudandum, concupiscendum nonnumquam inflammabat. Exemplúquè dabat de fornicatione. Errabat vtiquè Delirus ille, qui sic phantasiabatur; dùm motum omnem amoris passionalem, vèl ex consuetudine, vèl aliundè genitum, ita Diuinam vocabat charitatem, quæ non gaudet super iniquitate; & quæ Deo per inobedientiam præcepti cuiusuis nequaquàm inimicatur.)

29 Et quibusdam interiectis; adiungit: (Deniquè, vt sentias, quod nihil tutum sit in ipsa etiam Dei dilectione, dùm peregrinamur à Domino, recogitatione profunda circumspice, quod apùd exercitatos in amo-

in amore,& cœteris virtutibus suboriri potest horribilis deceptio. Et qualis deceptio? Talis quippè, vt isti deuoti, iusta,sed occulta Dei permissione,aùt pro erudiendo, aùt pro perdendo eludantur à dæmonio meridiano superbiæ,transfigurante se in Angelum lucis sùb specie grandis boni; declinat tùnc ab eis Deus, & veste nuptiali charitatis spoliat. Omnia tamen prioris deuotionis, & dilectionis indicia sentire, & habere præsumunt: errantes vtiquè in via, & experientia morum: quemadmodum,si quis aberrat apertis oculis in via pedum: arbitrantur itaquè, quod agantur Spiritu Dei, dùm ex solo informi habitu, & vsu virtutis prioris,non dùm abolito,mouentur. & quis non obstupescat hoc audiens? Quis non vehementèr exhorrescat? Quis non obtemperet Apostolo dicenti:Qui se existimat stare, videat ne cadat? Credo contemplatus hæc fuerat sapiens,qui dicebat: Est via,quæ videtur homini iusta, & nouissima eius ducunt ad mortem. *Prou. cap.* 14. *ver.* 12. Et ille, qui ait: Nescit homo, an amore, vèl odio dignus sit. Super hanc abyssum multam iudiciorum Dei verterat aciem contemplationis suæ, qui pauescens exclamat:quam incompræhensibilia sunt iudicia eius. Et alter inquiens: Terribilis in consilijs super filios hominum. Et ad humiliationem nostræ miseriæ, hæc consideratio si non sufficit, quid ergo aliud erit, satis ignoro.) Hæc Gerson *Alphabeto* 19. *litt. G.* Cuius verba,sicùt non piguit hìc scribere, sic ea legere, & considerare non pigeat eos, qui mulie-

rum

rum reuelationes audiũt, easquè recipiũt. Caueant isti à dæmonio meridiano, qui etiam in virtute nos decipit; & sub vmbra sanctitatis solet animas constuprare.

30 Vide quæso, ò Theophile charissime, & percurre hanc propositionem per illa quinquè signa, quæ in primo Tractatu obseruanda proposui; Et ex te ipso discernere poteris si hæc sit reuelata à Deo, an à dæmone. Quis versatus in Scriptura Sacra, quis eruditus in facultatibus Theologicis, quis in via Domini illuminatus probabit hanc propositionem, quæ cum Begardis, & cum Beguinis coincidit?

31 Quis admittet hanc propositionem, quæ vt supra probatum est, cum quinta altercatur, & sibi ad inuicem contradicunt? quam configurationem habent ad veritatem istæ reuelationes, quæ dimicant inter se? Quis verisimile existimabit, quod amor huius mulieris in Deum superet amorem Deiparæ, & etiam ipsius Christi charitatem? in alijs propositionibus altercabatur cum omnibus Electis; at in præsenti aggreditur omnium Electorum caput, eiusquè Sanctissimam Matrem; &, dum contendit se habuisse à Domino tantum amorem, quantum Deus dare potest, nititur exhaurire etiam Dei omnipotentiam, ita vt ampliùs dare non possit. Quid procacius? quid amentius? quid magis à veritate alienum?

32 Et quem effectum excitare potest in anima istius mulieris præsens reuelatio, humilitatis forsitàn, an vanægloriæ, atquè iactantiæ? Obseruandum est,

quod

quod inter omnes has reuelationes iam discussas, nulla reperitur, quæ suadeat virtutem; vèl excitet ad bonum; omnes magnificant, omnes exaltant, omnes extollunt. Et interim anima his Sirenarum cantilenis sopita, laqueos, qui sibi vndèquaquè parantur, non circumspicit.

33 Prætereà, iuxtà ea, quæ diximus in quarto signo, inuenies hanc propositionem à Sacris Scripturis aberrare; istæ enim nullum statum, nullumquè terminum in hac vita charitati præfigunt; imò semper in via Domini vltrà progredi iubent; nàm in hac via, qui non proficit, deficit. In Patria solummodò datur status, & quies; hìc autem dùm peregrinamur à Domino, semper ad Patriam tendere debemus. Et qui in medio itinere consistit, exul erit ab illa Ierusalem Cœlesti, ad quam non peruenit, nisi, qui incessantèr vsq; ad vltimum vitæ terminum tendit.

34 Finem autem quò tendunt, vèl tendere possunt istæ reuelationes vsquè adeò inuenire non possum. Si consideremus finem, ad quem directa est hæc reuelationum manifestatio, nullibi inuenio bonum, nulla hinc resultat vtilitas proximorum, nulla fidelium ædificatio, nulla conuersio, nulla salus animarum; alium finem non reperio, nisi quandam manifestationē sanctitatis; & non sanctitatis virtutum operibus comprobatæ, aùt alijs perfectionis christianæ signis sigillatæ; sed cuiusdam sanctitatis cœlitus illapsæ, quam omnes Hypocritæ fingere possunt. Et si dicatur ab aliquo,

quod

quod finis huius operis est manifestatio Diuinæ Omnipotentiæ, hoc gratis dicitur; nàm Diuina omnipotentia in alijs operibus manifestata satis est. Et supra in primo Tractatu notaui cum Gersone, quod in operibus Diuinis non solùm spectanda est Diuina Omnipotentia; sed etiam, & sapientia; Nàm dicitur de se ipso: Omnia in sapientia fecisti. Et quænam sapientia hìc apparet, dùm facit opus tàm grande, vt ista mulier se iactat; & nullus vsquè modo apparet finis, ad quem opus tàm prægrande dirigere vult? vèl dicendum, quod opifex insipientèr operatur; & hæc esset blasphemia hæreticalis; vèl quod opus, quod ita extollitur, non differt ab alijs; & cum alijs etiam ab ipso summo Principio ad vltimum finem, qui est ipsemet Deus Benedictus in sæcula, sapientissimè dirigitur.

35 Prò Coronide igitùr huius Secundi Tractatus, repetam hic, vt manifestentur omnes septem huius Mulieris Propositiones falsæ; illud quod supra tetigimus, quod Instrumentum in parte falsum redditur suspectum quoad omnes eius partes *l. in fine ff. de fide Instrumentorum*. Et Testis in vno Articulo falsus redditur suspectus quoad alios *C. Pura. 3. quæst. 9.* Sic Hæreticus vno Fidei Articulo non credens, totiùs Fidei incredulus dicendus erit. Cum ille verè Hæreticus dicatur, qui non totam, sed partem Fidei Christianæ neget; ex qua parte negata sequitur, quod tota Fides in ipso ruit, quod annuere videtur D. Iacobus *cap. 2. ver. 10.* Quicumquè autem totam legem seruauerit

offendat

offendat autem in vno factus est omnium reus: hoc autem, vt ait Cornelius à Lapide *in cap. 2. epist. S. Iacobi* dicit Apostolus contra Phariseos, Rabbi Moysen, & Rabbi Salomon asserentes saluandum fore, qui maiorem partem Legis seruaret. Et si non totam, eò quod maiorem habeat aceruum operum bonorum, quàm malorum; Et non nullos etiam Christianos tempore D. Augustini, vt ipse refert *in Enchyrid.* 75. asserentes se fore Sanctos, si facerent tantùm eleemosynam; & de cætero flagitiosè viuere; fundati in eo, quod dixit Christus *Lucæ cap.* 11. *ver.* 41. Facite Eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis; & etiam contra Modernos Hæreticos tenentes, sufficere ad sanctificationem eorum tantùm Fides, etiam si Legem Dei violent. Contra hos omnes volunt non nulli loquutum esse Apostolum: Eum qui vnam legem violat omnes violare, fieriquè omnium rerum, ac proindè esse iniustum, & reum gehennæ. Et licèt Beda, hunc Apostoli locum exponens, intelligat de charitate, qua Deus proximusquè diligitur, in quo præcepto charitatis vniuersa Lex pendet, & Prophètæ: (Meritò, ait Beda hic, Fit omnium reus, qui contra illam facit, in qua pendent omnia.) Licèt Riccardus à Sancto Victore *lib. de Incarnatione Verbi parte* 1. *cap.* 14. de omissis meritis hoc explicet, iuxtà illud *Ezechielis cap.* 18. *ver.* 24. Omnes Iustitiæ eius, quas fecerat non recordabuntur; attamen verba Apostoli debent intelligi de Hæreticis, qui vnum Fidei Articu-

lum non credentes, totam Fidem perdunt, & sic fiunt omnium Fidei Articulorum Rei; Quod clarè à Cornelio à Lapide citato demonstratur (Hæreticus, ait ipse, qui non credit vnum Articulum Fidei, perdit totam Fidem, non tantùm illius Articuli, sed & cæterorum omnium: Esto enim eos dicat se credere; tamen non credit eos Fide Diuina, sed humana.) quod vt quàm verum sit demonstretur.

36 Notandum, quod Fides non corrumpitur per quodlibet peccatum, sicùt euenit gratiæ, quæ ad vniuscuiuslibet peccati mortalis aduentu deperditur, sed solùm per suum oppositum, scilicèt Infidelitatem; quæ Infidelitas duplicitèr potest considerari, ex communi Theologorum consensu, vèl quatenùs est in Infidelibus, & dicitur infidelitas negatiua, proùt est carentia Fidei; nèc vt ait Caspensis *tract.* 15. *de Fide disp.* 5. *sect.* 1. Ista est peccatum mortale, iuxtà illud Apostoli *ad. Rom. cap.* 10. *ver.* 14. Quomodo credent ei, quem non audierunt? vèl quatanùs est in Fidelibus, & dicitur infidelitas positiua: & est voluntarius discessus à Fide, seù error in intellectu voluntariè existens; vt si verbi gratia, credant in Deum Patrem, & Filium, negent verò Spiritum Sanctum processisse ab vtroquè; Deum esse Vnum, & non Trinum; Christum non esse verum hominem, sed corpus assumpsisse Cœleste; non natum de Virgine; & alia similia; hi verò alicui istorũ articulorum non credentes, fiunt totius Fidei transgressores, & increduli.

37 Hoc

37 Hoc autem prouenit ex obiecto formali Fidei, quod non est humana ratio, qua aliquod intelligitur, vt dicebant Manichæi, teste D. Augustin. *lib. de vtilitate credendi cap.* 1. Asserentes superstitiosum esse, fidem antè rationem imperare; quasi nihil credendum sit, nisi, quod ratio suaserit, quos sequutus est Abailardus, ex dictu D. Bernardi *epist.* 190. *ad Innocentium*; contra quos videtur illud Pauli 1. *Corinth. cap.* 2. *ver.* 4. Prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis, vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Et vt magis hoc demonstraret 2. *Corint. cap.* 10. *ver.* 8. subiunxit. Captiuantes intellectum in obsequium fidei. Proptèr quod dixit D. Augustinus *ser.* 1. *de Trinitate*: Ignorantiam potiùs, quàm scientiam esse necessariam ad fidē, his verbis. (Fidelis sum, credo quod nescio.) Et D. Gregorius *homel.* 26. *in Euangel.* (Fides non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum:) non enim mysteria fidei naturali ratione cognosci possunt. Non igitùr, vt dixi, obiectum fidei est humana ratio; nèc Deus sub ratione Deitatis, vt vult Capreolus, & Aureolus, non benè prò ipsis citantes D. Thom. 1. *par. quæst.* 1. *artic.* 7. cum ibi loquatur de obiecto, quod, non verò de ratione formali, sùb qua, de qua hìc fit sermo; Sed Deum prò obiecto formali fidei ponitur sùb ratione summæ veritatis. Quæ veritas duplex est; vna veritas in essendo, & dicitur veritas trascendentalis; altera verò est

 veritas

veritas in dicendo, & est ratio intelligendi illam perfectionem, ratione cuius nèc falli, nèc fallere potest Deus; & sùb hac acceptione, Deus dicitùr obiectum formale fidei, quod ex communi Theologorum consensu, his verbis ponitur à Caspensi *tract.* 15. *de Fide disp.* 1. *sect.* 2.

38 Vt quis moueatur ad credendum, debet moueri ex iudicio, quo iudicet dicentem esse veracem in eo, quod affimat, aliàs non mouebitur ad credendum ex eius testimonio, vt est per se notum; si verò semèl iudicet dicentem esse veracem, nihil prorsus refert ad assensum fidei cognoscere, vndè in dicente veritas eius oriatur; nàm hoc non pertinet ad causam assensus, sed ad causam rei; ergo quamuis discursu nostro possimus in Deo ex Deitate colligere veritatem, scilicèt Deum esse veracem, quia est Deus; tamen resolutio assensus fidei non fit in Deitatem, sed sistit in prima veritate in dicendo, quæ vocatur veritas, tãquàm in primo principio, & formali ratione.) Hæc Caspensis, qui fundatur in illo Ioannis 1. *epist. cap.* 5. *ver.* 6. Quia spiritus est, inquit, qui testificatur; quoniam Christus est veritas; subdens *ver.* 9. *eiusdem epistolæ* Si testimonium hominum suscipimus, testimonium Dei maius est. Quasi diceret: Si ex testimonio hominum credimus, quantò magis testimonio Dei credendum, qui est ipsa veritas? Cum igitùr obiectum formale fidei sit Deus sùb ratione primæ veritatis in dicendo, quandocumquè alicui Articulo Fidei non creditur,

ditur, falsitas imponitur illi Summæ veritati Diuinæ; ergo in vno deficiens Articulo, obiecto indiuisibili Fidei falsitatem imponit; nec amplius potentia vniformatur suo obiecto; & sic vnico non credens Articulo per infidelitatem, factus est omnium reus Articulorum Fidei; & ita intelligendum est illud *Iacobi citati*, quod clarissimè confirmat Suarez *de Fidei defensione lib. 1. cap. 23. num. 9. pag. mihi. 68.* (Vera enim, & propria Hæresis in quocunquè dogmate Fidei committitur; Nàm si à Deo reuelatum sit, eadem Fidei certitudine credēdum est, in quacumquè materia versetur. Vndè etiam fit, vt ad veram Hæresim, quæ totàm Fidem destruat, voluntarius assensus vni tantùm Dogmati Fidei contrarius, in quacunquè materia sufficiat; quia vnicum mendacium, etiam in re minima ad Fidem pertinens, supremam Dei Auctoritatem destrueret; & quælibet assertio falsa, si inter Dogmata Fidei inueniri posset, reliqua omnia incerta, & ambigua redderet; ac proindè quilibet assensus cuicunquè Dogmati Fidei contrarius, hæresis est penitùs destruēs Fidem.) Hæc Suarez. Siuè posteà fides corrumpatur per vnum actum infidelitatis phisicè, & ex intrinseca rei ratione, vèl moralitèr, & ex ordinatione Dei, nō est meū discutere; videantur in hac re Scolastici, & præcipuè Suarez *de Fide disp. 7. sect. 4.* Cum igitùr omnes Articuli Fidei vnam conflent Fidem, qui vnum Articulum violarit, Deum de falsitate imputando, omnes, & singulos violauerit Articulos Fidei.

39 Quod

39 Quod aliquo modo simile videtur in transgressione Præceptorum Legis; nàm vno violato Præcepto, alterum, & alterum violatum manet, vt notat Venerabilis Beda *cit. à Lapid. vt supra*: (Qui, inquit, offendit in vno, fit omnium reus, non quòd omnia Legis Præcepta violarit; sed quòd Legis Auctorem contempserit, eoquè præmio meritò careat.) Et D. Augustinus *tom. 4. de vera, & falsa pænitentia cap.* 14. (Offendens in vnó fit omnium reus, quia omnis virtus patitur detrimentum ab vno vitio; Nàm si quis cadit in auaritiam, largitatem destruit, & etiam castitatem minorauit: Amore enim pecuniæ, vèl violaret castitatem, vèl saltèm minus amaret. Ita, aliquo modo à simili, ex vno actu infidelitatis circa vnum Articulum Fidei; tota ruit Fides cum Summæ, & primæ veritati falsitas imponatur.

40 Scripturæ etiam hoc ipsum demonstrant. Paulus enim ad *Galatas cap. 5. ver. 5.* Sic ait: Euacuati estis à Christo, qui in Lege iustificamini. Et infrà *ver.* 7. Currebatis benè, quis vos impediuit veritati non obedire? persuasio hæc non ex eo, qui vocat vos. Modicum fermentum totam massam corrumpit. Per quæ verba ostendit Apostolus, quod si pertinacitèr vnus error in Fide teneatur, esse hunc sufficientem, vt explicat Suarez, ad euacuandam, & corrumpendam totam illorum Fidem. Et scribens ad Timotheum 1. *cap. 1. ver. 19.* sic ait: Quidam amittentes bonam conscientiam, circa Fidem naufragauerunt. Loquitur hìc

Apo-

Apostolus de Alexandro, & Hymineo hæreticis, vt ex eodem capite eiusdem Timothei videri poterit, & ex contextu 2. *capitis. 2. epistolæ* eiusdem Timothei patet, qui tantùm resurrectionem non credebant; & tamē eos naufragasse asserit Apostolus; Nàm cū per nauem denotetur Ecclesia, vt Chrysostomus, & Hieronymus explicant, naufraghi ambo ab vno Articulo Fidei, Ecclesiam perdiderunt, hoc est totam Ecclesiæ Fidem. Et *cap. 6. eiusdem epist. ver.* 4. alloquens de Hæretico sic habet: superbus est, nihil sciens. Hoc est, vt explicat Suarez *de virtute Fidei disput. 7. sect.* 4. *pag.* 137. Nihil certò, & firmitèr credens, & deniquè *in 1. Ioannis cap.* 2. habetur. Ex nobis prodierunt: sed non erant ex nobis, nàm si ex nobis essent, permansissent vtiquè nobiscum; vndè colligunt Patres, Hæreticum non permanere in Ecclesia. vt dicitur etiā *Extrauag. Vnam Sanctam de Maioritate, & Obedientia.* Et quare non permanet in Ecclesia, cum peccatores in Ecclesia maneant, licèt eorum fides sit informis; nisi per infidelitatem, quæ totam destruit Fidem?

41 Habetur etiam expressè *in Concilio Tridentino sess. 6. cap.* 15. vbi dicitur: (Asserendum est non modò infidelitate, per quam, & ipsa Fides amittitur; sed etiam quocunquè alio peccato mortali, quàmuis non amittatur Fides, gratiam amitti.) Vndè deducitur, quod licèt quodlibet peccatum mortale destruit gratiam, non tamen destruit Fidem. Cum hæc tantùm

per

per quemlibet actum infidelitatis deperdatur, & quãuis aliqui hæc Concilij verba certam fidem non facere velint; Cum Concilium illud determinare videatur, quod videlicèt per qodlibet peccatum mortale gratia deperdatur, & indirectè, & per parentesim Fidem non amitti, nisi per infidelitatem, hoc enim non conuincit; nàm ideò per parentesim hoc docet Concilium, quatenùs certum esse apùd omnes censeret. Et cum ab vno deducatur aliud, vt patet consideranti, magnus esset error hoc negare, & temeritas maxima.

42 Sancti Patres communitèr hoc idem innuunt, D. Augustinus *tom.* 10. *ser.* 61. *de verbis Domini in illa verba Joannis cap.* 16. *ver.* 8. Ille arguet mundum de peccato, & de Iustitia, & de Iudicio; de peccato quidem, quia non crediderunt in me, sic ait: (Propterea hoc vnum, loquitur de infidelitate, præ cæteris imputat Deus, per quod fit, vt cætera non saluantur, dùm non credit in Humilem Deum, homo superbus.) Quid clarius innuere potest Augustinus pro nostro asserto, nisi quod non creditur alijs Fidei Articulis, vno discredito, scilicèt Christum Hominem, & Deum non esse; quod ex fide tenendum est. Et D. Ambrosius *lib.* 7. *Luc. cap.* 11. *pag.* 103. sic idem confirmat: (Quemadmodùm potest, cum Fides scindatur Regnũ permanere diuisum? etenim cum in Lege sit Populus Iudeorum, Christus quoquè secundùm carnem ex lege generatus sit? Quomodò Regnum potest Iudeorum esse perpetuum, quod ex Lege est, cum Populus

ipse

ipse diuidat Legem, quandò à Legis Populo Iesus negatur, qui ex Lege debetur? Ita ex parte se Fides Iudaicæ Plebis impugnat, & impugnando diuiditur, diuidendo dissoluitur; & ideò Regnum Ecclesiæ manebit in æternum, quia Indiuidua Fides corpus est vnum.) En quomodò Fides tota dissoluitur per Infidelitatem. At quia Fides Ecclesiæ Catholicæ est subiectiuè in aliquo, per quemlibet actum infidelitatis poterit destrui, non verò obiectiuè vniuersalitèr. Sed quid immoror ad hoc demonstrandum, vbi omnes conueniunt Theologi. Illud sufficiat Diui Pauli ad hoc demonstrandum; Quod modicum fermentum totam massam corrumpit. ergo concludendum, si per vnum actum infidelitatis aduersus vnum Articulum Fidei, tota corrumpitur Fides, vt ex Probationibus claruit; Et Hæreticus dicatur, qui tantùm vnam habet Propositionem hæreticalem, licèt in alijs Catholicus videatur: Considerare, quæso, omnes huius Mulieris Propositiones, & intuere perspicacius, quid de Fide sentiant. Cum, vt patet ex supradictis in suis locis probationibus, non conformentur Sanctorum Patrum Auctoritatibus, Sacrorũ Conciliorum Sanctionibus, nèc non Sacris Scripturis, quas vt melius perspicies singillatim hìc annectam.

43 Prima mulieris propositio fuit ESSERE STATA PREDESTINATA &c. Perpende hìc tantùm illud, PIV, quod denotat aliquam maioritatem Prædestinationis. Et vndè hæc Maioritas? Forsàn ex

suis meritis præexistentibus in altera vita, vt dixerunt Origenes, & Priscillianistæ? & tùnc in eorum incurret errorem damnatum in Concilio Bracor. 1. *can.* 8.; quod repugnat etiam Diuo Paulo, *Rom. cap.* 9. *ver.* 11. Cùm enim non dùm nati fuissent, aùt aliquid boni egissent, aut mali &c. Forsan ex meritis præexistentibus in hac vita? Et ad quid Paulus dixisset 2. *Corint. cap.* 3. *uer.* 5. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis &c. Et Concilium Tridentinum Pelagianos hoc asserentes damnasset? Forsàn ex Cœli constellationibus? Et tùnc Priscillianistarum videbitur assecla, dicente Diuo Paulo *Rom. cap.* 9. *ver.* 10. Sed & Rebecca ex vno concubitu &c. Forsàn ex natura Animæ suæ, ita perfectè à Deo creata, vt peccare non possit? Et hæc Basilidis, & Valentini fuit hæresis asserentium dari quasdam Animas terreas, & malas; quasdam verò spirituales, & perfectas, & istas spirituales Animas non posse peccare, quod reijcitur ex omnibus illis, quæ nostri arbitrij statuunt libertatem. Præter hæc perpende, quæ in hac discussione diximus, & videbis hanc Propositionem non tantùm Concilijs, nèc non Patribus, sed etiã Sacris Scripturis contradicere; Et audi D. Augustinũ *tom.* 3. *lib.* 7. *in cap.* 9. *Genes. littera G.* de Hæreticis, alloquentem, Et tu ipse de hoc primo mulieris asserto dijudica: (Nequè enim, ait Sanctus, omnes hæretici Scripturas Catholicas legunt; nèc ob aliud sunt hæretici, nisi quod eas non rectè intelligentes suas falsas

opinio-

opiniones contra earum veritatem pertinacitèr asserunt.) Vtere quæso, vt resipiscat hæc Mulier, illis verbis *Iob. cap.* 38. *uer.* 33. Numquid nosti ordinem Cœli; & pones rationem eius in terra? nàm vt ait D. Gregorius Papa *hic lib.* 29. *cap.* 18. (Ordinem Cœli nosse, est supernorum dispositionum occultas prædestinationes videre; rationem verò eius in terra ponere, est ante humana corda talium secretorum causas aperire. Ad cognoscendos quippè istos iudiciorum secretorum sinus nullus ascendit. Dicatur ergo homini, vt se nescire cognoscat: Nescientem verò se cognoscat, vt timeat: Timeat, vt humilietur, ne præsumat in se: Non præsumat in se, vt conditoris sui auxilium requirat; & qui in se fidens mortuus est, (Vt timeo de hac Muliere) Auctoris sui adiutorium appetens, viuat.)

44 Secunda Propositio fuit E ASSICVRATA DEL GRAN DONO DELLA PERSEVERANZA &c. Hic præter dicta illud perpende E ASSICVRATA DEL GRAN DONO DELLA PERSEVERANZA, quod vt probet subiungit COME E IMPOSSIBILE, CH'ESSO SIGNORE SI PERDA, COSI E IMPOSSIBILE, CHE SI PERDA LA DILETTA. En quomodò hæc mulier se exaltat? quid hoc aliud est, nisi dicere, Deum de potentia absoluta damnari est impossibile; ergo nèc de potentia absoluta Dei potest hæc mulier damnari. Quid amentius, quid inflatius, quid mendacius, nullo alio teste adhibito, quàm ipsamet? Voces mihi videntur istæ scelestis-

lestissimi hæretici Kemnitij proclamantis in examine contra Concilium Tridentinum *seß. 6. can. 12.* (Sicùt Christianus de fide credit in Iesum Christum; ita infallibilitèr prædestinatus asserendus; & per consequens de perseuerantia securus.) O quàm benè dixit D. Gregorius Magnus *lib. 5. in cap. 4. Iob. cap. 18.* (Sæpè hæretici dùm altiora dicere conantur, ipsi sibi testes sunt; quia quæ proferunt vera non sunt.) Perpende etiam verbum illud, ET IL SIGNORE, quarè non dicit Dominum Deum, forsàn purum hominē Christum confitetur? nescio; sed D. Gregorius *lib. 1. Regnum 1. cap. 2. pag. mihi* 854. *littera A.* non alia ex causa Iudæos corripit de hac hæresi, nisi quia Christum, Dominum, & non Deum dicebant:(Iudæi, sunt eius verba, Christum, quem expectant, purum hominem asserunt; & tamen suum Dominum futurum, & singularitèr Sanctum credunt; Sed Psalmista illos reprobans, nos ad fidei gaudium cohortatur, dicens: Iubilate Deo omnis terra, seruite Domino in lætitia, Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus. *Psal. 99.* illi Dominum vocant, qui Deus non sit.

45 Tertia Propositio. GENERATA EX ILLICITA COPVLA &c. En quàm humilis simùl, & superba Propositio! Illicitam, & sanctificatam se iactantem; æqualem Sancto Ioanni Baptistæ in Sanctificatione; superexcellentem verò in tempore sanctificationis; ille potest sex menses, ista quinquaginta, vèl ad sūmum sexaginta circitèr dies, quo in tempore fieri

anima-

animationem asserunt Medici. Et quænam est ista sanctificatio mulieris in vtero? Tres ex Diuo Bernardino Senensi *tom. 2. serm. 51. fer. 2. post Dominicam Oliuarum art. 1. cap. 1.* Sanctificationes enumerantur, primam Generalem, secundam specialem, tertiam Maternalem nominat. Prima per Ecclesiæ Sacramenta habetur, & mundatur homo à peccatis. Secunda per gratiam Spiritus Sancti, cuius est remouere culpam, conferre gratiam, & pronitatem auferre, ne facilitèr homo mortalitèr inquinetur. Et tertia per Incarnationem Verbi, quæ remouendo culpam originalem, confert gratiam, & pronitatem remouet, vt non tantùm mortalitèr, sed nèc venialitèr peccèt, & hæc fuit in Beatissima Virgine Maria. Et huius rei assignãs rationem D. Bernardinus, sic ait: (Sanè Deus ipse Æternus, sicùt mira sua sapientia creauit omnia, sic illam Benedictam Matrem suam talem condidit, & sanctificauit in tempore, qualem eam Sanctam elegit in sua æternitate; & talem tàm nobilitate naturæ, quàm perfectione gratiæ condidit Matrem, qualem eam decebat habere suam Gloriosissimam Maiestatem; quia in ea, & de ea debebat sumere, quod in æternum sibi erat vnitum vnitate Personæ, de quo exiret pretium totius liberationis, Iustificationis, & Beatificationis humanæ. Et de hac Conceptione Anselmus *in lib. de Conceptu Virginali,* sic ait: Decebat, vt illius Conceptio de Matre Purissima fieret, ea Puritate, qua maior sùb Deo nequit intelligi; atquè de hoc rationē sub-

iun-

iungens, ait: Cui Deus Pater vnicum Filium, quem de corde suo genuit æqualem sibi, ita dare disponebat, vt naturalitèr esset vnus eidemquè communis Dei Patris, & Virginis Filius, quam, & substantialitèr Filius sibi Matrem facere eligebat, de qua Spiritus Sanctus operatus est; vt de ea conciperetur, & nasceretur ille, de quo ipse procedebat. Et per hoc decebat, vt illius hominis conceptio de Matre fieret, qua Puritate nulla maior posset intelligi sùb Deo.) Hæc Bernardinus. Modò quærendum ab hac muliere, ex his tribus Sanctificationibus quanā Sanctificata est? Non prima, per sacramenta, scilicèt, Ecclesiæ, quibus, an sit vsa, saltèm aliquibus, nescio, ob carentiam peccatorum, & firmitatem in perseuerantia ab ea assertam, & immunitatem a peccatis- Non secunda, qua remouetur pronitas, vt non possit homo facilitèr mortalitèr tantùm inquinari; cum asserat se impeccabilem, non tantùm mortalitèr; sed nèc venialitèr vnquam peccasse. Non tertia, quia hæc soli Virgini Mariæ competit, qua se inferiorem confitetur. Igitùr, quæ sanctificatio in ea fuit, his tribus exceptis? vsquè modò aliam non inuenio, nisi illam Caluinisticam sanctificationem citatam. An illam habuerit dubito. Quod dixit D. Gregorius *tom. 1. moral. in cap. 28. Iob. cap. 16. littera D.* hìc tantùm repetam, vt dijudices: (Solent Hæretici, ait Sanctus, de iustitiæ suæ contra nos elatione gloriari; atquè opera sua ostentationis inflatione iactare, nosquè iniquos, vt diximus, aùt esse, aùt fuisse criminantur.)

46 Quar-

46 Quarta verò Propositio est de raptu ad cœlum, ET PER TEMPO NOTABILE HA VISTA LA DIVINA ESSENZA; & per consequens perfectiori modo ac Sanctus Paulus. Hæc si vera esset, quis Sanctè huic mulieri non inuideret? Attamen, ex communi Theologorum, cum gloria meritis correspondeat quoad gradus, vt ex Scripturis Sacris probatum est, Et ista mulier se vidisse dicat Diuinam essentiam, non quomodò videt Beatus, licèt prò illo tùnc, sed Beati in plurali, & collectiuè sumpti, omnium Beatorum meritis sua merita comparare videtur. At si dicet, hoc euenisse non ex meritis, sed ex priuilegio suæ prædestinationis; tùnc incurret in hæresim prædestinatorum cit. *in Beyerlinck ver. Hæres.* anno Christi 415. sùb Honorio Imperatore, exortam ex libris Augustini malè intellectis, dicentium: Nèc piè viuentibus bona opera ad salutem; nèc impijs mala opera ad interitum conferre, nisi prædestinati fuerint. Quid verò de illa particula, (ET PIV PERFETTAMENTE DI S. PAOLO) sentiendum, tu videris. Hoc tantùm dixero, quod hæresis Carpocratianorum eò insolentiæ processit, vt Iesu, Petro Paulo, & cæteris Apostolis, suos præstantiores esse asserabat.

47 Quinta Propositio fuit, CH'E IMPECCABILE &c. Impeccabilitatem, quis non videt soli Deo competere; nàm in Christo, vt diximus, etiam fuit potentia remota peccandi; cuius impeccabilitatis effectus fuit, numquàm peccasse, nèc mortalitèr, nèc venia-

nialitèr. Ex quo deducitur hanc mulierem maiorem, & puriorem Christo, eiusquè Matre fuisse: nàm illi ex libertate arbitrij peccare poterant, eo modo quo poterant; & ista, nullo modo, quia hoc erat ei impossibile ob impeccabilitatem assertam; & ex hoc dubito, ne prò sua assecla cognoscatur à Pelagio dicente: electos suos carere peccato, nèc si velint, peccare posse. Vide de hac hæresi Bellarminum, & Beyerlinck *in Teatro vitæ humanæ ver. Heresis.* Sed, quod subiungit impudentius est. Cùm vmbram etiam peccati in se ipsa neget, quæ Christo à Diuo Gregorio tribuitur dicente *lib. 29. moral. in cap. 38. Iob. cap. 2.* (Sed quia dùm ipse, scilicèt Christus, vmbras nostræ temporalitatis suscepit, lumen nobis suæ æternitatis infudit.) Peccati vmbræ carentia in ea, quæ ex illicita copula nata est, quãdo Christus, eodem Gregorio testante, *lib. 18. Moral. in cap. 28. Iob. cap. 27:* Solus veracitèr Sanctus natus est, qui vt ipsam conditionem naturæ corruptibilis vinceret, ex conceptione carnalis copulæ conceptus non est?) quid amentius?

48 Sexta Propositio. LA SVA GRATIA CONFERITA LE E TANTA, CHE DOPPO LA VERGINE &c. Indubium apùd Theologos est, gratiam absquè vllo præuio merito de condigno dari; attamẽ meritum de congruo non negant, quod vsquè nùnc in hac muliere non reperio. Insuper, vt dictum est, cum gratia augeatur ex cooperatione; Et gratia huius mulieris fuerit maxima, maxima dicenda erit etiam eius coope-

cooperatio;& tùnc dubito, quod se Christo velit æquiparare; & dicere cum impio Nestorio Hæresiarcha Non inuideo Christo Deo facto; quoniam si volo, & ipse possum fieri; Asserebat enim iste hæreticus, teste Diuo Gregorio Magno *lib.* 18. *in cap.* 28. *Iob. cap.* 27. Iesum Christum Dominum nostrum, non per mysterium conceptionis, sed per profectum gratiæ Deum fuisse; Peruersa allegatione abstruens, eum Purum hominem natum; sed, vt Deus esset, per meritum profecisse; atquè ob hoc existimās se, & quoslibet alios posse eì coequari. An hoc sentiat, dubito ex illo verbo pronunciato ab ipsa in secunda Propositione, ET IL SIGNORE DICE, non vocando Deum, sed Dominum. At si ipsa dixerit suam gratiam non posse amplius augeri ob suam impeccabilitatem, quia tùnc superaretur gratia Mariæ Virginis ab ipsa exceptæ; & sic sentiet cum Begardis, & Beguinis docentibus, hominem in hac vita esse impeccabilem, & in gratia crescere non posse *citat. à Bellarmino*; & cognoscetur prò sua à Caluino, qui *lib.* 3. *instit. cap.* 2. §. 11. 12. asserit: (superuacaneam esse remissionem peccatorum, et electos nusquàm, aùt à gratia, aùt à Iustitia excidere posse; quo fit, vt nusquàm reuera peccent, nequè remissione peccatorum indigeant.

49 Septima, & vltima Propositio. IL SIGNORE L'HA DATO TANTO AMORE &c. In hac, sicùt omnium donorum affluentiam complectitur, ita maxime deceptā esse à diabolo cognoscere poteris. Quid

 alind

aliud in hoc suo asserto denotatur, nisi supra omnes Spiritu Sancto plenam esse? Et in quo discrepat hæc Mulieris loquela ab illa Maximillæ Prophètissæ Montani, quæ, teste Diuo Epiphanio *heres.* 48. *pag. mihi* 191. dicebat, adeò se Spiritu Sancto plenam (Spiritus enim Sanctus suus erat Montanus, qui talem se iactabat,) ac per indè post ipsam, Prophètissam non amplius fore, sed consummationem? Tu considera, ponderando sua omnia asserta. Nisi velit hæc mulier dicere, se alterum Spiritum Sanctum esse, vt aiebat Montanus; nàm cum certum sit, Spiritum Sanctum esse infinitum Dei Amorem, & hunc in ea fuisse, cum dicat habuisse tantum Amorem, quantum potest dare Deus, indeterminatè, & indefinitè, videtur dicere, infinitum habuisse Amorem, & per consequens esse alterum Spiritum Sanctum; sed de hoc ob suam finitatem incapax cum sit, decepta, sicùt Montanus, dicenda erit. Si verò dixerit, intelligere in hac Propositione, habuisse Amorem finitú, non infinitum, & in illo, QVANTO NE PVO DARE VN DIO, aliud significare nolle, nisi superexcellentiam super omnes Creaturas. Tùnc incurret in hæresim Cathephrigum, sic dicti à Phrigia, vbi extiterunt, vixeruntquè, asserentium, teste Diuo Augustino *tom. 6. heresi 26.* Se Spiritu Sancto plenos, & Paracletum à Domino promissum, ipsis potiùs, quàm Apostolis fuisse redditum. Omnes igitùr has Propositiones, vt falsas reijciendas puto, cum possit dici isti mulierculæ, quod dixit Diuus Epipha-

nius

nius citat. de Maximilla, & Prisca: (Quid vtile dixit? quid correspondens Fidei? quomodò verò non potiùs hæc est, de quà dixit Dominus: Attendite à falsis Prophètis, qui venient ad vos in indumentis Ouium; intus verò sunt Lupi rapaces. Comparantes enim ea, quæ ab ipsa dicta sunt, & quæ in veteri, ac nouo Testamento in veritate sunt, & in veritate facta sunt, ac prædicta, & probabimus, quales sunt eius assertiones.) At dicet ista mulier, incapaces nos esse affluentiarum donorum Dei; ac per indè sic loqui; attamen veras esse suas Propositiones. Et ego ei respondeam cum Diuo Gregorio: Hoc proprium Hæreticorum esse se exaltare, & reliquos spernere, & deijcere. Sic enim ait Sanctus *tom. 1. lib. 5. in cap. 4. Iob. cap. 19.* explicans illa verba eiusdem Iob, Quandò solet sopor occupare homines: (ac si apertius ab Hæreticis diceretur, cum homines inferius dormiunt, nos ad percipienda superna vigilamus, quia ea nobis nota sunt, ad quæ, vt cognoscenda cæterorum hominum corda torpētia nō assurgunt, ac si apertius hæretici dicant: in quibus intelligentia nostra se erigit, reliquorum hominum sensus dormit.)

50 Has igitùr propositiones seù Spicas sic discussas tibi remitto, de quibus dici poterit illud Lipsij: *In segete Spicarum vacua attolluntur*, cùm meritis fructibusquè carentibus, hypochrisi tantùm onustæ, præstantiores cæteris in sanctitate esse velint; quam hypochrisim Diuinus Messor exprobans, Væ eis prædi-

cit, dicens: Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa; intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. *Matt. cap. 24. ver. 27.* Nèc vnquàm Spicæ istæ placidis ab ipso aspiciuntur oculis, cùm veri Agricultoris sit de inclinatis potiùs, quàm leuibus, sicuti iam discussæ mihi videntur, gaudere, teste Plutarcho in opusc: (Quod Agricultores inter Spicas vident cupidius illas, quæ inclinatæ sunt, & ad terram vergunt: Surrectas verò præ leuitate inanes, & fallaces ducunt. Ex charitate inflammatus, has mihi tu proposuisti, & ego eadem motus curis non tantùm, sed ætate onustus ad discutiendas suscepi. Finis igitùr vtriusquè ne defraudetur, & fructus producatur, hortor te ò charissime, Apostoli monitu, vt hæc mulier resipiscat 2. *Timoth. cap.* 4. Insta oportunè, importunè: argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. ne desperes, cum dicat Ambrosius *de fidei resurrect.* Quod satum est, resurgit; quod mortuum est, & in eadem genera, & in easdem species reformatur.) & quò magis corrupta eius loquela videtur, eò magis spem de victoria concipito, cum verum sit Tertulliani affatum Apolog. *cap.* 48. (Certè semina non nisi corrupta, & dissoluta fœcundius surgunt.) Timorem falcis mortis, & futuri Iudicij discussionem, vt ei incutias, exoro. Cum ex timore, vt ait Lyranus in *Mar. cap.* 4 (Primò cessat homo à malis, & incipit se exercere in bonis. Secundò

con-

concipitur spes futurorum beneficiorum. Tertiò ex hoc datur charitatiuus amor, qui habet opus perfectum.) Non omnia immediatè ex se operatur Deus; sed opportunis vtitur medijs prò Animarum salute, vt nostra libertas semper illæsa permaneat; quod innuit Victor Antiochenus *citat. à Lyrano in cap. 4. Mar.* (Liberæ Doctrinæ semen suscipientium voluntati, vt velint, operentur, permittit. Ipse namquè non omnia per se efficit, ne bonum nobis quasi inuitis obueniat; Sed nostram quoquè synergiam efflagitat.) Ex charitate igitùr ambo moti, benè omnia euenient; Nàm vt ait B. Laurentius Iustinianus (vbi charitas, ibi multus fructus) *tract. de charit. cap. 3.* Et D. Augustinus *ser. 50. de verbis Domini*: (Adde charitatem, & prosunt omnia.

51 Et in hoc lætabitur Saluator noster Christus, qui in Cruce trãsfixus conquæritursibi consolatorẽ nõ inuenisse: Sic per os Dauid exclamans *Psal. 68.* Sustinui, qui simùl mecũ contristaretur, & non fuit, & qui consolaretur, & non inueni. Et quomodò consolantẽ, & contristatum non inuenit Christus, cùm mulieres plorantes, Apostolos tristatos miratus est? Certum est istos plorasse, sed non simùl cum Christo. Et quomodò non simùl, si de sua Passione lachrymas effundebant? Certè non simùl, quia mortem carnalem Christi tantùm in eorum luctu considerabant, quando Christi pœna non tantùm prò morte, sed prò deper-

ditio-

ditione etiam erat Animarum, & in hoc consolantem non inuenit. Vndè D. Augustinus *in Psal. ciii.* (Non, ait, sustinui, qui consolaretur, & non fuit; sed qui simùl contristaretur ex ea re, qua ego contristabar, & nō inueni. Ergo in tristitia, quam habebat Dominus de illis prò quibus orauit: Pater ignosce illis, quia nesciūt quid faciūt, nullū comitē inuenit. Prorsùs nō fuit, & consolantes non inuenit. Qui sunt consolantes? Proficientes. Ipsi enim nos consolantur, ipsi sunt solatio omnibus prædicatoribus veritatis.) Hæc Augustinus *in Psal. 68. littera D. pag.* 161. Ad quod etiam alludit Cardinalis Bellarminus, dicens: (Non defuerunt, qui contristarentur in morte Christi, sed defuerunt, qui simùl cum illo contristarentur. Nàm Apostoli, & piæ mulieres tristabantur ob mortem Christi temporalem: Ipse verò tristabatur ob mortem spiritualem, & spiritualem cæcitatem Iudæorum. Consolatio, quàm Christus quærebat, erat conuersio impiorum.) Consoletur igitur Christus per nos in resipiscentia huius mulieris; per me, ipsum compatiendo, quantum potero in Passione, Vigilijs, Oratione, & hoc humili, sed elaborato, hac vltima mea ætate, scripto, non laudis mundanæ, sed Dei gloriæ, & Animarum salutis cupido, vt exclamare valeam cum Diuo Paulo; Christo confixus sum cruci; Et tu aspernendo labores, vt aberrans ouis ad Christi ouile reducatur; Nàm charitas ex qua ambo mouemur, vt ait *Apostolus* 1. *ad Corinth. cap.* 13. *ver.* 4. Patiens est, beni-

benigna est, Charitas non emulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit, quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati &c.

52 Demum, ò charissime Theophile, vt ad principium vndè discessi regrediar, & vltima sint consona primis; sicùt à spicis à Pharaone somniatis hunc Diuinarum Reuelationum Tractatum inchoaui, sic cum spicis eum concludere volens, illam, quam de spicis parabolam tradidit nobis Diuinus Præceptor hìc addam. Sic est Regnum Dei, quemadmodùm si homo iaciat sementem in terram, & dormiat, & exurgat noctè, & die, & semen germinet, & increscat, dùm nescit ille. Vltrò enim terra fructificat primùm herbam, deindè spicam, deindè plenum frumentum in spica; & cū ex se produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis. *Mar. cap. 4. ver. 26.* Quæ verba D. Gregorius expendens, sic ait. (Cum igitùr desideria bona concipimus, semen in terram mittimus. Cum verò operari recta incipimus, herba sumus. Cum autē ad profectum boni operis crescimus, ad spicam peruenimus. cumquè in eiusdem operationis perfectione solidamur, iam plenum frumentum in spica proferimus. Omnipotens ergo Deus, producto fructu, falcē mittit, & messem suam desecat: quia cum vnumquemquè ad opera perfecta produxerit; eius temporalem vitam per emissam sententiam incidit, vt granum suum ad Cœlestia horrea perducat.) Hæc Gregorius

hom.

hom. 15. super Ezechiel. relatus in can: Cùm Sanctam de pœnit. dist. 2. Et hic est rectus ordo, quem in nostræ iustificationis, & charitatis profectu præscripsit ille Diuinus Amator, qui de Cœlo venit, vt ignem suæ dilectionis in terram nostræ mortalitatis mitteret. Ipse est, qui semen suæ charitatis iacit in terram nostri cordis. Hoc Diuinum semen nostris vitalibus actionibus exit in herbam, cum incipimus, crescit in spicam, cum proficit; Plenum verò frumentum in spica fructificat, quandò iàm tantùm virtus proficit, vt esse robusti, & perfecti operis possit. Suscipiamus igitùr hoc Diuinum semen charitatis in corde, & licèt minimum, foueamus illud, quia exibit in herbam, crescet in spicam, & dabit fructum centuplum perenniter in æternis mansionibus duraturum. Pergamus ad Deum hac via Regia, quam nobis ostendit Diuinus ille Magister, qui nèc fallere, nèc falli potest. Accedamus humilitèr, non irruamus audactèr; quia scrutator Maiestatis opprimetur à gloria. Sint Beatorum, qui reuelata facie Deum vident, Reuelationes Diuinæ; Nos autem, qui fideles viatores sumus, ambulemus per fidem, & ambulemus fideliter; quia fidelis Dominus, vt nostros labores, ex sua benignitate remuneret. Tibi igitùr laus, ò Benignissime Amator, tibi gloria in sæcula, qui ex quolibet minimo semine, vt fructũ centuplũ colligamus, operaris. Et si quid boni in hoc opere, tuũ est; Imperfectiones verò meæ sunt; & ideò eas Sanctæ Romanæ Ecclesiæ iudicio, ac correctioni subijcio.

FINIS.

INDEX

INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE

Prima Littera paginam, secunda numerum denotat.

EX VETERI TESTAMENTO

EX LIBRO GENESIS.

EX LIBRO EXODI.

EX LIBRO LEVITICI.

EX LIBRO NVMERI.

dum fœderis, vt consuleret Oraculum; audiebat vocem loquentis ad se. p. 28. n. 1.

9. 8. *State vt consulam quid pracipiat Dominus de vobis. Loquutus est Dominus ad Moysen.* p. 26. n. 5.

12. 6. *Si quis fuerit inter vos Prophèta Domini in visione apparebo ei; aùt per somniū.* p. 11. n. 2. 26. 5. 42. 9. 43. 1. 108. 1. 115. 13. 159. 3. 366. 19.

12. 7. *At non talis Seruus meus Moyses, qui in domo mea fidelis est &c.* p. 366. n. 19.

8. *Ore enim ad os loquar ei* p. 27. n. 6.

22. 17. *Paratus sum honorare te, & quid volueris dabo tibi.* p. 89. n. 23.

EX LIRRO DEVTORONOMII.

Cap. 4. n. 12. *Locutus est Dominus ad vos de medio ignis. Vocem verborum eius audistis, & formam pènitus non vidistis.* p. 10. n. 2.

7. 9. *Deus fortis, & fidelis.* p. 214. n. 3.

13. 1. *Si surrexit in medio tui Prophètes, aùt qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum, atquè portentum &c.* p. 186. n. 4.

18. 15. *Prophètam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus &c.* p. 20. n. 4.

20. *Prophèta, qui arrogantia deprauatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi &c.* p. 93. n. 1. 166. 11.

22. *Si tacita cogitatione responderis; quomodò possum intelligere verbum, quod Dominus non est loquutus? hoc habebis signum &c.* p. 185. n. 1.

23. 2. *Non ingredietur Manser, hoc est de scorto natus, in Ecclesiam Domini vsquè ad decimam generationem.* p. 336. n. 51. 347. 71.

EX LIBRO IOSVE.

Cap.2.v.12. *NVnc ergo iurate mihi per Dominum, ut quomodò ego misericordiam feci vobiscum, ita, & vos faciatis &c.* p.278. n.21.
4. 9. *Steterunt Sacerdotes, qui portabant Arcam Domini.* p.459. n.31.

EX LIBRO IVDICVM.

Cap.14.v.4. *HAnc mihi accipe, quia placuit oculis meis.* p. 53. n.4.

EX LIBRO I. REGVM.

Cap.9.v.2. *ERat ei filius vocabulo Saul, electus, & bonus &c.* p.272. n.11.
10. 6. *Et insiliet in te spiritus, & prophètabis, & mutaberis in virum alterum.* p.15. n.4.
13. 14. *Quæsiuit Dominus sibi virũ iuxtà cor suũ.* p.271. n.10.
23. 9. *Dixit Dauid ad Abiathar Sacerdotem, applica Ephod.* p.30. n.5.
30. 7. *Applicauit Abiathar Ephod ad Dauid, & consuluit Dauid Dominum.* ibid.

EX II. REGVM.

Cap.5.v.23. *COnsuluit autem Dauid Dominum, si ascendam contra Philistæos, & tradas eos in manus meas? Qui respondit non ascendas contra eos &c.* p.34. n.9.
11. 1. *Consuluit Dauid Oraculum Domini. Dixitquè Dominus: Proptèr Saul, & domum eius &c.* p.28. n.1.

12.14. Quo-

EX III. REGVM.

EX IV. REGVM.

Ex I. PARALIPOMENON.

Cap. 15. v. 20. *Zacharias autem, & Oziel in Nablis arcana canebant.* p. 15. n. 3.

22. *Chonenias autem Princeps Leuitarum Prophetiæ praerat, ad præcinendam melodiam &c.* ibid.

Ex II. PARALIPOMENON.

Cap. 7. v. 12. *Apparuit autem ei Dominus.* p. 43. n. 1. 50. 10.

18. 21. *Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum. Dixitquè Dominus: decipies, & præualebis &c.* p. 95. n. 4.

Ex LIBRO IV. ESDRAE.

Cap. 10. v. 35. *Vidi, quæ non sciebam, & audio, quæ non scio,* Numquid *anima mea somniat?* p. 160. n. 3.

Ex LIBRO TOBIAE.

Cap. 24. v. 16. *Sacramentum Regis abscondere bonum est; opera enim Dei reuelare, & confiteri honorificum est.* p. 200. n. 4.

Ex LIBRO IOB.

Cap. 4. v. 13. *Quādo solet sopor occupare homines.* p. 517. n. 49.

14. 4. *Quis potest facere mundū de immūdo conceptum semine?* p. 314. n. 14.

15. 15. *Ecce enim inter Sanctos eius nemo immutabilis etc.* p. 432. n. 63.

23. 13. *Ipse*

Ex LIBRO PSALMORVM.

84.9.*Audiam*

Ex LIBRO PROVERBIORVM.

EX

EX LIBRO ECCLESIASTES.

EX LIBRO SAPIENTIAE.

EX LIBRO ECCLESIASTICI.

EX PROPHETIS.
EX ISAIA.

EX IEREMIA.

EX TRENIS.

EX EZECHIELE.

EX DANIELE.

EX OSEA.

EX IOELE.

EX AMOS.

EX IONA.

EX ZACHARIA.

EX NOVO TESTAMENTO.

EX MATTHAEO.

EX MARCO.

EX LVCA.

15. Erit

EX IOANNE.

EX ACTIBVS APOSTOLORVM.

EX

EX EPISTOLA D. PAVLI AD ROMANOS.

EX PRIMA AD CORINTHIOS.

EX SECVNDA AD CORINTHIOS.

EX EPISTOLA AD GALATAS.

EX EPISTOLA AD EPHESIOS.

5.26.*Vt*

EX EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

EX EPISTOLA AD COLOSSENSES.

EX PRIMA AD THESSALONICENSES.

EX PRIMA AD TIMOTHEVM.

EX II. AD TIMOTHEVM.

EX EPISTOLA AD TITVM.

EX EPISTOLA AD HEBRAEOS.

10.1.*Vm-*

EX EPISTOLA D. IACOBI APOSTOLI.

EX PRIMA DIVI PETRI.

EX PRIMA DIVI IOANNIS.

EX II. DIVI IOANNIS.

EX APOCALYPSI.

INDEX.



INDEX LOCVPLETISSIMVS

RERVM, ET VERBORVM OMNIVM IN HOC OPERE CONTENTORVM.

Prior littera paginam, posterior verò numerum indicat.

A

Ani-

Apo-

B

Beati

C

 erro-

Cha-

Cor-

D

Dæmon,

Differen-

E

F

G

Gratia

H

Hære-

Homo

Ido-

I

S. Ioſeph,

in

Libertas

M

Modus

N

Obe-

O

Ordi-

Pecca-

Q

Qua-

R

Reue-

Reue-

Reue-

Re-

Sacer-

S

San-

Somnia

Spe-

T

Theolo-

V

Vesti-

AD DEI GLORIAM, EIVSQVE VIRGINIS MATRIS MARIAE.

ERRATA.	CORRIGE.
Pag. Ver.	
1. 17. Prophætare	Prophètare.
7. 17. vobis	nobis
8. 20. effundit	effudit
10. 23. auditis	audiftis
33. 1. flumina	flumina
17. 12. dicitquè	dixitquè
24. 22. intelligentiæ	intelligētia
28. 6. cognifcitur	cognofcitur
44. 25. fcilicè	fcilicèt
48. 19. Erancifcana	Francifcana
56 23. errabit	non errabit
59. 16. innititur	innuitur
60. 23. Diuiua	Diuina
61. 2. Confitebor	Confiteor
83. 29. peccatotem	peccatorem
89 25. impotuit	impofuit
115. 1. fæpæ	fæpè
132. 27. difcirminát	difcriminant

ERRATA.	CORRIGE.
Pag. Ver.	
135. 16. ipfpiratio	infpiratio
150. 28. atquè	atquè
187. 14. effutiebat;	effutiebat illa
202. 7. Dinina㎡	Diuinam
224. 18. affectus	effectus
231. 15. fcimus	fumus
259. 11. Ioanoes	Ioannes
259. 17. Ed	Ad
273. 3. pofsēt,ftare	poffent ftare
278. 9. exaltate	exaltatæ
300. 4. fimile	fimilis
356. 15. &	vt
421. 21. vmbra	vmbram
443. 33 fcripturarā	fcripturarum
503. 6. intelligēdō	intelligendū
506. 4. qodlibet	quodlibet
510. 27. poteft	poft

